1
2
42

VII
LABB.

PETRI LABBE
E SOCIETATE IESV,

ELOGIA

SACRA.
THEOLOGICA,
ET
PHILOSOPHICA.
REGIA.
EMINENTIA.
ILLVSTRIA.
HISTORICA.
POETICA.
MISCELLANEA.

BIBLIOTH. REGIA

GRATIANOPOLI,
Apud PHILIPPVM CHARVYS, Regis Typographum,
in foro Mali-Consilij.

M. DC. LXIV.
CVM PRIVILEGIO REGIS.

SANCTISSIMO ALEXANDRO SEPTIMO, SVPREMO ECCLESIÆ PRINCIPI.

AVDAX Elogij genus,
Laudare eum velle qui supra omne Elogium est.
Ex quo ascendisti Cathedram Petri, infra te est omne solium:
Ex quo accepisti claues Petri, infra te est Cœlum ipsum.
Ex quo geris vices Christi, solus Christus supra te est.
Nec superas tantùm cæteros sed te ipsum:
Maior es Alexander Fabio,
Maior septimus Chysio,
Et Montes domestici altiores effecti,
Vincunt cacumina montium, & attingunt Cœlum.
Extulerunt te ad hoc fastigium humana suffragia, & diuina:
Destinabaris Romanæ Tiaræ antequam Tiaram gereres:
Credebaris dignus cum adhuc Nuncium ageres:
Et Nuncius Pontificis iam eras Nuncius tuis
Fuére qui dicerent breui hic Nuncius Nuncios mittet:
Fuit Princeps Lutheranus, cuius hæc Prophetia est,
Si Spiritus diuinus eligat Pontifices, hunc eliget:
Si homines, falletur Roma nisi hunc eligat.
Innocentius Decimus moribundus,
Eo momento quo animus penè Propheta est,
Prædixit te successorem suum, & penè Te vidit.
Scilicet hoc Magnarum rerum priuilegium est,
Videri ante ortum & desiderari post obitum:
Et Tu visus es Romanus Pontifex, antequam esses:

Et Te ante ſuffragia iam elegerant vota.
Prapararunt te huic dignitati virtus, ſcientia, prudentia;
Ac virtus non mediocris erat ſed qualis eſt ſanctitas;
Agnouerunt te Sanctum ipſi hæretici,
Et vulgo appellatus es Sanctus, nondum Sanctiſſimus.
Ornabant ſanctitatem ſcientiæ, & illas ſanctitas;
Sciebas politiores literas, & illæ ſciebant te.
Creditus es futurus alter Damaſus,
Et Damaſus hodie Alexander eſt.
Nec ſterilis erat ſcientia tua, ſed negotioſa.
Vidiſti Monaſterij collectum orbem in Legatis orbis,
Tractaſti cum illis negotia Regum, & Regnorum,
Examinaſti iura, didiciſti myſteria;
Exploraſti ingenia nationum, & illæ explorarunt te,
Placuiſti orbi Paſtor orbis futurus,
Placuit Romæ conſenſus populorum,
Et vocem orbis approbauit vox Dei.
Electus ergo es, qui penè ante electus iam eras,
Proximus eras Tiaræ cum illam attigiſti,
Addita tibi eſt Authoritas non dignitas,
Et penè declaratus eſſes Papa non factus,
Niſi Pontifices declararet Deus.
Et nunc talem te habet orbis, qualem optabat,
Conſecrauit Alexander Fabium non mutauit,
Talis es Pontifex qualis Nuncius eras;
Maior Authoritate, idem virtute,
Addita eſt dignitas meritis, non merita dignitati.

AVDAX ELOGII GENVS.

Laudare eum velle qui ſupra laudem eſt,
Offero volumen Elogiorum, nec ſatis offero,
Solus Alexander volumen Elogiorum eſt.

SANCTITATIS VESTRÆ,

Humillimus & addictiſſimus ſeruus,
PETRVS L'ABBE', Societ. IESV.

ADMODVM REVERENDO PATRI

PAVLO OLIVA

SOCIETATIS IESV

VICARIO GENERALI,

OLIVA SVAVITATIS EFFICACIS SYMBOLVM.

ELOGIVM.

NVLLA ferè arbor nobilior est oleâ, nullus liquor oleæ liquore pretiosior: hæc arbor coronat victores, hic liquor Sacerdotes vngit & Reges; aut hæc arbor intra Cœlum est, aut eius liquor defertur ad Cœlum; inde Ampulla venit quæ Clodoueum Christianissimum fecit; inde oleum illud lætitiæ quo diuinus Spiritus vnxit hominem Deum; nec vngi ab alio debuit homo Deus nisi à Deo; nec alio liquore quàm oleo, nec aliunde allato nisi à Cœlo.

Omitto plurimas Oliuæ laudes, & vnam explico, Oliuam suauitatis efficacis symbolum esse: fabula est Pallas inuentrix oleæ, & Dea pacis ac belli; fabula quoque Alcides monstrorum domitor; at nec fabula est olea pacis ac belli tessera, nec claua Herculis ex olea, vincens homines lenitate, & monstra domans fortitudine.

Historia est olea victrix diluuij quo victus est mundus; vidit Columba eminentem ex aquis Oliuæ ramum, collegit blando ore, & arbor obtulit; eo ramo coronauit victorem Noëmum, & arcam victricem; quid suauius Oliua & columbâ, quid fortius? vtraque triumphauit de diluuio, & de mundo.

Ænigma erat egressa ex forti dulcedo, & fortitudo ex dulcedine; sol-

uis hoc ænigma nomine & moribus tuis, VIR REVERENDISSIME, in te dulcedo fortis, in re fortitudo dulcis est; in pulpitis sacris, in libris editis, in colloquiis priuatis, in regendis aliis, seuerus & blandus, fortis & lenis, suauis & efficax es. Declarat hæc omnia genrilitia Oliua tua; hæc suauitatis efficacis symbolum est, & tu suauis adeò & efficax es, vt inde nomen & indolem trahas.

Ac primùm in sacris pulpitis Orator eloquens olei instar insinuas re auribus, peruadis animos, delinis affectus: delinita voluntas trahit seipsam dum trahitur à te; posset nolle trahi si veller, & trahitur quia vult; vt tamen trahi velit, inuitatur à te, & penè trahitur; victa voluntas à te, & victrix sui sequitur nutus suos, & tuos; eadem domina sui, eadem subdita, & tu dum suauiter attrahis, & fortiter vincis, adiuuas dominium voluntatis, & penè es affectuum Dominus.

Audiuit te Roma loquentem mellea, & Ambrosium credidit, pronuntiantem grauia, & Leonem putauit, intonantem fortia & arbitrata est Paulum alterum loqui: Audiuit re auditor idem sine rædio, pluribus annis sine fastidio; & tu idem vetus & nouus, tam noua & nouo semper modo dixisti, vt dum audiebaris idem, penè alter sis creditus: sic oleum affusum cibis ita eos afficit, vt nouo sapore fallat palatum dum fallit cibum.

Nec minus eloquens es stylo quam verbo, nec minus olei, & suauitatis efficacis habent libri quos publicos facis; sic scriberet Isocrates si Christianus esset; sic Demosthenes si esset Catholicus: Ita Tullius si argumenta mutaret; rediuiuos facis magnos authores, repræsentas antiquam eloquentiam, & addis nouam; atque vt Ambrosius Isocratem, Chrysostomus Demosthenem, Hieronymus emendat Ciceronem; sic tu emendas profanam eloquentiam, & facis Christianam.

At quam suauis conspectus tuus! quam amabilis consuetudo, quam blanda conuersatio! nemo te aspexit cui vidisse semel sat fuerit; nemo adiuit semel, qui adire sæpius non optarit; nemo à te recessit mœstus, nemo exiuit iratus, nemo adiuit malus quem bonum non feceris, nemo bonus qui melior non redierit; nemo consilium petiit cui honesta non suaseris; nemo dubitauit quem eruditum non reddideris: Diu Romanum oraculum, & publica Echo fuisti: audiuit te aliquando oraculum ipsum & penè consuluit; quod addo commune est & tamen illustre, fuêre qui ex remotis Prouinciis Romam venêre vt te consulerent: fuêre qui reduces in Patriam gloriarentur vidisse se Romam, & Oliuam: fuêre qui adderent adiuisse se, & vidisse suauitatem ipsam, & efficaciam.

Quæ hactenus dixi publica sunt omnibus qui te norunt, quod addo

peculiare est iis qui tibi subsunt; suauis est, & efficax modus regendi quem exerces, & quem doces: Et quidem hunc esse optimum regendi modum omnes dicunt, pauci intelligunt: scilicet non adeò facilis est temperatura lenitatis & fortitudinis; imperare aspera & lenire; imperare asperis aliquando ingeniis & aspere non vrgere; regere ferocem equum & non pungere, currentem & non cohibere; cunctantem & non stimulare; blandum esse & seuerum, lenem & fortem; suauem & efficacem; hæc duo extrema qui aptare sciat, hunc ego Rectorem animorum, & penè Regem appello.

Atque hæc est ars tua, SAPIENTISSIME OLIVA, hoc mysterium artis, suauiter regere, & efficaciter: hæc duo vt facias, facis tria, scis quid imperes, & quibus subdiris, & quibus modis: scis finem & media quibus itur ad finem, scis scopum & sagittas quibus feriendus est scopus; scis pacem & pugnas, & quibus armis pugnandum.

Quid imperare possis nemo definire potest, vix tu ipse: nihil grande, nihil arduum est & heroïcum quod imperium tuum fugiat aut excedat: quos fines præfixit sibi homo Deus, ij sunt fines tui, maior gloria Dei, salus animorum, auxilia ad salutem, scientiæ omnes & virtutes, supplicia, exilia, cruces & mortes: hæc est materia imperij tui; aut terminos non habet authoritas tua, aut limites dignitatis sunt limites mundi.

Imperas subditis ingeniosis, eruditis, Religiosis: neque eiusdem indolis sunt subditi tui, neque eiusdem gentis; nullus ferè populus est qui tibi non sit popularis, nulla gens cui tu non sis ipse genrilis; alirer regendi sunt Itali, aliter Gemani, aliter Indi: Alia est indoles Europæ, alia Asiæ, alia Africæ & Americæ; & plerunque indolem terrarum sapit indoles hominum: nec eiusdem gentis ingenia eiusdem sunt genij: Ponderandæ igitur sunt nationes & nationum indoles; quid possint singuli subditi, & quid velint; quid possint velle, quid velint posse; inuitandi sunt vt velint, adiuuandi vt possint; quale ingenium debet esse Rectoris! superare omnia ingenia debet, instar olei, quod affusum omnibus liquoribus vincit omnes liquores.

Quis artes enumeret quibus eget ars regendi? quis industrias industriæ, quis sapientias huius sapientiæ? hic impellendus vt currat, hic retinendus ne currat; hic inuitandus præmiis, hic terrendus minis, hic aptus imperio, hic obsequio; hic superabit onus impositum, hic vincetur ab onere; hic Spartam reget, hunc Sparta regeret: hic vir omnium officiorum, hic paucorum: quam ardua res est animos regere! ars artium est, & sapientia sapientiæ regere suauiter, & efficaciter.

Hæc tamen est ars tua, VIR SAPIENTISSIME, audacius aliquid

dico & absoluo, imitatur ars tua gratiam victricem & penè gratia est; sed externa, & administra internæ; atque vt illa olei instar suauis est vt animum subeat, subtilis vt peruadat; sublimis vt attollat, modesta vt deprimat; congrua vt voluntati se aptet, blanda vt delectet, potens vt adiuuet: sic delectans vt persuadeat, sic persuadens vt vincat, sic vincens vt non cogat: imitaris arte tua hæc officia gratiæ; adeo gratus animorum Rector, vt penè sis gratia: & dum persuades suauiter, dum vincis efficaciter, oleum & Oliua es. Ego si pateris sum ex animo.

ADMODVM REVERENDÆ PATERNITATIS VESTRÆ,

Humillimus & obsequentissimus seruus, & filius
PETRVS L'ABBE', Societ. Iesv.

NOBILISSIMO

ILLVSTRISSIMOQVE DOMINO

D. HENRICO D. D. S.

BAR. D. B. ET D. &c.

VALIS hæc modestia tua, VIR NOBILISSIME, velle bene mereri de me, & nolle laudari à me: conferre beneficia, & velle illa nesciri; imperare silentium & beneficiis loqui; nolle referri à me etiam verba; nolle reuelari ipsum etiam nomen; & pluris æstimare silentium meum quam beneficium tuum.

At hæc iniqua conditio est, vt sis beneficus velle me ingratum esse; velle exercére pulcherrimam virtutem, & nolle exerceri à me; velle gratias apud te liberales esse, apud me steriles; & tamen idcirco plures sunt Charites vt dum vna loquitur altera respondeat, & dum duæ beneficia conferunt, tertia grates rependat; Tu Charites omnes vis esse tuas, & nullas meas.

Fallor, hæc vera beneficentiæ natura est, dare vt des; dare gratis; dare vt alter accipiat non vt referat; dare vt vincas alterum, non vt alter te vincat; dare beneficium non instar pilæ vt redeat; nec quasi sementem vt tibi crescat; sed ita dare alteri vt non des tibi; dare vt liberale munus, non vt auarum fœnus.

Verùm ea quidem sunt leges beneficentiæ; at leges etiam suas habet grati animi virtus; quarum hæc prima est æstimare beneficium apud se; altera, explicare foris; tertia, pugnare cum amabili æmulo, rependere maiora si possis, saltem paria, saltem minora, saltem verba. At quæ hæc iniuria tribuentis? velle eloquentem esse dum tribuit, velle alterum mutum esse dum accipit; velle opprimere accipientem, & nolle vt queratur se opprimi, velle alterum vincere, & nolle vt fateatur se vinci.

Hæc quanquam ita sint, vide quantum tribuam liberalitati tuæ; volo ingratus esse vt sis magnificus: taceo igitur non beneficia tua tantùm, sed teipsum, & nomen tuum; non laudo nobilem illam corporis palæstram, maiestatem illam gressus & gestus; frontem illam, os illud, vultum illum; verùm eloquens est hæc tota species tui; declarat te vultus tuus etiam inuitum; videri non potes & nesciri; ostendunt se dotes animi tui per indicia corporis; & nobilitas hospitiũ

ſpectatur in elegantia baſpitij ; accuſa igitur teipſum ſi appares ; neque accuſa tacentem me?

O ſi licéret mihi per te laudare animum tuum! exhiberem illum non qualem habent qui ſolum habent ; ſed qualem nobilis indoles reddit, & qualis ille nobilem indolem perficit ; proponerem illum ornatum virtutibus, & ornantem virtutes ; deſcriberem illum inſtructum ſcientiis & ſcientias inſtruentem ; oſtenderem illum generoſum, iuſtum, conſtantem ſub inconſtante fortuna, & ſub inæquali ſemper æqualem.

Saltem ſi illuſtriſſimam familiam tuam laudari à me, & nominari permitteres, oſtenderem illam pugnantem pro liliis, & inter lilia ſedentem ; ſagatam, & togatam, infulatam pluribus infulis, rubentem pluribus purpuris, pugnantem pro fide, & pro Rege, & pro vtroque vincentem; numerarem ſecula nobilitatis tuæ ; deducerem ſanguinem illum quo viuis, ex venis nobilibus ; venit ad te purpureus, & purpurâ dignus intra te eſt.

Omitto hæc omnia quia iubes, & morem gero imperiis tuis penè illicitis ; ſi tamen hic liber poſtquam in lucem exierit dicat ſe eſſe in ære tuo, id dicet quod neque ego impero, neque impedio ; impediui quamdiu fuit meus ; poſtquam publicus effectus eſt, non eſt magis meus quam tuus. Ignoſce, VIR NOBILISSIME, *ſi fefelli te ; nominaui te, dum non nominauis ; id debuit facere,*

Addictiſſimus, & humillimus ſeruus,
PETRVS L'ABBE', Societ. IESV.

PRIVILEGIVM REGIS.

GVILLELMVS DE L'ANGE, Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Lugdunenſi, iuxta Priuilegium eidem Societati à Regibus Chriſtianiſſimis Henrico III. 10. Maij 1583. Henrico IV. 20. Decembris 1606. Ludouico XIII. 14. Februarij 1611. & Ludouico XIV. nunc regnante, 23. Decembris 1650. conceſſum: quo Bibliopolis omnibus prohibetur, ne libros ab eiuſdem Societatis hominibus compoſitos, abſque Superiorum permiſſione imprimant. Permittit Philippo Charuys Gratianopolitano Bibliopolæ, vt Elogia hæc omnia quæ ſcripſit P. PETRVS L'ABBE' ad 10. annos imprimere, ac liberè diuendere poſſit. Datum Lugduni 12. Iunij 1664.

GVILLELMVS DE L'ANGE.

NOBILISSIMO ILLVSTRISSIMOQVE DOMINO

D. DIONYSIO SALVAGNIO BOESSIO,

REGI AB INTERIORIBVS CONSILIIS, ET IN SVPREMA RATIONVM FISCI CVRIA APVD DELPHINATES PRIMARIO PRÆSIDI.

ELOGIVM.

FACILE Elogij genus dum ille qui laudatur totus Elogium est, dum est Orator sui etiam tacitus, dum ipsum nomen instar est laudis, & dum profertur aut scribitur, Panegyricum facit.

Tale est nomen tuum, ILLVSTRISSIME SALVAGNI, quod septem ætates, centum Proauos, & Patrias laudes repræsentat, ac tuas: latent sub eo nomine Maiores tui, & apparent in Te; videntur dum aspicetis, audiuntur dum loqueris, laudantur dum laudaris: appellat omnes nomen tuum, & ad vocem vnam centum Saluagnij quasi totidem Echones respondent.

Longum esset ire per singulos Maiores tuos: paucis verbis omnes simul enumero, gessetunt illi omnes honorum titulos, floruêre sub violis, rubuêre sub rosis, ornarunt vtramque purputam, illustrarunt sagum & Togam: plena est Rationum Curia cui Præsides Saluagniorum honoribus: ignorat partem Historiæ Gallicæ, qui ignorat decora Gentis Saluagniæ.

Sed quid ego prosequor laudes alienas, malo dicere tuas: tametsi alienæ dici non debent quas fecisti proprias: viuunt in Te Maiores tui, & tu in illis, rediuiuos facis dum viuis, Colligis omnes intra Te, & addis Te illis, Maiores tui sunt, nec Tu tamen es Minor. Omitto tamen externa omnia, etiam domestica, & de Tuo Te laudo; nemo benè diues est alienis diuitiis, hæc vera magnitudo est magnum esse de suo.

Nec tamen enumero omnia decora tua, integris libris opus esset, quales Tu Libros scripsisti; ex multis laudibus tuis duas eligo, sapientiam elegantem & Politicam; eruditam & negotiosam; hoc demùm est sapientem esse, sapere vtrâque sapientiâ; satis esse posset altera aliis, vna non sufficit Tibi.

Et prima quidem sapientia tua qualis est, & quam illustris! æquasti magnos Poëtas nondum annos viginti natus, & poteras vincere nisi prætulisses veritatem fabulis, & maluisses facere magna quam fingere: At qualis modestia, & quam senex in Te juuene? Interpretatus es opera

aliena, qui poteras scribere digna interprete: ornasti commentariis dicta aliena qui dictare poteras ornanda ab aliis: donasti Româ Philonem Bisantium, & dignus eras quem Philo donaret Græciâ.

Difficile est Poëtam esse & Oratorem: vtramque laudem nec mereri Maro potuit, nec Cicero; neque ille bonus Orator, neque iste bonus Poëta fuit. Assecutus es vtramque laudem, & Poëta eximius, & Orator facundus: testes eloquentiæ tuæ esse possunt orationes illæ publicæ quas habuisti cum publicâ laude; testis illa quæ Vrbanum VIII. summum Pontificem admiratorem habuit, & quæ Gallici Oratoris, & Romani nomen Tibi promeruit.

Neque eloquens tantùm sapientia tua, sed politica est; mirata est Roma eloquentiam tuam, & suspexit prudentiam; persuasisti Romanæ Curiæ Reges Christianissimos filios Ecclesiæ natu maximos esse, & primos. Appellasti Reges Francorum liberatores Italiæ, defensores Romæ, & Pontificum Protectores. Declarasti obedientiam Regum Galliæ filialis obseruantiæ testimonium esse, non legale homagium.

Laudauit vtramque sapientiam tuam, eloquentem & politicam Eminentissimus Cardinalis Richelius in Commentariis rerum suarum; consignauit publicis monimentis factum illustre neperiret; proposuit annis venturis, vt exemplum esset. Quam illustris hæc sapientia tua, quam vir tantus scriptis suis inseruit, & partem Historiæ suæ esse voluit! fuisti Romæ Orator Regius, & Richelius penè est Orator tuus.

Amauit eandem sapientiam tuam Eminentissimus Iulius Mazarinus, eamque Regiis Consiliis adhibere voluit! Scilicet præuidebat vir sagacissimus quale ornamentum allaturus eras Curiæ Gallicæ qui tantùm attuleras Romanæ; sed Tu modestè ea excusasti quæ Te penè accusant, prætulisti amorem Patriæ gratiæ aulicæ; & maluisti Gratianopolitanus esse quam aulicus.

Nec ingrata Gratianopolis gratiam habet amicitiæ tuæ, amat Te Ciuem, & veneratur Præsidem; præesse Te gaudet Rationibus Regiis, & vellet præsidere suis: Numerat Te inter ornamenta sua & penè miracula: descripsisti olim septem miracula Patriæ tuæ, & penè octauum es.

Addo aliquid in rem tuam ac meam; scripsisti versibus miraculum D. Mariæ Viminalis ad Pagum Vinaicum nuper editum: stillauit multo sanguine salix ab hæretico die B. Virginis sacro male incisa, sensit iniuriam illatam Deiparæ Arbor sine sensu, & Tu Arboris dolores sensisti. Amas scilicet Dei Matrem, & illa Te amat. Ego voti erga Deiparam reus offero illi votiuum opusculum, & illius Patronum Te opto: negare non potes hoc Officium Virgini, & Patrocinium mihi, qui sum ex animo.

Addictissimus Tibi seruus, PETRVS L'ABBE',
Societ. IESV.

VITA, ET ELOGIA BEATÆ VIRGINIS.

CARMEN VOTIVVM AVTHORIS.

LVGDVNI afflictus morbo languebat Alexis,
Et morbus lethalis erat: conceperat ignem
Succingens membrana latus, ſanieſque putreſcens
Sub plevrâ nocuum tuber conflauerat, & mors
Intra tuber erat; vix ſpiritus eger ad auras
Exibat lentè, febriſque, & tuſſis acuta
Intercidebant laceræ ſuſpiria vitæ,
Et mucro ſingultus erat: miſeratus Alexin
Mellinus, lacrymis primùm, deinde ore locutus,
At tu, inquit, magnæ ſupplex fac vota Parenti,
Mors votum de morte timet; ſi ſtamina vitæ
Protrahat, acturum votiuo Carmine grates,
Et memori elogio magnæ præconia vitæ,
Verbaque dicturum ſoli bene cognita Verbo.
Audiit, & dextrâ, nutuque locutus Alexis,
At tu verba præi Melline, & concipe votum,
Ipſe ſequar, dicamque animo quæ tu ipſe loquêris,
Spectat corda Deus, taciteque ſilentia linguæ,
Et voces ſine voce audit: tùm hæc dixit vterque.
Diua Parens, ex quo magno commune Parenti
Pignus habes, ſponſamque elégit Spiritus almus,
Perſonis cognata tribus, communia iura,
Et Sceptrum commune tenes, vitæque, neciſque
Arbitra, longæuæ metas producere vitæ,
Et metas arctare potes; dulciſſima mater

Si juuenes annos moribundi extendis Alexis,
Si febrim extinguas, & læsæ incendia plevræ,
Promittit memores votiuo carmine grates,
Laudesque, & titulos, & sacra symbola vitæ,
Verbaque dicturum, quæ Verbum vt dicere posset
Humanam assumpsit linguam, Verbumque Parentis
Penè fuit Verbum Matris.
Si fatale tamen momentum aduenit, & hora,
Hora placet, sed ne fatalis terreat hora,
Adde animos metuenti animæ, libramque seueri
Judicis exonera noxarum mole mearum,
Et meritis suppone tuis; Te supplice victus
Emendat decreta Deus.
Hæc dixére duo, & solus promisit Alexis;
Interea sensim febris, tussisque resédit,
Detumuit nocuum tuber, vallemque reliquit,
Et locus est vbi tuber erat: rediuiuus Alexis
Persoluit meritas præsenti carmine grates
Seriùs, & postquàm soluit vult debitor esse
Et voti superesse reus.

ELOGIVM PRIMVM.

AB ÆTERNO ORDINATA SVM.

AB æterno ordinari debuit opus æternum;
Ante tempora inchoandum erat, cui tempus non sufficit;
Cæteris operibus momentum satis est, & pars Opificis;
Totum Deum occupauit hoc opus;
Infiniti laboris opus erat, si Deus operando laboraret:
Scilicet designanda erat Verbo Mater Verbi,
Deus nihil extra se videt æquale sibi;
Accedit ad æqualitatem Dei Mater Verbi.

II.

FIGVRÆ MARIÆ.

PRÆLVSIT *tanto operi Deus per minora opificia,*
Rudimentum fuêre Mariæ antiquæ fœminæ;
Ostendendæ plures erant, vt quam vellet Verbum eligeret;

Colligendæ erant intra vnam virtutes omnium:
Et Sara, & Rachel, & Iudith, & Esther,
Figuræ fuêre Mariæ, sed minores,
Vnum est quod omnibus defuit Matrem esse, & Virginem:
Debebatur hic honos Matri Dei, non alteri:
Nec nasci nisi ex Virgine Deus debuit,
Nec Virgo Mater esse debuit nisi Dei.

III.

MARIA REVELATA PATRIARCHIS.

REVELAVIT Deus hanc Matrem antiquis temporibus,
Et pars salutis erat credere Matrem Dei:
Colebatur à Patribus Mater Dei futura,
Offerebantur preces Virgini paritvræ:
Tradebatur hæc pietas à Patre filiis, ab illis Nepotibus:
Natæ sunt Congregationes Virginis antequam ipsa nasceretur:
Singulæ familiæ sodalitia erant, & domestici sodales.
Discite sodales servire Virgini natæ:
Patres vestri servierunt futuræ.

IV.

PARENTES VIRGINIS.

PARENTES Virginis steriles erant, & pene Virgines:
Tales esse oportuit, vt partus Virginis miraculum esset:
Sanctissimi Parentes citra Prolis crimen filiam genuêre:
Cæteri conjuges priùs infanticidæ quam Parentes,
Prolem maculant dum progenerant,
Et Mater occidit, dum concipit:
Sola Maria omnis maculæ expers,
Maternum vterum pulchro honestavit ingressu,
Et natalem sinum consecravit, dum exiit.

V.

CONCEPTIO IMMACVLATA.

NE maculam Originis contraheret filia Adami,
Deum vidit eo momento, quo alij priuantur iure videndi. Apud Salazarem.
Excluſit peccatum hic clarus Dei intuitus,
Excluſit gratia quâ eo momento fuit plena:

Nec violauit legem Originis, quæ ante legem præuisa fuit:
Exceperat legislator eam fœminam, quam Matrem eligeret,
Et debuit excipi ne Prolem macularet dum concipit.
Sic sola Virgo proles fuit parentis Adami, non peccantis:
Sic sola Adami filia lutum Adami non oluit:
Eo momento beata, quo omnes sumus miseri:
Et tunc filia amicitiæ, cum nos iræ.

VI.

MARIA INTRA VTERVM MATRIS.

NEQVE *eo momento nuda in lucem prodiit;*
Venit cum Reginâ omnis supellex virtutum,
Et Maria diues vno momento fuit.
Nemo sanctorum huius momenti gratiam æquauit,
Et Maria cæteris momentis omnes Cælites vicit;
Scilicet augebat gratias, & augmenta gratiarum;
Nec magis numerari augmenta possunt, quam momenta,
Ne quære qua arte saperet, quæ nondum sentiebat,
Sapiebat infusâ Sapientiâ, non acquisitâ,
Et impeditis sensibus solo operabatur intellectu:
Supplente Deo officia sensuum, & imagines rerum.

VII.

NATIVITAS VIRGINIS.

NIHIL *pulchrius vnquam Sol vidit nascente Virgine,*
Nihil extra se nobilius aspexit Deus:
Lætantur longæui Parentes, & ignorant quod sperant;
Quid si Auos Dei se scirent, & Deum Nepotem!
Quid faceret Natura si futura sciret!
Naturæ natiuitas est hic ortus Mariæ,
Non satis dixi, ortus est Gratiæ.

VIII.

PRÆSENTATIO IN TEMPLO.

TRIENNIS *Virgo ingreditur templum, templo maior,*
Et maior est gloria domus secundæ, quam primæ;
Quam pij Parentes qui sua Deo vouent, & seipsos!
Quid facerent si futura præscirent!

Ingressæ sunt cum Maria omnes virtutes,
Et ingredi non debuit Regina sine aula:
Ne quære qualem vitam in templo egerit,
Qualem decebat Matrem Dei futuram,
Et conceptura Deum corpore, iam concipiebat mente,
Legebat in Prophetis Matrem Dei futuram, & seipsam:
Mirabatur alienum priuilegium, & nesciebat suum.

IX.

MATRIMONIVM VIRGINIS.

VT partus Virginis mysterium esset.
Desponsatur homini sponsa Dei.
Hic est Ioseph us Mariæ maritus:
Inæqualis si Pater esse debêret, D. Thomas sic vocat.
Non inæqualis Verbi Minister.
Nec inæqualem facit fortuna fabri,
Spes Dauidis ad fabrum, & Virginem redactæ erant,
Nec tamen decreuerant.
At ô nouum Matrimonij genus!
Iunxére hæc vincula non carnes sed mentes!
Sic palmæ nubunt non radice, sed vertice.

X.

ANNVNTIATIO.

MITTITVR *Angelus ad Virginem Angelis parem, & majorem,*
Salutat gratiâ plenam, & implendam Deo:
Petit assensum vt priùs concipiat mente, quam carne:
Recusanti titulum Matris sine titulo Virginis
Declarat concepturam non de alieno, sed desuo:
Obumbraturum Spiritum vt sponsum, non maritum.
Tùm vero ancillam se vocat Mater Dei futura:
Fiat inquit mihi secundùm verbum tuum,
Dixit, & verbo conceptum est Verbum.
Olim hæc vox fecerat mundum, nunc facit hominem Deum.

XI.

VISITATIO.

NEC *mora, pergit per aspera montium Virgo Deo plena,*
Impellente Deo, & Matrem portante dum portat:

Ingressa domum Cognatæ induxit secum Consanguineum Deum:
Salutant se inuicem paruuli nondum nati:
Exultant captiui, & liberi
Et Ioannes intra vterum penè exercet officium Præcursoris:
Prophetant Matres spiritu paruulorum,
Et Zacharias Propheta legis vltimus, & Gratiæ primus,
Quem alij venturum prædixerant, annuntiat præsentem.

XII.

IOANNES BAPTISTA.

NEMO *hoc Præcone taciturnior, nemo vocalior fuit:*
Vix conceptus loquelam abstulit Patri, & reddidit:
Nondum homo hospitem Deum excepit humanis nutibus:
Totis triginta annis tacuit, vt disceret loqui:
Post tantum silentium nihil nisi vox, & clamor fuit:
Nec linguâ tantùm, sed omnibus membris Præco,
Digito Agnum Dei ostendit, totum deinde dextera tetigit
Trunco etiam capite vocalis Herodem terruit:
Denique occisus ad limbos Martyr, & Præcursor iuit:
Vir omnino magnus, & solo Deo minor:
Debet primam vitam Elizabethæ, & secundam Mariæ.

XIII.

NATIVITAS VERBI.

INTEREA *describebat Orbem Augustus, vt vectigalem faceret,*
Et numerabat homines Deus, vt omnes redimeret,
At eheu, quale discrimen Dei, & hominis!
Patent vrbes omnes Augusto, & clauduntur Deo.
Caret loco per quem factus est omnis locus:
Nascitur inter dedecora Antri Dominus Cœli:
Clamate immortales Angeli silente natura:
ET VERBVM CARO FACTVM EST, *quale miraculum!*
Verbum Patris silet, quale mysterium!
Verbum Matrem Virginem facit, quale prodigium!
Erant Ioseph, & Maria mirantes:
Puto nisi miracula faceret, ipse miraretur Deus.

XIV.

PASTORES.

NVNTIATVR *Pastoribus Natiuitas, & tacetur Regibus:*
Scilicet agebant vigilias, & amat vigiles Deus:
Accurrunt, ingrediuntur, mirantur:
Agnoscunt Agnum ab Origine mundi occisum,
Docentur iterùm pro mundi salute occidendum:
Quid dixerint, puto neque ipsi narrare scirent,
Silentium, & admiratio vocis instar fuit:
Donarunt tamen Agnum Agno, & Matri Ouem
Placuit simplicitas puero, & se deinceps appellauit Pastorem.

XV.

REGES.

QVAM *difficile latet Deus, qui vbique est*
Apparet in Antro, sub fœno, & sub nihilo,
Agnoscunt tres Reges intra speluncam Aulam,
Inter fœnum, & paleas thronum, & in throno Deum,
Aduoluuntur ad pedes Infantis, & se fatentur minores:
Post adoratum Infantem pene adorassent Virginem;
Nisi fides docuisset Matrem Dei esse, non Deam:
Denique per aliam viam reuersi sunt in regionem suam,
Venerant Reges Ethnici, & reuertuntur Christiani:
Primam viam ostendit stella, & fides secundam.

XVI.

CIRCVMCISIO.

AVIDVS *redimendi homines homo Deus,*
Offert partem sanguinis, & quærit à Patre an sit satis:
Negat Pater sufficere hoc pretium, quamuis infinitum,
Admissum esse vadimonium eâ lege, vt cautio moreretur:
Placére tamen primitias sanguinis quasi Arrham pretij:
Absoluendum negotium, cum totum pretium solueretur:
O dura belli, & pacis rudimenta!
O nomen IESV pretiosum, quod tanto sanguine emitur!
O quanti venditur mea salus!
Elicuére sanguinem Iosephus & Mater, & lacrymas miscuére.

XVII.

PVRIFICATIO.

ABSTINET *publico Virgo quasi Mater impura;*
Et nihil erat Mariâ purius nisi solus Deus.
Post quadragenos dies sistunt Infantem Deo, & erat Deus,
Redimit Mater filium, & Pater vendit:
Alieno pretio non egebat, qui emebatur suos
Columba filius erat & Agnus, & Mater turtur,
Amplectitur Simeon salutare Dei, & saluum se clamat:
Adorat Infantem Anna, & penè parturit:
Interea fit supplicatio, & erat supplex Deus;
Nullus hanc supplicationem æquauit triumphus:
Pars supplicationis erat Christus, & spectator Deus.

XVIII.

FVGA IN ÆGYPTVM.

AT *quale illud mysterium! monetur à Deo fugere Deus,*
Et cogitur exul esse, cui patria est omnis locus:
Docére nos voluit exilium esse quidquid non est cælum,
Et nos mundi huius hospites esse non ciues:
Nec tamen Ægyptus ignota Iosepho est;
Exul illic alter Iosephus, & pene Rex fuit;
Exularunt cum eo Iosephus, & Iesus,
Et nondum homo vterque, iam exul fuit.

XIX.

DVODENNIS IN TEMPLO.

DVODENNIS *auditor in Templo, & Doctor,*
Ea dixit de Deo quæ Deum sapiebant non Puerum:
Et poterat ex doctrinâ agnosci esse Deus;
Nisi Magistros malè puduisset esse discipulos:
Admirans Mater absentiam filij interrogat causam;
Obmutuit, cum filius de Patre æterno respondit.
Nec mora rediit ad fabriles operas Doctor legis;
Ne quære quid totis triginta annis egerit,
Latuit, & erat subditus illis;
Difficilis lectio tot annis doceri debuit.

XX.

CHRISTVS FABER.

EXERCENT artem lignariam Ioſephus, & Ieſus;
Ponit tyrocinium Deus ſub homine,
Diſcit aliquid qui nihil ignorat,
Docetur fingere rotas qui finxit ſtellas:
Aſpicit laborantes Mater, & ſegmenta colligit:
At heu dedolant Arbores olim Cruces futuras!
Et mortis, ac vitæ hæc officina eſt,
Joſephe non attingeres Arborem
Si ſcires mortem latère in arbore;
Nec tu Mater fragmenta colligeres:
Scit Chriſtus, & mortis olim futuræ iam faber eſt.

XXI.

VITA CHRISTI PRIVATA.

AT qualis hæc vita diuina, & ignota?
Scilicèt amat latère Deus, & intra ſe eſſe:
Ante orbem conditum Deus intra ſe vixit:
Et ſibi ipſe mundus, & domus, & ſocius fuit:
Idcirco tres intra Deum Perſonæ ſunt, ne ſolus ſit Deus:
Imitatus ſeipſum vt Deum, homo Deus.
Totis triginta annis apud Matrem latuit;
Nec tamen ſolus fuiſſe dicendus eſt dum cum Matre fuit,
Nec ſolus eſſe poteſt qui Deus & homo eſt,
Scilicet ſocius erat homo Deo, & homini Deus:

XXII.

VALEDICIT MATRI ITVRVS AD VITAM PVBLICAM.

HIS fère Verbis valedixit Matri Verbum Patris:
Vocor ad vitam publicam, nec deſero tamen priuatam,
Miſcebo vtramque, & publicus ero, & occultus:
Dedi annos triginta vitæ occultæ, tres dabo publicæ:
Inuiſam te identidem, & tu identidem ſequêris me,
Pars eris laboris mei, & ego tui,
Colligam diſcipulos, eorum tu quoque Mater eris:
Fiat, inquit Virgo, & annuit, & fleuit.

XXIII.

NVPTIÆ CANENSES.

NONDVM aderat miraculorum hora, nisi Maria adfuisset.
Euocauit miracula, quæ euocauerat Deum.
Deerat vinum Conuiuis, & Deus ipse Conuiua erat;
Deesse aliquid non debet, vbi adest Deipara:
Proponit filio defectum, nec repulsam passa desperat:
Monet famulos exequi mandata filij etiam subirati:
Nec mora, pulchro miraculo aquæ vertuntur in vina:
Mirantur famuli hauriri vinum ex aqua:
Et clamant puteum mutatum esse in dolium:
Scilicet ignorant Matrem esse quæ rogat, & Deum qui imperat.
Qui nunc aquas vertit in vinum, mutabit vinum in seipsum.
Bibitur interea opiparè, & bibuntur miracula.
Nec mirum si vinum est optimum, quod est miraculum.

XXIV.

MIRACVLA VITÆ PVBLICÆ.

MIRACVLO opus esset vt numerari possent miracula,
Dum loquitur, aures surdis: dum aspicit, oculos cæcis:
Dum tangit, pedes claudis restituit:
Paralysis, hydrops, lepra,
Morbi erant dum permitteret, sanitas cum iuberet:
Mors ipsa mirata est reddi sibi vitam, vel inuita:
Miratus Damon ipse tot miracula,
Credidit Deum esse qui faceret, & Deo non credidit.

XXV.

DOCTRINA CHRISTI.

AT qualis illa doctrina, quam appellat suam, & non suam?
Mea doctrina, aiebat, non est mea:
Si tua est ô Christe, quomodo non tua:
Et si non tua, quomodo tua?
Quid est tam tuum quam Tu?
Et quid tam non tuum quam Tu? si es alicuius quod es?
Tua non erat vt hominis, tua erat vt Dei,
Verba erant Verbi, & Verbum est Patris:

Sic tua doctrina erat, & non tua
Doctrina erat pronuntiantis hominis, & Dei loquentis:
Humana vox erat, & verba diuina.

XXVI.

VALEDICIT MATRI ITVRVS AD CRVCEM.

NVNC *denique diuellor à te Mater, & penè diuellor à me:*
Vocor ad mortem, & moriendum est Deo pro homine,
Promissi ab æterno hanc mortem, cum vadem me dedi;
Deest homini vnde soluat, & cautioni soluendum est:
Hic erit ordo passionis meæ, & tuæ:
Instituam hodie conuiuium mei, & tu sæpe vescêris me;
Tradar ab vno ex meis, & amicum appellabo dum tradet:
Accusabor, flagellabor, damnabitur Deus ab homine:
Denique videbis me morientem, & mori voles.

XXVII.

CONSPECTVS LVGVBRIS.

IBAT *oneratus Cruce ad Crucem Deus.*
Ferebat victima lignum in quo erat moritura:
Succubuit medio in itinere sub onere Arboris:
Heu quale pondus quo opprimitur ipse Deus!
Vidit cadentem filium Mater, & à filio visa est:
Obstupuit, expauit, defecit;
Sustinuit deficientem filius dum ipse deficit;
Hodieque ostenditur peregrinis deliquij locus.

XXVIII.

MARIA IVXTA CRVCEM.

STABAT *juxta Crucem Maria altior cruce:*
Filius patibulum Matri, Mater filio patibulum erat:
Crux erat opposita cruci:
Duplex, & vna arbor, gemina & vna victima:
Ne quære quid passa sit filio patiente:
Grauiora perpessa est quam omnes Martyres:
Sæpius moritura nisi miracula feciſſet vt Mater viueret;
Qui contra se miracula fecit vt mori posset.
Denique aspexit morientem, & mori voluit:

Excepit vlnis refixum è cruce filium,
Et quæ viuum genuerat pene enixa est mortuum.

XXIX.

MARIA IN TRIDVO MORTIS.

MARIA *hoc triduo penè exanimis fuit:*
Scilicet secutus erat animum filij, animus Matris:
Vterque ad limbos iuit, vterque ad Corpus rediit:
Nec dubito quin accelerarit reditum filij
Quæ accelerauerat aducntum Verbi.

XXX.

RESVRRECTIO FILII, ET APPARITIO MATRI.

REVIXIT *post triduum Filius, & cum Filio Mater,*
Huic prima apparuit quæ prima meruerat,
Et dum ostendit gloriam suam, pene effecit glorioſam.
Quid dixerint rediuiui meditari licet non effari:
Non est famuli explicare lætitias dominorum:
Tanta gaudia nec Mater toleraret sine miraculo:
Nec filius ferret nisi Deus esset.
Verbo vno dico, reuixit dum rediuiuum filium vidit:
Adorauit, amauit, & pene iterum Mater fuit.

XXXI.

ASCENSVRVS IN CÆLVM VALEDICIT MATRI.

REDEO *ad Cælum Mater vnde ad te veni:*
Euocabo te breui, vt illic Matrem habeam, vbi habeo Patrem:
Interea tu Ecclesiæ meæ Mater esto,
Volo Petrum Vicarium meum esse, & penè tuum.
Nec desero Ecclesiam cui Spiritum Sanctum substituo:
Mittam illum breui, ille procedit de meo.
Paracletus erit cæteris, & sponsus tibi:
Fiat, inquit Virgo, & quæ è Cælo euocauerat Verbum,
Verbum emisit ad Cælum.

XXXII.

PENTECOSTES.

ITERVM *descendit in Cor Virginis, qui olim descenderat.*
Repleuit totam domum, & penè mutauit in Cœlum,
Ceteri particulas ignis, Maria totam flammam excepit:
Ibi inhabitauit Spiritus, vbi Verbum habitarat:
Et potuit esse filius nisi sponsus esse maluisset:
Amauit tamen Virginem vt hospitem, & pene vt Matrem.

XXXIII.

SEQVITVR IOANNEM IN ASIAM.

ADMISERAT *Virgo Ioannem in filium, & ille in Matrem,*
Substituerat eum sibi Christus, & Virgo amabatur à Virgine:
Secuta est euntem in Asiam, vt Asiam consecraret;
Et dum Ioannes Ecclesias regeret, Ioannem rexit
Nec tulit præsentiam Mariæ Diana Ephesina;
Euanuit ad omnipotentiam Deiparæ Dea fabulosa:
Vt scias Ephesum Deiparæ placuisse:
Apud illam defensa est Virginitas Matris, & Maternitas Dei.

XXXIV.

MORITVR VI AMORIS.

AVIDA *erat Cœli Maria, & Mariæ Cœlum auidum erat:*
Rediit Ierusalem illic moritura, vbi filium viderat morientem:
Euocati ex variis orbis plagis Discipuli, vel adducti:
Eâ celeritate venerunt, quâ eunt Angeli;
Vident deficientem Matrem, & penè ipsi deficiunt;
Excessus Amoris erat non febris;
Nec mori nisi amore debuit, quæ amore viuebat;
Improbe amor quid petis amplius?
Occidisti filium, & Matri non parcis.

XXXV.

INCORRVPTA IN TVMVLO.

SENTIRE *pœnam originalem non debuit, quæ non admiserat culpam:*
Nec filius pati corruptionem potuit, nec Mater debuit.

Opprobrium esset vnius, probrum alterius:
Quid vermibus cum eâ carne quam consecrauit Deus?
Penè mutata est in spiritum dum corporauit Verbum:
Mortem tamen subiit, sed vt alienam pœnam, non suam:
Denique vi amoris obiit non febris, aut morbi:
At ignis dum absumit, illustrat quod vrit.

XXXVI.

ASSVMPTIO VIRGINIS.

AT qualis ille Currus cuius Aurigæ sunt immortales spiritus?
Qualis illa quæ ascendit, & cui Deus sit obuius?
Hæc est Regina naturæ, & pene gratiæ:
Tali pompâ excipienda erat, quæ Deum exceperat,
Assurge anime, dic aliquid sublimius,
Ante aduentum Mariæ regnabant in Cœlo tres Personæ,
Nec regnabant tres Reges.
Alterum thronum addidit homo Deus:
Aduentante Mariâ tertius thronus est additus:
Et nunc triplex in Cœlo regnum est, vbi erat vnicum:
Sedet proxima Deo Mater Dei:
Agnoscunt se subditos huic throno, Throni Angelici:
Et Mariâ inferius est, quidquid non est Deus.

XXXVII.

GRATIA, GLORIA, ET CVLTVS VIRGINIS.

QVANTA sit Mariæ gloria solus ille nouit qui contulit:
Sciebat Virgo artem fœnerandi cum Deo,
Et pulchro fœnore augebat merita meritis, & gratias gratiis,
Quæ primo vitæ momento plus habuit quam singuli Cœlites,
Credi potest extremo articulo plus habuisse quam omnes:
Nec dubium est quin plus habeat gloriæ, quæ plus habet gratiæ:
Atque hæc est mensura hyperduliæ, excessus gloriæ.

XXXVIII.

POTESTAS VIRGINIS.

QVÆRIS quid possit in Cœlo? est omnipotens:
Præfecit illam Deus thesauris, & beneficiis suis:
Qui seipsum dedit per Mariam,

Omnia vult nos habére per Mariam.
Nec liberalior eligi poterat dispensatrix, nec efficacior;
Cæteri Cœlites rogando impetrant, Maria penè imperando:
Subditus olim illi Deus nunc etiam paréret, si illa præciperet.
Nec tamen imperio opus est erga volentem.
Id quoque Deus Matri subdidit, ne à Matre aliud velit.

XXXIX.

PATROCINIVM VIRGINIS.

ELIGE *qualem velis Mariam, vult à te eligi,*
Aduocata est si times, mediatrix si non audes;
Asylum est miseris, altare reis, erarium egenis;
Orantibus donat, ingratis ingerit, inuitis obtrudit;
Neminem relictura miserum nisi esse velit;
Imo neque omnes patitur esse miseros, qui esse volunt;
Nemo queri de illâ potest etiam impius;
Patet omnibus etiam dum non patet Deus;
Post amissum Deum adhuc superest Mater Dei:
Et post naufragium adhuc se offert tabula nauis;
Abjecisti illam, periisti
Apprehendisti illam, euasisti.

SELECTA
ALIQVA PATRVM ELOGIA
DE EXCELLENTIA B. VIRGINIS.

I.

IMMVNITAS AB OMNI PECCATO.

AVguſt. l. de Natura & Gratia c. 36. Excepta B. Virgine de qua cum de peccatis agitur nullam prorſus haberi volo quæſtionem. Addit Auguſt. neminem eſſe liberum ab omni peccato proprio, niſi qui careat etiam labe originali, at ex Auguſtino B. Virgo caruit omni proprio, ergo etiam originali.

II.

IMMVNITAS AB ORIGINALI.

ORigenes in c. 1. Mathæi. Huius itaque Vnigeniti Dei dicitur Mater Virgo Maria, digna digni, immaculata ſancti, vnica vnici; & addit, accipe ergo eam ſicut commendatum cæleſtem theſaurum, Deitatis diuitias, ſicut pleniſſimam ſanctitatem, accipe eam ſicut Vnigeniti manſionem.

III.

MATERNITAS B. VIRGINIS.

D. Anſel. l. de excellentia Virg. c. 3. Intendat mens humana, intendat, & videat, & admiretur; vnicum filium ſibi conſubſtantialem Deus progenuit, hunc ſibi tam vnicum, & in omnibus omnino æqualem non eſt paſſus remanére ſolummodo ſuum, ſed eundem ipſum voluit eſſe B. Mariæ vnicum, & dilectiſſimum, & naturalem filium. Nec ita vt duo eſſent, vnus videlicet Dei Filius, & alter ſanctæ Mariæ, ſed vnus & idem ipſe qui Filius Dei eſt in vna perſona, Filius eſſet ſanctæ Mariæ, & qui Filius eſt ſanctæ Mariæ, idem Filius eſſet Dei.

IV.

DIGNITAS MATERNITATIS.

EPiphanius orat. de laudib. Virg. Solo Deo excepto cunctis superior existis. Idiota in contemp. de B. Virgine. Nemo æqualis est tibi, nemo maior te, nisi Deus. Anselm. l. de excell. Virg. Supereminentem omni quod post Deum hominem creatum est, excellentiam Dei Matris contemplari anhelans horreo, &c. hoc solum de B. Virgine cogitare quod Dei Mater est, excedit omnem altitudinem quæ potest dici aut cogitari potest.

V.

INFINITAS MATERNITATIS.

S. Thomas 1. p. q. 25. art. 6. Beata Virgo ex hoc quod est Mater Dei haber quandam infinitatem, ex bono infinito quod est Deus, & ex hac parte nihil potest fieri melius, sicut non potest aliquid melius esse Deo.

D. Bonau. in speculo c. 8. Ipsa est quâ maiorem facere Deus non potest: maiorem mundum facere posset Deus, maius cælum &c. maiorem Matrem quam Matrem Dei facere non potest.

Albertus magnus in Mariali c. 230. Filius infinitat Matris bonitatem.

VI.

ELEVATIO MARIÆ AD MATERNITATEM.

S. Bernard. tom. 1. Conc. 61. Quod enim Deus generet Verbum nulla in eo requirebatur dispositio, cum ei ex naturâ conueniret, vt per viam intellectus produceret per omnia sibi æqualem; sed quod fœmina Deum pareret fuit miraculorum miraculum, oportuit enim eleuari ad quandam æqualitatem diuinam per quandam quasi infinitatem perfectionum & gratiarum.

Augustin. tract. de 5. hæresibus. Ego Matrem de qua nascerer feci; Ego viam meo itineri præparaui.

VII.

PROXIMITAS CVM DEO.

S. Bernardus serm. in signum magnum. Quam familiaris ei facta es; Domina, quam proxima imo quam intima fieri meruisti? in te manet, & tu in eo, & vestis eum, & vestiris ab eo, vestis eum substantia carnis, & vestit ille te gloria maiestatis, vestis solem nube, & sole ipsa vestiris.

VIII.

FAMILIARITAS CVM DEO.

ALbertus magnus in Mariali. Maria per Maternitatem Deo fuit propinquissima familiaritate, similirudine, substantiæ identitate.

Bernard. serm. de B. Maria: In hac habitauit Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tanquam Creator in mundo, Imperator in Regno, Paterfamilias in domo, Sponsus in thalamo.

IX.

AFFINITAS CVM DEO.

S. Gregor. Nyss. orat. in laudem Basilij fratris, Magnitudo Virginis est affinitas, & necessitudo cum Deo.

Synesius in Carmin. Ipsa Marer, ipsa Soror, ipsa Filia, quibus si accesserit sponsæ nomen, omnem cognationis, & affinitatis rationem concluseris.

S. Thom. 2. 2. q. 103. art. 4. Beata Virgo specialem affinitatem habet ad Deum, in quantum est Mater Dei.

X.

SIMILITVDO CVM DEO.

S. Dionysius, Epist. ad Sanctum Paulum, Perspexi, atque propriis oculis intuitus sum Deiformem, atque super omnes Cælicos Spiritus sanctissimam Matrem; & addit. Testor eum, qui aderat in Virgine Deum, si tua diuina concepta menre me non docuissent, hanc ego verum Deum esse credidissem; quoniam nulla maior videri possit gloria, quam illa felicitas.

XI.

VNITAS, ET IDENTITAS ANALOGICA CVM DEO.

PEtrus Dam. serm. 2. de Natiuit. quarto modo Deus inest Mariæ, quia idem est quod illa; hîc taceat atque contremiscat omnis creatura, & vix audeat aspicere tantæ dignitatis immensitarem, Dominus recum, inquit Archangelus, habitat in Angelis Deus, sed non cum Angelis, quia cum illis eiusdem non est essentiæ, habitat cum illa, cum quâ vnius naturæ habet identitatem.

August. serm. 4. de Assumpt. Caro Iesu caro est Mariæ, & multo spe-

cialius quam Ioſeph Iudæ, cæterorumque fratrum eius, quibus dicebat, caro noſtra & frater noſter eſt.

XII.

B. VIRGO HONORATVR A FILIO.

HIppolytus orat. de S. Qui dixit honora Patrem & Matrem vt decretum à ſe promulgatum ſeruaret, omnem gratiam Matri & honorem impendit. D. Damaſc. orat. 1. de dormit. Deiparæ. Chriſtus bonus legiſlator, etſi legi minus ſit ſubiectus, legem tamen quam de honorandis Parentibus ſanxit implens, Matrem honorat.

XIII.

DOMINIVM QVODDAM HABET IN CHRISTVM.

S. Bernardus ſerm. 2. ſuper Miſſus. Mirare vtrumliber, & elige quid amplius mireris, ſiue Filij Dei benigniſſimam dignationem, ſiue Matris excellentiſſimam dignitatem, vtrimque ſtupor, quod Deus fæminæ obtemperet, humilitas ſine exemplo, & quod Deo fæmina principetur, ſublimitas ſine ſocio.

Petrus Damiani ſerm. de Natiu. Accedis ad illud diuinæ ſeueritatis tribunal, non rogans ſed imperans, domina non ancilla, quomodo enim poteſtati tuæ obuiare poterit poteſtas illa, quæ de tuis viſceribus traxit originem.

Richardus à S. Laurenrio, lib. 2. de laud. Virg. Non ſolum poteſt filio ſupplicare, ſed etiam poteſt aurhoritare materna eidem imperare.

XIV.

OMNIPOTENTIA QVÆDAM MARIÆ.

BErnardinus Senenſis tom. 1. ſerm. 61. art. 3. cap. 36. Hæc inquit propoſitio vera eſt, imperio Virginis omnia famulantur, eriam Deus.

Richardus à S. Laurentio lib. 2. de laudibus Mariæ, ſola detinet iram Dei ne ſtatim vindicet nos.

XV.

PATROCINIVM VIRGINIS.

D. Bernardus ſerm. 1. ſuper Miſſus. Sicut à te deſpectus, & auerſus neceſſe eſt quod pereat, ſic ad Te reuerſus, & à Te receptus impoſſibile eſt quod pereat.

Idem Bernardus. Neminem vidi accedentem ad Te, qui perierit, neminem à Te recedentem qui non perierit.

IN ILLVD SANCTORVM PATRVM MARIA DONVM DEI, ET DONORVM DOMINA.

DECEM ELOGIA.

I.

MARIA DONVM DEI.

DONAVIT Deus hominibus Mariam, & illa hominibus donauit Deum, mutua liberalitas est, & alternum certamen; vinceret Maria nisi accepisset quod donat: nihil tamen extra donauit Deus maius Virgine, nisi cum donauit seipsum; sed neque seipsum dedisset, nisi Virginem donasset priorem.

II.

MARIA DONVM TRIVM PERSONARVM.

PLACET vlteriùs ire, & maius aliquid de Mariâ dicere: donauerat intra se Deus, quidquid intra Deum donari potest: dederat omnia filio Pater, præter characterem Patris, dederat vterque omnia spiritui almo præter titulum spiratoris: Cum neque esset alius intra Deum qui donare posset; neque alius qui posset accipere, experiri voluerunt nobiles personæ quid possent donare extra se; electa est Maria in qua tres Personæ explorarent quid donare possent.

III.

MARIA DONVM PATRIS ÆTERNI.

SEMEL locutus Pater æternus vno Verbo omnia dixit, & semel vno auditu omnia Verbum audiit: nec Pater plura dicere intra se, nec Verbum plura poterat audire: Ne vnica tantum Patris locutio esset, electa est Virgo cui Pater iterum Verbum diceret, & quæ Patri rursus Verbum repeteret: excepit Verbum Maria hominem fecit, & Patri reddidit. O eloquentem fœminam quæ Patrem æternum loquentem, & Verbum iterum vocale fecit.

IV.

MARIA DONVM FILII.

EXHAVSERAT intellectum Patris æterni Filius vnicus, neque intra Deum alter gigni poterat, neque idem iterum nasci: & tamen auidus

nouæ Natiuitatis Filius Matrem optabat similem Patri. O rem miraculo maiorem! substituit sibi Matrem Pater æternus, & Filius qui Matrem nascens non habuit, renascens inuênit: sic idem bis genitus, idem bis natus: idem Patris æterni iterum Filius fuit.

V.

MARIA DONVM SPIRITVS SANCTI.

AMANT se inuicem Pater æternus & Filius; debet esse vnus qui amet; debet alter esse qui redamet; debet esse tertius qui amorem excipiat quo vterque se amat: sic absoluitur intra Deum amabilis circulus; nec plures personas admittere potest Diuinitas tribus plena; nec paucioribus esset beata: Ne tamen Spiritus omnino infæcundus esset, elegit extra Deum in Sponsam Virginem, impleuit gratia, obumbrauit, adiuuit; Deipatam fecit; sic intra Deum sterilis, foris fæcundus fuit.

VI.

QVALE, ET QVANTVM DONVM MARIA.

QVALE & quantum Dei Donum sit Deipara ex eo collige; hæc Patrem æternum imitata eundem Patris Filium de suo iterum genuit; non eguit Matre Pater Diuinus vt Verbum gigneret; nec Patre Virgo vt Verbum conciperet; admisit illa quidem Spiritum Sanctum, sed vt Sponsum non Maritum, & Spiritus Sanctus Adiutor fuit, non Genitor; scilicet efformauit Corpus Infantis, sed de alieno, non de suo. O Matrem Patri æterno similem! neque ille fœminam nouit, neque hæc virum; & Patrem oportuit esse Virginem, vt Verbum gigneret, & Mater Virgo esse debuit, vt Deipata esset.

VII.

MARIA DONORVM DOMINA.

QVID mirum si hæc Donorum Domina est, cui Deus donauit seipsum, & quæ hominibus donauit Deum; nec deest illi voluntas donandi, quæ à Deo donare didicit, nec facultas quam Deus penè omnipotentem reddidit; nec desunt donanda cui Deus donauit omnia; neque illa est tantùm administra Donorum, sed Domina; rogare potest Filium volentem donare, & vrgere nolentem, & ille olim subditus Matri nunc etiam rogari potest, & vrgeri; nec tamen vrgendus est, qui legis obseruans quam tulit, reueretur Matrem, explorat eius vota, & præuertit imperia.

VIII.

DEIPARA ECCLESIÆ DOMINA.

DOMINA est Ecclesiæ Deipara, & Mater & filia; subdidit illi Christus Ecclesiam suam cum seipsum subiecit; Matrem quoque Ecclesiæ fecit dum fecit suam; Eadem filia est Ecclesiæ dum est filia gratiæ: genuit illa gratiam dum filium genuit, sed gratia fecit vt gigneret.

IX.

DEIPARA DOMINA SVMMORVM PONTIFICVM.

HÆc quoque Domina & summorum Pontificum; non essent illi Vicarij filij nisi essent administri Matris: Angularis Ecclesiæ lapis est Christus, & Maria lapidis Angulus; hæc fecit vtraque vnum dum fecit hominem Deum; huic lapidi, & Angulo inniti debent summi Pontifices vt sint immobiles.

X.

DOMINA REGVM.

ET Sceptra quoque & Coronæ sunt dona Virginis, Deus vt nobiles subditos haberet fecit Reges, vt Matrem honoraret eosdem esse voluit subditos Matri suæ: Maius aliquid dico, Deus ipse dum apud nos viueret subditus esse voluit Matris, nec tantum filius; inde illa reuerentia Regum erga Virginem, fecit illam Deus Regum Dominam dum fecit Deiparam.

IN ILLVD CANTICI MARIANI
ECCE ENIM BEATAM ME DICENT OMNES GENERATIONES.
INDVCTIONES DIVI BERNARDI.

I.

BEatam me dixit Pater æternus cum Deiparam fecit:
Increati Verbi Pater, Matrem me esse voluit Incarnati.

II.

Beatam me dixit Dei Filius, cum elegit in Matrem:
Semel ex Patre natus, per me est iterum Filius.

III.

Beatam me dixit Spiritus Sanctus cum elegit in Sponſam:
Sponſus, non Maritus Matrem de meo me fecit, non de ſuo.

IV.

Beatam me dixit Archangelus cum Virginem ſalutauit:
Euanuit ad Majeſtatem nominis cum Deiparam ſciuit.

V.

Beatam me dicunt ſummi Pontifices, & per me ſunt magni;
Adminiſtrant Imperium filij, & Regnum Matris.

VI.

Beatam me appellant Reges terrarum, & Principes:
Gerunt vices Dei dum imperant, & Matris dum regnant.

VII.

Beatam me vocant Galliarum Reges, Regum primogeniti,
Non eſſent Reges Chriſtianiſſimi, niſi eſſent Mariani.

VIII.

Beatam me dicunt beatæ Cœlitum mentes;
Poſt aſpectum Dei, pars aliqua gloriæ eſt aſpectus Virginis.

IX.

Beatam me appellant omnes amantes beatitudinis;
Vt ſperare illam poſſint, ego ſum Mater ſpei.

X.

Beatam me appellant peccatores, & miſeri;
Poſt amiſſum Deum, nondum fecére iacturam mei.

DEVISES SVR LES SOLEMNITEZ DE LA SAINTE VIERGE.

I.

SVR LA CONCEPTION.

Vne Perle conceuë dans ſa Nacre.

Intra vterum iam pura fui.

II.

SVR LA NATIVITE'.

L'Halcyon faiſant ſon Nid parmy les tempeſtes.

Pacem afferet vndis.

III.

LA VIERGE DANS LE TEMPLE AVEC SES COMPAGNES.

Des Abeilles dans leurs Ruches.

Mella parant, Ceramque Aris.

IV.

SAINT IOSEPH MARIE' A LA VIERGE.

Le Roy des Abeilles marié, & Vierge.

Fide non corpore coniux.

V.

L'ANNONCIATION A LA VIERGE.

Vne Echo dans ſon Rocher.

Soli ſum peruia Verbo.

VI.

SVR LA VISITATION.

Deux Palmes s'entre-baiſans de leurs Cymes.

Blanda ſe pace ſalutant.

VII.

SVR LA NATIVITE' DV SAVVEVR.

Vne Aigle ayant enfanté vn Aiglon.

Lætatur genuiſſe parem.

VIII.

VIERGE APRÈS L'ENFANTEMENT.

Vn Soleil penetrant vn Cryſtal.

Peruadit, nec lædit iter.

IX.

SVR LA PVRIFICATION.

Les Macules du Soleil ſont des Eſtoiles.

Ex maculis facit Aſtra ſuis.

X.

IESVS TRENTE ANS AVEC LA VIERGE.

La Lune ſous le Soleil.

Totum ſi poſſet haberet.

XI.

LA VIERGE AV PIED DE LA CROIX.

Vne Lune en Eclypſe.

Morientis ſyderis vmbra.

LA

XII.

LA VIERGE DEFENDVE PAR SON FILS DANS LE SEPVLCRE.

Le Roy des Abeilles sur sa Ruche.

Sua Regna tuetur.

XIII.

L'ASSOMPTION DE LA VIERGE EN CORPS.

Vne Naere dépoüillée de ses Perles.

Exuuiis debetur honos.

XIV.

LA VIERGE DANS LE CIEL.

Le Signe de la Vierge entre le Lyon, & la Balance.

Cœlestes temperat iras.

XV.

LA DEVOTION A LA VIERGE.

L'Estoile Polaire.

Qui me non aspicit errat.

ELOGIVM POËTICVM

SACRÆ SYNDONIS BISONTINÆ.

NON Mundi hæc sed mappa Dei est; prior illa rotundi
Interualla globi, laudesque, & probra locorum,
Et pacem, & pugnas chartâ permiscet in vnâ,
Et punctum est quod tot calamis, gladiisque secatur;
Hic cursus, casusque hominum, nec arena timetur.
Plus mundo mappa ista gerit, vaga machina mundi,
Pendet diuinæ librata è pollice dextræ,
Fert totam tela ista manum; Deus omnia Verbo
Sustinet, & tanto incumbit leue pondus Athlanti;
Et Deus, & totum portatur Syndone Verbum.
Vtrique hoc dispar tabulæ, nuda orbis imago est,
Hæc magni plusquam vmbra Dei; vis illa cruoris
Quæ manuum, & lateris plagas, atque ora colorat,
Hæc sanies olim Verbo sociata marito est,
Nunc etiam retinet venerandum in Syndone Numen,
Et Sponsi monimenta Dei. O venerabilis humor!

O animæ ſedes diuinæ! ô amabile vindum
Quo nupſit Natura Deo! Te ſanguis adoro
Sub magnâ viuentem animâ, perque humida membra
Miſcentem Verbo humanæ commercia vitæ;
Te veneror laceræ rorantem è vulnere carnis,
Dum totum fons corpus erat; Tu lance repoſtus
Diuinâ, & iuſtæ pendens examine libræ
Humanis pondus vitiis æquale fuiſti,
Et culpam ſuperauit onus. Te rurſus adoro
Alme cruor, telamque tuo de rore madentem;
O ſacræ pretium telæ, quam pictor inumbrat,
Et tingit de rore ſuo: Non doctus Appelles,
Non ita Protogenes proprio ſe ſanguine pingit,
Et color, & propriæ lumen, radiuſque tabellæ,
Et Pater ipſe ſui. Quid ſi poſt funera Chriſtus
Diuinum producit opus? ſi morte ſepulti
Illuſtrant pingentem oculi? ſi dextera vinclis
Implicita efformat varias immota figuras,
Et pingit quod neſcit opus? quid ſi vmbra ſepulcri,
Et ſitus, & tenebræ, & viua mors proſuit arti?
Quinetiam has adhibet Deus ad miracula cauſas,
Et famulas operas, ſic dum componeret orbem,
Naſcentis primùm mundi inſtrumenta ſuêre
Et nihilum, & tenebræ; ſic vt ſudaria pingat
Et cinis, & tumulus, tenebræque, & ſqualor, & ipſa
Mors famula eſt; gaudet Domino parêre iubenti,
Et vitam dat vitæ expers: Vix Chriſtus ab vmbris
Lethiferis olidum plorans clamarat amicum;
Ecce tibi tumuli rupto de carcere prodit
Lazarus, & victi præfert ſpolia ampla ſepulcri;
Res noua! lethales adſtringunt membra catenæ,
Vincta tamen ſe crura mouent; mors viua putatur,
Ambulat effoſſus cinis, & ſudaria viuunt.
Hæc quiſquis maiora putas, expende jubentis
Imperium, tunc quæ mundus miracula credit,
Ars erit, & Natura Dei: non aridus illi,
Et ſterilis ſermo, non infœcunda voluntas,
Nutum opus, & vocem dicentis facta ſequuntur.
Dixerat, & verbo tellus ſtetit, vnda cucurrit,
Aërque, & Cœlum nutu ſublime pependit.
Dixerat, & ſanguis per telam ex ordine fluxit,

Et caput, & manuum labes, & pectoris antrum,
Idem opifex mundum fermo, & ſudaria pinxit.
Nil ego iam miror mediæ per prælia flammæ,
Arſiſſe illæſam telam, vivoſque colores,
Sub cinere, & calce, & gelidis rubuiſſe ſub vndis
Ridet aquas Syndon, flammas irridet edaces,
Ex quo pingentis rubuit de murice Chriſti,
Et picto bibit ore Deum: Bellator Hebræus
Quo duce pugnantes equitarunt aëre nubes,
Et miles natura fuit, medio æthere vidit
Radices egiſſe rubum, cui brachia circum,
Armataſque comas horrentis acumine ſpinæ
Flamma equitans, rubeiſque affigens oſcula linguis,
Pugnæ inſtar pulchri edebat ſpectacula ludi;
Attonitus viſis Moſes, dum lumina figit
Altius, in medij miratur pectore dumi
Præſentem latitare Deum, circumque tribunal
Purpureum roſeis hæc verba inſcripta figuris,
Viuitur in flammis, inter contraria pax eſt.
Siſte tamen Moſes, hæc temporis vmbra futuri,
In mediis Virgo flammis, & Chriſtus in igne eſt,
Et iam tum in mediis ludunt ſudaria flammis,
Quidni ignis telæ parcat, qui luſit in vmbrâ!
Nec ſolæ telam flammæ ſed tempus adorat,
Et fluxum reueretur opus; ſi ferrea Syndon,
Si magnes, Adamaſque eſſet, ſenſiſſet edacis
Detrimenta æui, rodentemque omnia limam:
Quod duret Deus eſt, parcunt elementa cruori,
Et telæ impreſſam venerantur ſecla figuram.
Expende annorum ſeriem, dilapſaque ſecla,
Ridebis ſenuiſſe cedros, pallére metalla,
Marmoraque, & ſenibus gemmas horreſcere rugis,
Et iuuenem Telam illæſâ durare figurâ,
Mutato toties inter tot ſecula mundo.
Quid tibi Chryſopolis Tela dubitatur origo?
Donataque annus veſtis, creſſoque lapillo
Obſignanda dies? celauit tempora Chriſtus
Vt ſolus ſit doni Author, quid tempora curas?
Authoremque hominem, dum Tela & munera conſtant,
Et toto patet ore Deus.
Ecce Deum plenis Elementa in Syndone linguis

Proclamant, & ne voci experientia deſit,
Facundis euulgat homo miracula membris,
Expertumque Deum: quis veri certior Author
Eſſe queat, quam dum ſpectat miracula cæcus?
Quæ tuba nobilior quam dum præconia mutus,
Et Telæ laudes loquitur: plantæque, manuſque,
Sanatique artus ſacri ſunt pignora doni,
Et totidem teſtes iurant ſudaria linguæ.
Quinetiam Telæ numen confirmat Auernus,
Et dum eiuratæ clamant incendia laruæ,
Plus aliquid Tela eſt quod ſic torquere fatentur:
Torquet idem in Tela numen, quod torquet in igne.
O quantus Chriſte es, cuius ſic vmbra timetur!
Quam dulces artus quorum ſic veſtis amatur!
Dulces exuuiæ, blandum, & venerabile munus;
Vmbra Dei, Sanguis Chriſti, & cum ſanguine numen.
Igniuomis vates raptus ſublime quadrigis;
Et virgam, & mœſto chlamydem legauit amico:
Plus aliquid Chriſtus legat; ſic Syndon imago eſt,
Vt ſanguis quo picta rubet; ſub numine membrum
Parſque Dei fuerit. Felix hoc munere tanto
Chryſopolis, tela dignata, & ſanguine Chriſti:
Ante tibi pulchro nomen ſplendebat ab auro;
Maior honos ſurgit, nunc Chriſti, & ſanguinis hæres,
Debes Chriſtopolis mutato nomine dici.

ELOGIA DEI.

I.

EXISTENTIA DEI.

NON exiſteret Mundus, niſi exiſteret Deus:
Nec nauis ſine gubernatore,
Nec tabella ſine pictore,
Nec ſine Architecto Palatium,
Nec ſine Rege imperium,
Nec ſine Duce exercitus;
Nec ſine Deo eſt mundus.
Si Elementa, ſi rupes, ſi arbores loqui ſcirent,
Loquentis naturæ vox vna hæc eſſet, datur Deus.

Nemo de Deo dubitat etiam impius,
Solus in corde ſuo Deum negat:
Sed dum ſic negat, affirmat.
Cæteris in rebus ignari eſſe poſſumus;
Omnes hac in parte Chriſtiani ſumus.

II.

NATVRA DEI.

NE quære genus Dei, nihil habet commune;
Nec differentiam, totus ab aliis differt;
Nec accidentia, totus ſubſtantia eſt;
Vis ſcire quid ſit Deus,
Apex Entium, vertex rerum,
Ens à ſe, Actus purus,
Nullus de alieno, totus de ſuo,
Fons fluminis ſui,
Oceanus ſeipſo plenus,
Nullius egens, & quo omnia egent,
Id quo nihil eſt melius,
Hic eſt Deus.

III.

VNITAS DEI.

VT ſcias Deum eſſe vnum, quære quid Deus ſit,
Non eſſet Actus purus, niſi eſſet vnus.
Non eſſet id quo nihil eſt melius, niſi eſſet ſolus;
Si eſſent plures, ſinguli haberent ſua, non omnia;
Deeſſet igitur alteri, quod alter habet,
At ille non eſt Deus, cui aliquid deeſt:
Et liberi eſſent ſinguli, ſi eſſent Dij:
Poſſet igitur alter nolle quod alter vellet,
At ille non eſſet Deus, cui reſiſteret Deus:
Nullitas Numinum eſt pluralitas Numinum;
Vnicitas Dei, eſt Dei veritas.

IV.

TRINITAS PERSONARVM.

DIVINIVS penè eſt Deum Trinum eſſe, quam vnum,
Demonſtrat vnum Theologia, non demonſtrat Trinum,

Publica penè est vnitas Dei, arcana Trinitas:
Latet sub velo fidei, & credi potest non sciri.
Quis illud intelligat naturam diuinam vnitate distribui?
Conflari numerum, nec ab vnitate recedi?
Communicari naturam, nec diuidi.
Quis capiat tres esse Personas, non substantias,
Cur inter æquales vna sit prima,
Cur nec pauciores esse possint, nec plures.
Quis explicet Patrem priorem esse filio, non antiquiorem,
Spiritum Sanctum spirari, non gigni
Procedere æqualem Patri, non similem,
Aut similem filio esse, non fratrem.
Superant hæc omnia rationem, non fidem,
Exceditur humana ratio non fallitur,
Et adiuta alieno lumine scit pene quod credit.
Debet intra se Deus exercere societatem, ne sit solus,
Debet loqui posse, ne sit mutus,
Debet igitur vnus esse qui dicat,
Debet alter esse qui audiat,
Debet tertius esse qui dicta diligat.
Debet vnus esse qui amet, debet alter esse qui redamet,
Debet tertius esse cui vterque amorem communicet,
Sic absoluitur numerosus diuini amoris circulus:
Nec locus est quartæ Personæ, Deum exhaurire tres primæ.

V.

PATER ÆTERNVS.

Hic sine Auis, & Proauis, sine Patre, & Pater sui:
Ante mundum, & ante nihilum,
Æternitatem vidit, & fecit.
Post æternitatem mundum ex nihilo creauit, cum voluit,
Ante mundum genuit Verbum ex seipso, non ex nihilo:
Locutus est, nec potuit loqui nisi alteri,
Alterum illum produxit, cum dixit
Dedit illi omnia sua, vt esset æqualis,
Fecit imaginem sui, vt esset similis,
Nihil excepit nisi titulum Patris, quem dare non potuit:
Sic tamen omnia dedit, vt nihil amiserit,
Fecit de suo diuitem, nec se pauperem.
Sufficit eadem diuinitas duobus, & sufficit tribus:

Solus ex se produxit Verbum, & cum illo Spiritum,
Minus esse non debuit fœcundus corde quam mente:
Prior utroque, non tamen antiquior est nec maior,
Prioritas est originis, non ævi, aut temporis:
Æquæva vitæ sunt qui semper vixére.

VI.

VERBVM ÆTERNVM.

Hic fœtus mentis Paterna, & Verbum oris,
Videntis speculum, Echo loquentis,
Alius est à Patre non aliud.
Eloquens Pater omnia Verbo uno dicit, & uni,
Nec alius esse potest qui dicat,
Nec alius esse qui audiat,
Nec præter id quod dixit est aliud:
Exhaurit magnum Oratorem sermo unicus,
Nihil habet ultra quod dicat, qui dixit omnia;
Non intermittit tamen dicere qui semel dixit,
Singulis momentis, idem dicit, nec repetit,
Semper genitus est Filius, & semper gignitur;
Cessaret Pater esse, si cessaret dicere,
Cessaret Filius esse, si cessaret audire,
Et si esse posset in Deo silentium,
Nec Pater esset, nec Verbum.

VII.

SPIRITVS SANCTVS.

Hic à Patre & Filio non ore sed corde,
Nec linguâ procedit sed flammâ,
Pater & Filius duo spirantes, nec duo spiratores;
Uno Spiritu, & mutuo impetu,
Eliciunt flammam quam anhelant;
Procedit à duobus Spiritus unus,
Halitus oris, vapor cordis,
Gemini amantis unum osculum;
Gemini spirantis unum suspirium;
Patris & Filij cor unicum.
Exhaurit spirantes anhelitus unus,
Nec tamen amare cessant, dum semper anhelant;

Ceſſarent viuere, ſi ceſſarent ſpirare.
Sic Patris fœcunditas exhauritur in Verbo,
Sic Pater & Filius quieſcunt in oſculo,
Sic tres Perſonæ implent amabilem circulum,
Sic extendunt triangulum, nec deſerunt centrum.

VIII.

VERBVM INCARNATVM.

HIc ex Deo homo, ex homine Deus,
Naturam diuinam innata purpurâ,
Humanam veſtiuit aliena.
Illam terminans, hanc ſuſtentans, vtramque copulans,
Eundem ſemel hominem, ſemel Deum
Eadem coronâ bis Regem facit.
Idem infinitus, & finitus,
Idem æternus, & nouus,
Idem Deus & homo eſt vt ſit Ieſus.
Idem homo eſſe debuit, vt debitor eſſet.
Idem Deus eſſe debuit vt poſſet ſoluere.
Idem immortalis, vt Deus,
Homo eſſe voluit vt mori poſſet.
Idem hominis miſertus, vt Deus.
Vt experiretur miſericordiam miſer eſſe voluit.
Idem de homine cogitat gemino intellectu.
Idem homines amat duplici affectu:
Idem bis liberalis vt tribuat,
Bis miſericors vt parcat,
Bis potens vt protegat,
Idem geminatas virtutes habet, vt ſæpe ſit bonus.
Denique vis ſcire quid ſit Ieſus?
Plus aliquid dicit Ieſus quam Deus.

IX.

INFINITAS DEI.

NOn eſſet Deus niſi eſſet infinitus,
Poſſet creſcere ſi eſſet finitus,
Poſſet melior eſſe, niſi eſſet optimus,
Poſſet maior eſſe, niſi eſſet maximus,
At Deo nihil poteſt eſſe aut maius, aut melius:

Neque

Neque vno tantùm modo infinitus eſt Deus, ſed omnibus,
Infinite ſapiens eſſe debet vt ſciat omnia,
Infinite potens vt faciat:
Niſi eſſet infinite ſapiens, eſſet aliquid quod neſciret,
Niſi eſſet infinite potens, eſſet aliquid quod non poſſet,
Illud aliquid eſſet nihil:
Nec tamen nihil eſt aliquid:
Vnum eſt quod Deus non poteſt, errare,
At hoc eſt infinite ſapientem eſſe, non poſſe peccare.

X.

IMMVTABILITAS DEI.

IMMVTABILIS *eſt Deus omnia mutans,*
Mutare non poſſet omnia niſi eſſet immotus,
Idem ſemper, non alius,
Nunquam nouus, nunquam vetus,
Semper nouus, ſemper vetus,
Vidit iuuenem mundum, & videt ſenem,
Nec iuuenis ipſe, nec ſenex.
Nec mutare locum poteſt qui vbique eſt,
Nec ſitum qui figurâ caret.
Nec mutat conſilia quæ ſunt æterna.
Nihil videt oculus infinitus quod ſemper non viderit,
Nihil amat quod ſemper non amauerit,
Nihil odit quod ſemper non oderit,
Nihil decernit quod ſemper non decreuerit,
Scilicet deſtinauit ab æterno agenda in tempore.
Noua ſunt opera non decreta:
Mutatur tempus non æternitas,
Et quod iam facit, penè ante iam fecerat.

XI.

ÆTERNITAS DEI.

NE *quære Auos Dei, maiores non habet,*
Si haberet eſſet iunior, & Auus Deus eſſet, non Nepos.
Nec quære quando inceperit.
Nunquam incepit qui ſemper fuit.
Semper fuit qui aliunde nihil accipit.
Fundamentum entium nihil habet antiquius,

Principium rerum nihil habet prius:
Deus Authorem non habet, neque ipse est Author sui.
Prior esset seipso, aut posterior.
Deus est ens à se, nec tamen est effectus sui.
Nec existit Deus quia durat,
Durat quia existit.
Caterarum rerum mensura est tempus;
Deus est mensura temporis, & aternitatis.

XII.

IMMENSITAS DEI.

IMPLET *omnia spatia Deus, nec impletur:*
Intra omnem locum est, & extra omnem locum,
Ante mundum, ipse sibi mundus erat, & locus.
Ne quære vbi erat, quando nihil erat,
Intra seipsum erat,
Non accessit ad mundum, quando illum condidit,
Nec recederet si illum destrueret,
Intra Deum esset Deus, & vbique esset:
Neque est vbique per portiones sui,
Partes non habet qui est Spiritus,
Si diuidi posset non esset Deus:
Totus est intra mundum Deus, totus extra illum;
Partes habet locus, non Deus.
Facile vbique totus est, qui est infinitus.

XIII.

SAPIENTIA DEI.

SCIT *omnia Deus, & nihil didicit;*
Nihil obliuiscitur, & nihil meminit:
Nihil addiscit noui quod semper non sciuerit:
Scit præterita quia illa fecit,
Scit præsentia, & illa aspicit;
Scit futura quia illa decernit,
Scit quod nunquam erit, & quod esset si decerneret.
Scit ipsum nihil, & dum nihil scitur penè est aliquid,
Videt res omnes extra se, & intra se videt,
Spectator est rerum, & speculum,
Pictor, est & imago innata non facta,

Viuunt in hac imagine res expertes vitæ,
Meliores in Ideis sui, quam in seipsis,
Pene illis nocet Deus, dum extra se facit.

XIV.

OMNIPOTENTIA DEI.

QVÆRIS quid possit Omnipotens Deus?
Potest id omne quod vult,
Non vult tamen id omne quod potest:
Post omnia potest plura,
Non potest id totum facere, quod potest facere:
Non potest facere nunc, quidquid potest facere vnquam:
Exhauriret potentiam suam si omnia faceret:
At magno artifici debet supersesse quod possit.
Nobilior est opere ipso, modus operis:
Nec sociis eget ad bella, nec auxiliis,
Musca illi miles, & rana exercitus est:
Vocat ea quæ non sunt, & dat arma dum vocat,
Audit imperantem nihilum, & quasi ex vtero generat munum.
Vnum est quod non potest Deus, peccare,
At hoc est potentem esse, malum esse non posse.

XV.

BONITAS DEI.

A DEO bonus est Deus, vt nemo præter eum sit bonus:
Neque est bonus tantùm, sed ipsa bonitas:
Neque hæc est vna virtus, sed omnium cumulus:
Totum Deum dicit qui appellat bonum.
Neque intra Deum hæc bonitas sistit:
Particulas sui diuisit cum mundum condidit:
Maior portio bonitatis homo fuit,
Totam se effudit cum Deum hominem fecit,
Fallor tota exiuit ex Deo, tota in Deo stetit;
Satis est tribus Personis eadem bonitas,
Vt sit satis, est infinita.

XVI.

CHARITAS DEI.

HÆc adeò fœcunda est vt intra Deum spiret Deum.
Amant se Pater, & Verbum, & dum se amant Deum spirant,
Halitus est Patris, & Filij Spiritus Sanctus,
Osculum est duorum receptum à Tertio,
Fœcundum osculum! quod imprimit Deum Deo.
Sistere intra Deum hæc Charitas non potuit;
Sic Pater dilexit mundum vt Filium vnicum dederit,
Sic Pater & Verbum amarunt, vt donarint Spiritum,
Dedisset seipsum Pater, si fuisset qui donaret.
Dedit tamen seipsum, dum donauit hæredem suum.

XVII.

SVAVITAS DEI.

LAVDATVR suauitas diuina dum gustatur:
Nouum elogij genus gustu laudare, non gestu.
Gustauerat illam Regius Propheta cum diceret
Gustate, & videte quam suauis est Dominus;
Hæc affusa diuinis virtutibus illas temperat;
Seuerior esset iustitia nisi suauitas illam leniret,
Fortior esset omnipotentia nisi suauitas temperaret.
Nec modus tantum virtutum, suauitas est, sed amabilis virtus,
Hæc hominem admittit ad colloquium Dei.
Hæc Deum homini familiarem facit.
Gustant se inuicem Personæ diuinæ, dum se amant,
Gustant Beati, & potus est illis Deus, ac cibus.
Quale conuiuium gustare Deum, & habere conuiuam!

XVIII.

PATIENTIA DEI.

QVALIS illa patientia quæ saturari probris non potest?
Quinquaginta seculorum injurijs irritatus Deus,
Expectat interitum mundi, vt longius pati possit;
Quasi injuriæ non essent satis, dolores addidit,
Humanum corpus induit, vt lædi posset, & mori.
Sæpe moriturus nisi miraculo vitam seruasset,

Miracula fecit, vt pati posset.
Illustrius aliquid addo, & miraculo maius,
Rediuiuus, & immortalis inuenit nouum genus moriendi.
Instituit sacrificium in quo victima esset.
Et quoties immolatur, toties mysticè moritur.

XIX.

CLEMENTIA DEI.

HÆC est ars Dei nobilissima parcere posse, & velle,
Parcere nolunt, aut nesciunt ignobiles animæ,
Nihil diuinius facit Deus quam dum ignoscit.
Ac vide Clementiæ modum vltra omnem modum,
Parcit armatus dum vlcisci potest,
Parcit ingratis, & sæpe;
Plus aliquid dico, parcit inuitis;
Pepercit ab ineunte mundo, & perseuerat parcere,
Audi aliquid diuinius, præuidit peccaturum mundum, & condidit;
Audi aliquid maius, quieuit septima die post mundum conditum;
Quæris causam quietis, peccauerat homo, inuenit cui parceret.

XX.

MISERICORDIA DEI.

HÆC virtus iterum, & sæpe Deum Creatorem facit;
Creauit hominem dum extraxit ex nihilo naturæ,
Creat dum educit ex nihilo miseriæ,
Creat dum attollit ad statum gratiæ.
Audi quàm valde placeat Deo hæc nobilis virtus,
Patrem se misericordiæ appellat, non iustitiæ,
Scilicet de alieno iustus, misericors de suo,
Miseretur volens, punit inuitus,
Miserum penè se putat dum miseros videt;
Neminem creauit Deus vt esset miser,
Nemo esset miser, nisi esse vellet;
Quod velit tota culpa est miseri, nulla Dei.

XXI.

LIBERALITAS DEI.

HÆC est indoles Dei, magna largiri;
Hoc est Deum esse benè omnibus facere;

Egenæ naturæ donare nolunt, aut neſciunt;
Exhauriri timent, ſi aliquid donent;
Fons exiguus perire ſe credit dum fluit.
Oceanus gaudet tot filios habere quot fluuios.
Liberalis Deus diuitem ſe gaudet vt donet,
Oceano ſimilis fluere ex ſe dona permittit.
Ac vide liberalitatis gradus,
Dat Deus beneficia ſua non vendit,
Dat vt munus, non vt fœnus,
Dat vt tribuat, non vt recipiat:
Quod liberalius eſt, donat omnibus etiam indignis,
Quod maius eſt donat ingratis,
Quod magnificentius donat inuitis,
Quod diuinius poſt dona ſua, donat ſeipſum:
Ire vlterius liberalitas non poteſt,
Exhauriret donantem Deum, niſi eſſet infinitus.

XXII.

IVSTITIA DEI.

AGNOSCIT *Iuſtitiam Dei ſcelus & virtus;*
Nemo illam negat, etiam Atheus,
Affirmat illam etiam dum dubitat;
Et fatetur illam, dum illam timet:
Nemo huius timoris expers eſt, etiam qui nihil timet,
Sentit illam, etiam dum excludit:
Ladit jus Dei peccator dum offendit:
Juſtus eſt Deus, dum ſcelus punit;
Iuſtus eſt dum mercedem rependit, quam promiſit;
Promiſit illam miſericors Pater,
Reddit illam juſtus judex,
Claudicaret juſtitia niſi eſſet gemina,
Debet pœnam ſceleri, & coronam virtuti.

XXIII.

SANCTITAS DEI.

PROCVMBVNT *Angeli dum ſanctitatem Dei proclamant;*
Velant facies ſuas, & tantum lumen non ſuſtinent,
Complicant alas, & immoti manent;
Inclinatur Cœlum ad reuerentiam dum hoc nomen audit,

Tremit orbis vniuersus, & adorat quod metuit:
Scilicet continetur hac voce Maiestas Dei:
Totum Deum dicit, qui appellat Sanctum:
Excluditur hoc nomine quidquid non est Deus:
Includitur omnis titulus Dei:
Et plus fere sonat Sanctus, quam Deus.

XXIV.

DOMINIVM DEI.

NON ante fuit Deus quam Dominus:
Non incepit aliquando hoc Dominium, nec cessabit:
Ortum non habet, nec exitum quod est æternum:
Nec acquisiuit hoc Dominium Deus, nec accepit:
Inde est Deus vnde est Dominus.
Ne quære limites Regni, nescit limites Deus:
Subest huic Regno quidquid est aliquid.
Subest quidquid est nihil.
Subsunt huic Dominio Reges terrarum,
Aliorum Domini sunt subditi Dei:
Repetere coronam potest, qui illam dedit:
Et repetit coronam dum repetit vitam.
Solus Deus nihil amittit, nihil accepit.

XXV.

PROVIDENTIA DEI.

NVLLI hominum generi ignota est Prouidentia,
Nullum hominum genus est illi ignotum:
Agnoscit illam Arator dum proijcit sementem, & illi committit:
Excipit illam Prouidentiæ sinus, magis quam terræ:
Serit palmites vinitor Prouidentia nutrit,
Regit oues Pastor, Prouidentia Pastorem.
Inuenêre artes primi artifices, Prouidentia fecit vt inuenirent.
Hæc Prouidentia populos Regibus, subijcit, & Reges sibi;
Hæc egestatem diuitiis, diuitias temperat egestate;
Hæc per inopes diuites alit, per diuites inopes:
Aspice hanc rerum vniuersitatem, liber est Prouidentiæ,
Huius libri paginæ Elementa, res creatæ sunt literæ,
Legit hunc librum eruditus, legit, qui nescit legere:
Nihil fugit hanc Prouidentiam, non ipsa fortuna,

Effectus sunt Prouidentiæ quos appellamus casus,
Et decreta Dei sunt libera, quæ vocamus fata,
Supponunt hæc decreta libertatem hominis, ne illam ledant;
Explorat Deus humanum arbitrium, & penè ponderat;
Prius videt agenda ab homine quàm decernat;
Agunt simul homo, & Deus,
Nec priùs homo, nec prius Deus.

DECEM BREVIORA ELOGIA
DEI VNIVS, ET TRINI.

I.

VNvs est Deus, nec tamen est solus;
Nec Deus esset, nisi esset vnus;
Nec beatus esset, si esset solus;
Vnitatem requirit diuinitas,
Et Trinitatem felicitas.

II.

Mutus esset Deus, nisi loqui posset:
Nec loqui posset, nisi alter audiret;
Debet esse vnus qui dicat,
Debet alter esse qui audiat;
Debet esse tertius qui dicta repetat.

III.

Minus perfecte se amaret Deus, nisi esset Trinus;
Debet esse vnus qui amet;
Debet alter esse qui redamet;
Debet esse tertius qui amorem excipiat,
Quo vterque se amat.

IV.

Sic intra Deum loquitur vnus, & duo audiunt,
Pater omnia dicit,
Verbum omnia audit,
Spiritus omnia repetit,
Nec plures esse possunt qui dicant,
Nec plures qui audiant.

V.

Sic intra Deum Monas gignit Monadem,

Sic

Sic vtraque in se reflexa spirat amorem;
Æqualis est hic Amor Amantibus;
Amat intra Deum Deus, & amatur Deus.
Duo se amant, & amatur tertius.

VI.

Sic exhauritur diuina fœcunditas;
Sic Pater exhaurit omnia verba vno Verbo;
Sic Pater & Filius exhauriunt amorem vno osculo;
Sic Spiritus S. nihil inuenit quod producat;
Quia intra Deum nihil deest, quod addat.

VII.

Necessaria sunt ea productiones, non libera,
Nec Deus esset, nisi esset Pater,
Nec Pater esset, nisi Filium gigneret,
Nec vterque esset, nisi vterque spiraret;
Nec Spiritus à Filio differret, nisi ab illo procederet.

VIII.

O æqualitas Personarum, & inæqualitas!
Nec antiquior est qui producit,
Nec iunior qui procedit,
Nec ditior qui omnia tribuit,
Nec pauperior qui accipit,
Qui dat omnia nihil amittit,
Qui accipit omnia nihil adimit;
Trinitas est personarum,
Et vnitas diuitum.

IX.

O mysterium rationem excedens, non fidem!
Tres intra Deum diuitias habent, nec sunt tres diuites,
Tres regnant, nec sunt tamen tres Reges,
Tres intra Deum habitant, nec sunt tres hospites,
Eadem domus est tribus, & idem thronus.

X.

Maius mysterium, quod credere licet non intelligere!
Plures sunt notiones Personarum, quam relationes,
Plures relationes, quam differentiæ,
Tres intra Deum referuntur quatuor respectibus,
Tres dignoscuntur quinque notionibus;
Sic tamen tres differunt vt tres sint vnum.

Tria germina deitatis & vnius stirpis,
Tres flores vnius radicis,
Tres fluuij eiusdem fontis,
Tres radij eiusdem solis.
Vnicus Deus est, & tamen est Trinus.

REVERENDISSIMO PATRI D. IOANNI PEGON, MAIORIS CARTVSIAE PRIORI, ET TOTIVS ORDINIS CARTVSIENSIS MODERATORI GENERALI.

AMAVIT venerabilis Ordo vester Societatem Iesu, penè antequam Societas esset; petierat ab Authore Ordinum Deo, Ordinem aliquem nouarum hæreseon hostem qualem nunc videt: vt sensit se votorum compotem, excepit Societatem nascentem, fouit adolescentem, adiuuit præliantem, & nunc amat victricem.

Non ingrata Societas non priùs viuere cœpit quàm amare eum Ordinem à quo amari cœperat antequam esset; creuit ille amor Societate crescente, & nunc toto orbe diffusus testatur omnibus fœdus esse inter duos Ordines, & Religionem geminam penè esse vnam.

Neque est oppositum inter instituta discrimen, concolòres sunt animi & vultus sub discolori veste; pugnamus iisdem animis, atque armis aduersus eosdem Dei hostes, & fidei; atque vt olim Moses, & Iosue, ille votis, hic gladiis communi sorte vincebant, sic Ordinis vtriusque eadem est pugna, & communis victoria.

Vt taceam antiquiores pugnas, vulgabantur superioribus annis penè vbique per Galliam noua dogmata; decipiebat plerosque nomen Augustini adscriptum nomini Iansenij, & erat error adeò subtilis, vt in errorem penè ipsum traheret Augustinum: detexit Cartusia Parisiensis ex fumo Portus Regij vicinum incendium, accurrit auxiliaris Societas, adjunxit se Sorbona, pronuntiauit Roma; & nunc vbi Portus Regius erat, nihil supereſt nisi triste naufragium.

Debetur pars huius victoriæ filiis magni Brunonis, & tuis, Vir meritissime; offero Tibi & illis magni Brunonis Elogium; nihil offerri si-

liis gratius potest quam Elogium Patris: ita tamen hoc Elogium paternum est, vt sit etiam tuum; scilicet qualem vitam vixit Bruno, talem Tu viuis; quem instituit Ordinem ita Tu regis, vt posses instituere, nisi institutum inueniſſes; tuum igitur hoc Elogium est, dum est Brunonis: nec plura de Te, vno verbo dixi omnia, dum Te Brunonem alterum dixi.

Humillimus & addictissimus seruus, P. L'ABBE'.

DIVI BRVNONIS ELOGIVM.

HIC mundi pertæsus quæsiuit sedem extra mundum, & inuenit
Cartusia penè vltra mundum sita ei sedes fuit:
Si causam secessus queris, vmbra fuit se accusans, & damnans:
Ab ea vmbrâ Bruno honorum vmbras timere didicit:
Et ne vmbræ fallerent ad vmbras fugit.
Cartusia terris altior vmbra terrarum erat:
Illuc Hugo Episcopus ire septem stellas vidit:
Tot iuere deinceps vt Cælum effecerint:
Nec male Cartusiam appelles Stellarum Patriam:
Audi quid illic agatur, & Cælum esse credes:
Silentium, psalterium, ieiunium.
Silentium illic linguarum est, & aurium:
Nemo loquitur nisi sibi,
Nemo alium audit nisi seipsum:
Nulla ibi Echo verba repetit, quæ nemo dicit:
Alloquuntur tamen Deum homines taciturni,
Nec violat silentium hoc colloquium:
Media hominum vita psalterium est,
Nec tristibus esse licet qui semper canunt.
Prælibant immortalitatem ante mortem,
Viuunt vitam olim futuram:
Id agere incipiunt quod sunt semper acturi,
Et visuri olim Deum, pene iam vident:
Assueti Cæli deliciis cibo vix egent.
Apodum instar deuolant ad breuem escam; & reuolant,
Ne carnem ament, odisse tenentur ex voto.
Agebat hanc vitam Bruno ignotus, & cognitus:
Vidit illum Vrbanus secundus, etiam latentem,
Euocatum Romam penè præfecit sibi:
Et quondam discipulus, penè adhuc Magistrum habuit,

Et poterat esse Vrbanus tertius, si adhæsisset secundo:
Fugit vmbras Romæ, qui fugerat vmbras Lutetiæ:
Et ne vnica Cartusia esset, alteram intra Calabriam condidit;
Amauit tamen primam, cui etiam cæteras subdidit.

Obiit Anno D. 1100. ætat.

Nec dubium est quin eò iuerit, quo stellæ eunt,
Hugo Episcopus, dum viueret stellam esse vidit:
Ne quære Brunonis miracula, edidit viuus, & mortuus,
Ipse tamen Bruno primum miraculum est,
Totum institutum Brunonis miraculum alterum,
Idem Ordo nunquam mutatus, perpetuum.

SOLITARII ANIMI SOLILOQVIVM.

HIC solus mecum viuo, mundoque carére
Incipio, & rebus præsens assuesco futuris;
Ne rudis æternam aggrediar post tempora vitam,
Et Cælo nouus hospes eam. Quam viuere secum,
Quam dulce est socium esse sui! mundoque silére,
Et soli narrare sibi: tria tempora mecum
Enumero, lapsosque annos, annosque futuros,
Et si quid medium esse potest; quid inanius annis
Præteritis? periére sibi, nihiloque creati
Ad patrium rediére nihil; præsentia fallunt
Momenta, & dum stare puto, pars altera fluxit,
Pars fluit, & firmum nihil est, nisi mobile punctum,
Hoc quoque dum præsens cerno, iam ex parte periuit;
Et partes iam punctus habet; nec firmior ætas
Crastina, dum nondum est nihil est, dum venerit hora,
Hora fluet; fietque nihil dum fluxerit hora,
Iactura causa ipsa suæ: nec tempora sola
Intereunt, moritur communi funere mundus,
Et mortis tempus causa est; rapit omnia secum
Dum rapitur, periit qui quondam vixerat Orbis,
Nunc alius viuit; succedent Orbibus Orbes,
Fataque succedent fatis, edet omnia tempus,
Et tandem se tempus edet:

Ergo age fallamus morientis funera mundi:
Hîc ego pendentes annos, & tempora fallo,
Æternos præguſto dies, momentaque nunquam
Lapſura, & quondam æternus poſt fata futurus,
Incipio æternus fieri, mediuſque ſuperſum
Intra horas, extraque annos: hîc incola mundi;
Et mundum ſuprâ viuo, & ſublimia luſtrans
Hûc eo cœleſtis quò nos inuitat origo,
Et patrias inquiro domos: hîc corpore ſenſim
Excedo, & morti viuus præludo futuræ:
Et ſine morte mori incipio: ſic fata ſororum
Hoſtileſque manus, & fila nocentia fallo:
Et fati Parca ipſe mei noua ſtamina voluo:
Hîc aſſueſco Deo, vocemque audire loquentis:
Et tolerare Deum diſco: ſecedite curæ,
Hîc licet alternas audire & reddere voces:
Atque hominem miſcére Deo: O commercia Cœli
Humano maiora animo! quis mutua verba,
Quis teneros ſenſus, puroſque enarret amores?
Lingua file, debent diuina arcana taceri:
Arcanus vult eſſe Deus.

BEATI PETRI LVXEMBVRGII, EPISCOPI METENSIS, CARDINALIS ET TVTELARIS AVENIONENSIS.

ELOGIVM HISTORICVM.

NOVVM Elogij genus, laudari miraculis,
Maius elogium miraculum fuiſſe, vt miracula faceres:
Talis fuit PETRVS LVXEMBVRGIVS;
Ætatis ſuæ ac noſtræ Thaumaturgus:
Dixi nobilitatem generis dum Luxemburgium nominaui:
Ignorat Imperatores, & Reges qui hanc familiam neſcit:
Scit Imperatores, & Reges qui hanc familiam nouit:
Breuem ætatem victurus extendit annos virtutibus:
Statim fuit qualis erat futurus,
Ne Sapientia breuior eſſet quam vita:

Vt faciles haberet virtutes penè innatas habuit:
Collige omnes ex vnâ, quæ mater est omnium:
Puer erogabat obuia quaque pauperibus,
Idcirco se diuitem ratus vt ditaret pauperes:
Sæpe illis culinam crudam, aliquandò coctam distribuit:
Interceptus à Patre, & rogatus quid perâ gereret,
Respondit rosas esse, & ne mentiretur, rosa fuêre:
Placuit Cœlo furtum, & miraculo correxit mendacium.
Admiratus rem Pater rosas auferre voluit:
Sed quas miraculum crearat, miraculum abstulit?
Parisios ad scientias missus Magistro vix eguit:
Intereâ docuit virtutes dum literas didicit,
Et quos Magistros, eosdem discipulos habuit.
Post obitum Patris, instar Parentis fratrem coluit:
Imo ei instar Parentis alterius fuit:
Captum ab Anglis vt redimeret, vadem se dedit.
Suadenti deindè fratri vt secum opes diuideret:
Habe tu illas, inquit, ego sat diues ero, te diuite:
Canonicatum admisit ea lege, ne ad altiora gradus esset.
Iussus à Clemente VII. admittere Metenses insulas:
Timuit peccare si admitteret, & ne peccaret, admisit:
Quindecim annorum Pastor, nulli oui ignotus:
Nulla ei ouis ignota fuit.
Attigerat metam votorum, si mori pro Metis licuisset.
Non ita post, creatus Auenione Cardinalis,
Sub dubio Pontifice nihil schismatis habuit,
Accepit inuitus alienam purpuram, qui domesticam abdicarat,
Rubuere statim sub noua purpurâ omnes virtutes:
Aliquæ etiam proprio sanguine:
Verberabat se quotidie manibus alienis aut suis:
Imperio Pontificis opus fuit, ne se occideret:
Orationi assuetus ambulabat coram Deo, & solus & publicus,
Et visus est aliquando coram illo ambulans Christus:
Tres illi hebdomadæ dies ieiuni,
Cæteris diebus cibus ipse ieiunium fuit:
Denique Angelo similis, & penè versus in Spiritum,
Eò iuit vbi Spiritus immortales habitant.

Obiit anno D. 1387. ætat. 18.

Maturus Cœlo viuere in terris vltra non potuit:
Iacet Auenione apud PP. Cœlestinos:
Iacère alibi vir Cœlestis non debuit.

ABI VIATOR.

Et da ei lacrymas quem vtraque Roma fleuit:
Timuit vtraque casum dum hic Cardo cecidit.

REDI VIATOR.

Viuit adhuc Petrus sub marmore;
Spirat odorem mortuus quem spirabat viuus:
Intra biennium à morte quadraginta mortuis vitam,
Bis mille, & quingentis sanitatem restituit,
Succedentibus annis miraculorum millionem addidit.
Ex pluribus vnum, quod negari ne possit, adhuc est publicum;
Lapsus ex fastigio Palatij Puer, & in membra disruptus,
Vno casu centum ruinis perierat,
Horrere ad casum omnes, & flere ad spectaculum;
Pater inclusa sacco non tam filij membra, quam frusta,
Exposuit Aræ Beati, & lacrymis preces fudit, non voces;
Adiuuit populus orantem, & votum publicum fuit;
Intereà moueri saccus grauidus, eniti, & disrumpi,
Adiuuante partum Petro, & obstetricante;
Denique ex sacco quasi ex vtero,
Exiuit Puer bis genitus, & bis natus;
Vidit Auenio miraculum, & laudauit Thaumaturgum.
Ab eo miraculo Patronus vrbis, & Pater populi fuit;
Vt esset solenne Patrocinium transiuit in votum.
Quod Roma intereà fileat mysterium est,
Sed dum tacet verbis loquitur miraculis,
Abi Viator, & quem Thaumaturgum vides, adora Beatum.

BEATI SALVATORIS DE HORTA RECOLLECTI ELOGIVM.

STA Viator, & mirare;
Miraculum erat qui hic jacet, & adhuc miraculum est;
Ne quære nomen Parentum, vix habuit, aut nescivit;
Ne carêret nomine, suum Saluator imposuit.
Vt patriam haberet, vnam ex suis Deipara commodauit,
Saluator de Horta, vtrumque nomen miraculo gessit:

Totis viginti annis ignotus omnibus, & pene sibi:
Vt melius latéret intra Patres Recollectos se abdidit;
At quam difficile latet quem Deus vult esse publicum:
Et publicus esse debuit futurus Thaumaturgus.
Sed audi nouum miraculi genus.
Occultauit eum sæpe Religio, Recollectum malens quam Thaumaturgum,
Occultauit se ipse; & sæpe fugit, vt miracula fugeret:
Placebat hæc fuga miraculis, & sequebantur fugitiuum:
Traductus aliquando intra nubem per Aërem.
Miraculo ad miracula venit:
Latebat aliquando in Culina & agebat coquum.
Suppleuit Deus cocum, vt cocus ageret Thaumaturgum:
Mutauit nomen Religio, vt hominis famam mutaret:
Incepit esse Alphonsus, nec desiit esse Thaumaturgus.
Auxit miracula dum diuersa loca mutauit:
Idcirco peregrinus, vt esset vbique Thaumaturgus:
Quærebant morbi medicum suum etiam fugientem:
Ibant ad eum Vrbes ad quas ipse non ibat,
Iuit sæpe mors ipsa, & rediit rediuiua.
Ne quære quo miraculo tot patrabat miracula,
Sæpe vnico signo crucis, sæpe vna salute Virginis,
Multa hominum millia citius sanauit, quam dixit:
Sæpe dæmones ipsos fugauit, dum aspexit:
Sæpe hominem vidisse, aut ab eo visum esse sanitas fuit:
Taceo miracula diuinæ sapientiæ in Laïco fratre:
Homo simplex, & rudis sciebat futura, ignorans præterita:
Reuelabat arcana, & nesciebat publica,
Idiota humanæ sapientiæ, & Propheta diuinæ:
Abi Viator, & mirare nouum miraculum,
Adhuc sub marmore Saluator est integer,
Reueretur mors mortuum quem timuerat viuum:
Et viuus & mortuus, est adhuc Thaumaturgus.

Obiit An. D. 1567. æt. 47.

Redi Viator, & si Saluator esse non potes,
Esto saluus.

SANCTI

BEATI FRANCISCI SALESII, EPISCOPI GENEVENSIS, ELOGIVM.

FRANCISCVM *Salesium declarauit Beatum Roma, non fecit:*
Beatus iam erat ante Romanum iudicium.
Nemo bene dives est nisi de suo,
Examinauit diuitias hominis Roma, non dedit.
Iam fama publica sanctum vocabat, & difficile est omnes falli:
Iam miracula beatum loquebantur, & sunt lingua Cœli:
Adhuc iudicium Romæ expectabat Europa:
Probant miracula sanctitatem, & Roma probat miracula:
Meretur nunc honores publicos qui merebatur priuatos:
Falli non potest Roma dum credit, nec errare dum colit.
Tria Salesium declarant Beatum, & breui declarabunt Sanctum.
Innocentia vitæ, puritas morum, eminentia virtutum.
Innocentia ei similis fuit, quæ fuisset Adamo innocente,
Nec frustra dies Innocentibus prima, est illi vltima:
Innocens obiit, qui innocens vixerat.
Indoles illi quasi columbæ sine felle:
Insedit aliquando capiti eius columba hospes:
Altera cordis inquilina erat:
Placebat omnibus etiam dum argueret,
Amabatur ab hæreticis, etiam dum refutaret:
Geneua ipsa sæpe dixit, non carerem Pastore,
Si tales semper habuissem Pastores:
Dixisses naturam hominis in virtutes transiisse:
Nulla in eo mediocris, omnes fuêre eminentes:
Aiebat vitium esse in Episcopo non esse optimum.
Humilitas in illo honorum hostis erat:
Id vnum oderat, quod omnes amant, dignitates:
Episcopus Geneuæ fuit, ne esset Episcopus:
Quam valde amaret Deum probat liber amoris diuini,
Aut dictauit librum illum amor diuinus, aut scripsit,
Aut commodauit alas scribenti.
Accendebat hic amor Dei, amorem proximi:
Angustior erat zelo hominis Prouincia vna;

Optabat alas Columbæ vt Angliam transuolaret, & Europam.
Quo ire præsens non potuit, Epistolis, & libris iuit:
Nemo scit literas qui Salesij Philotheam non legerit:
Nemo legit, quem illa meliorem non fecerit:
Sexaginta hominum millibus dissuasit Caluinum, & Lutherum.
Dissuaserat Geneuæ, nisi fides Politica obstitisset diuinæ.
Quam corrigere viuus non potuit, emendabit beatus.

ABI VIATOR.

Ne quære quâ morte obierit, quali voluit,
Orauit, exarsit, amauit,
Extendit mors hunc amorem, & æternum fecit:

Obiit anno D. 1622. ætat. 56.

Vultus ei Angelo similis si Angeli vultus haberent:
Fuit qui crederet intueri se vultum Christi,
Quoties intuebatur vultum Salesij.

REDI VIATOR.

Viuit Salesius in eo Ordine quem instituit,
Impressit illi Spiritum suum, & seipsum.
Appellauit Virgines Marianas, quas appellare poterat Salesias:
Fallor appellauit Salesias dum vocauit Marianas:
Totus Salesius Marianus erat.

BEATI FRANCISCI SALESII, EPISCOPI GENEVENSIS, AD SVAM GENEVAM PARÆNESIS.

AVDI Pastoris vocem dilecta Geneua,
Vera loquar, nescit purum mendacia Cœlum:
Fallere nec superi possunt, & fallere nolunt:
Damnaret fraus illa Deum: decepta Geneua
Errores agnosce tuos: deceptio prima est
Eiurasse fidem Petri, Romamque Magistram,
Et Christum finxisse nouum, noua Sacramenta,
Templa noua, & nuda, & sacris Altaribus Agnum
Præsentem vacuis repræsentare figuris,

Et ſterili cœnare fide : ſed inanis imago
Si placet in Cœnam, cur non in imagine Chriſtus
Penè iterùm moriens, iterúmque ex arbore pendens,
Cur Arbor non ipſa placet? Cur Matris imago
Diſplicet, & Cœli Virgo, mundique Patrona,
Cur non eſt Patrona tui? Cur Cœlitum Aula
Non eſt Aula tibi? Procereſque, & Regis amicos
Cur dubitas poſſe eſſe tuos? ſpeculumque videntes,
Monſtrantemque Deum, cur cæcos eſſe Beatos,
Aut secum vis eſſe Deum.
Grex dilecte mihi, quis te per deuia Paſtor
Abduxit, prædamque lupis obiecit edendam?
Et lupus ipſe fuit? pellis decepit ouina,
Sed lupus, & falsâ Tygris ſub pelle latebat,
Et Paſtor decepit ouem. Miſeranda Geneua
Doctrinam didiſce nouam, Romamque docentem,
Et fidei antiquæ veteres agnoſce Magiſtros.
Enumera Patreſque tuos, Patrumque Nepotes,
Doctrinæque nouæ iuuenes miraberis annos:
Quinetiam viuunt intra tua Mœnia ciues,
Qui videre nouæ naſci cunabula ſectæ.
Aſpice ſublimes turres, pendentiaque ara,
Inciſoſque metallo annos, impreſſaque ſigna,
Monſtrabunt hæc æra Petrum, Romamque ſonabunt.
Deſcende, & ſtratos lapides, & marmora luſtra,
Hîc jacet indutus ſolenni veſte Sacerdos,
Elatuſque calix, & ſacræ inſignia Miſſæ,
Et quæ tu rides myſteria marmor adorat.
Sublimes attolle oculos vitreaſque feneſtras
Aſpice, viuit in hac rediuiuus imagine Chriſtus,
Gratatur Virgo, ſacriſque dat oſcula plantis,
Et tacitus Matri narrat miracula Natus.
Parte alia Cœlum ſcandit, ſpectantque, dolentque
Diſcipuli, ſequitur triſtis ſingultus in auras,
Excipitur Cœlo, auditur ſuper æëra cantus,
Et vitrum ſudat lacrymis, & gaudia ſentit.
Hîc medios inter Laurentius vritur ignes,
Apparent flammæ, & parcunt incendia vitro.
Hîc Stephani carnes lacerant immania ſaxa,
Admittit lapides vitrum, ſaxiſque reſiſtit:
Heu veteris vitrum fidei veſtigia ſeruat;

Et veteris delet fidei monimenta Geneua!
Quod solidum est non durat, & est durabile vitrum.
Grex dilecte mihi, veteres agnosce Magistros,
Et dediſce nouos, noua te doctrina fefellit,
Et falſum est dogma omne nouum: diuina vetuſta,
Nil cæleſte nouum est, Deus ipſo erroneus eſſet,
Si poſſet nouus eſſe Deus.

ELOGIVM SANCTI IGNATII.

HIC capax gloriæ ingenium nactus,
Quæſiuit illam vbi nobiles quærere ſolent,
Ratus eam armorum præmium eſſe, & vulnerum,
Fracto etiam crure ad illam currebat.
Miraculo opus fuit vt meliorem gloriam quæreret.
Sanauit ægrotum Petrus & Apoſtolum inchoauit:
Succedens Deipara vt Ieſuitam faceret, Marianum fecit:
Inſpirarunt amorem virtutis ſancti dum eos legit:
Momento ex aulico, & milite ſanctus euaſit:
Hoc miraculo Caſtellum Loyolæ ſtupefactum intremuit.
Non abdicauit tamen aulicum, & militem, ſed correxit:
Pro purpura ſacco, pro armis baculo munitus,
Appenſa ad Aram Virginis ſeculari militiâ:
Meliori militiæ nomen dedit,
Sub vili ſacco illuſtrior, quam ſub nobili ſago.
Ibat nudus capite, & claudus pede, & nunquam rectiùs iuit:
Manreza ex nobili diuite mendicus ignotus,
Noui belli exercitia ſpiritualia ſcripſit, dum didicit:
Nullo Magiſtro homo illiteratus, & doctus
Vno libello omnes doctos erudiit:
Admirata libellum Roma, laudauit illum ex catedra:
Altero libello de Trinitate ea ſcripſit, quæ vidit:
Vidit maiorem Dei gloriam, & deinceps quæſiuit:
Octo diebus extra ſe, & ad Deum raptus,
Vidit iam fluere annos olim fluxuros:
Vidit Societatis ſtatum ante ipſam Societatem:
Quidquid deinde geſſit, eius extaſis hiſtoria fuit.
Res mira, qualis futura erat Societas, talis iam naſcitur:
Martyres habitura, concipitur in monte Martyrum,
Diuiſura quondam orbem iam ſociis diuidit,

Deuouenda ſummo Pontifici, iam Romæ ſe deuouet,
Pontifex ante vota, iam deuotam admittit;
Ne quære quis decem homines regeret, Dei gloria rexit;
Nondum ſtatutis legibus hæc gloria pro legibus fuit:
Digeſſit illam Ignatius in regulas publicas, & priuatas,
Neque aliud ſunt leges Ignatij, niſi huius gloriæ particulæ
Neque aliud tota Societas, niſi eius gloriæ communitas.
Hæc gloria decem hominibus Europam diuiſit,
Hæc gloria Xauerium vltra orbem miſit;
Hæc gloria filiis Ignatij nouos orbes aperuit.
Non facile eſt dicere quid per Ignatium hæc gloria geſſerit;
Non facile eſt dicere quid pro ea gloria Ignatius pertulerit:
Pati pro ea felicitatem putabat:
Recuſaturus gloriam vt pati poſſet pro gloria:
Denique meruit gloriam Ignatius pro qua diu meruerat.

Obiit anno D. 1556. ætat. 65.

Hoc ſymbolum reliquit filiis, pati pro gloria;
Falleris noua doctrina dum ſocios Ignatij accuſas & damnas.
Auges Societatis gloriam, non imminuis,
Hoc Societatis ſymbolum eſt pati pro gloria.

ELOGIVM
BEATI FRANCISCI XAVERII.

LAVDO prolixe Xauerium dum Ignatium alterum voco,
Idem vtrique ſpiritus, ab illo datus, ab hoc acceptus;
Id Xauerius agebat Goæ, quod Ignatius Romæ;
Nondum Societas leges habebat, & vterque lex erat.
Veneratus Ignatium Xauerius ſcribebat ad illum è genibus,
Veneratus Xauerium Ignatius præficere cogitabat Societati, & ſibi:
Audi obedientiam hominis, vna ſyllaba reuocabat ab Indiis,
Vna litera ad Indias miſerat.
Audi modeſtiam, Nuntius S. Pontificis, & pene Legatus Regis,
Ne famulos admitteret, omnium famulus fuit.
Zelo hominis integer Orbis minor erat,
Vltra Indiam Sinas, vltra Sinas nouos Orbes quærebat:
Scilicet vas electionis Deo plenum,
Optabat nuntiare Deum vbicunque Deus erat;

Nec mirum si alter Thomas, & Paulus alter vocetur,
Non pauciores populos quam vterque lustrauit,
Et quod Paulus Occidenti, hoc Xauerius Orienti fuit:
Millionem hominum lustrauit aquis, plures instruxit,
Nec minora passus est pro Christi nomine, si gladium excipias;
Nec ille tamen gladio, sed ei gladius defuit.
Audi vota crucis & mortis
Inter delicias Dei, satis clamabat, & recusabat Deum;
Inter cruces amplius clamabat, & prouocabat Cœlum.
Sed satis iudicans, qui pugnas definit, & palmas,
Dum reuocatur ad Occidentem, mori in Oriente voluit:
Et futurus Indiarum Patronus debuit apud Indias mori.
At vide quâ morte obscura, & glorioſa.
In Mapuli ignobilis insulæ, sine ope, & pene sine teste,
Mortem obit Vir humilis, & amat latére.
Exaltauit humilem Deus, & miraculis publicum fecit;
Injectam calcem corrupit mortuus, & corrumpi non potuit,
Hodieque integrâ caro probat integritatem virtutis.
Ne quære miraculorum numerum, vix Oriens numerare potuit,
Mirata numerum Roma, pronuntiauit non minorem Apostolis.

ABI VIATOR.

Et cœliti vtrique hymnum cane.

HYMNVS ECCLESIASTICVS, SANCTO IGNATIO.

HVNC Mater in præsepio
Parit futuri nescia,
Iam Iesuita nascitur
Christi futurus assecla.
Ad Pampilonis mœnia
Graui ruina sternitur,
Nunquam cucurrit rectius
Quam dum laborat tibia.
Morbus sit illi sanitas,
Dum facta Sanctorum legit,
Fit ipse Sanctus, & facit
Pijs legenda posteris.

Apparet ægroto Petrus,
Virgo ſaluti vendicat,
Miles futurus filij,
Priùs Mariæ militat.
In æde ſacra Virginis
Appendit arma Militis,
Vili lacerna clarior,
Quam dum rubet ſub purpurâ.
Vt impudici temperet
Flammas, aquis immergitur,
Non ante viſus frigidis
Amor ferire ſpiculis.
In æde ſacra Martyrum
Ponit rudimenta Ordinis,
Qualis putas erit domus
Naſcens ſuper cacumina!
Bis quinque Chriſti Milites
Dicunt Sacramentum Deo
Conuerſioni Gentium,
Et Mundus eſt votis minor.
Nouos Ieſus Milites
Suo coronat nomine,
Sed quanta ſint olim docet,
Sub hoc ferenda nomine.
Ignatius Sodalibus
Orbis labores diuidit,
Et primus in laboribus
Omnes labores ſuſcipit.
Famem, catenas, verbera,
Amore Chriſti pertulit;
Sed pœna maior omnibus
Non poſſe plura perpeti.
His vixit in laboribus,
Cœli ſed inter gaudia,
Nunc deſpicit quæ ſæpius
Suſpexit olim ſydera.
Tibi Pater ſit gloria,
Tibique Patris Vnice,
Tibique Sancte Spiritus,
In ſeculorum ſecula.

HYMNVS ECCLESIASTICVS,

SANCTO FRANCISCO XAVERIO.

AVthore Natura Deo
Natura mutat Ordinem,
Lux Solis inde nascitur
Vbi mori consueuerat.
Franciscus Indis Gentibus
Cœleste Numen nuntiat,
Plagis Eois Occidens
Solem, diemque commodat.
Aurum, lapillos India
Gemmas, odores congerat,
Æquale nil Ganges habet
Quod Occidenti deferat.
Dum dormit Indi sarcinam
Pendere collo somniat,
Somno solutus cursitat
Vtraque onustus Indiâ.
Ingens, & orbe vastius
In orbe pectus æstuat,
Christoque Mundos subdere
Plures duobus cogitat.
Sat est Deus, clamat, sat est,
Mens plena Cœli gaudiis,
At non sat est, sed amplius
Exclamat in laboribus.
Franciscе pectus explica,
Totumque Numen excipes
Adsunt quibus superfluæ
Rores refundas gratiæ.
Orantis è manu crucem
Excussit vnda fluctuans,
Fleuit minasque fluctuum
Vna repressit lacrymâ.
Cancer recuruis branchiis
Crucem reportat littori,
Dum sic adorat quem videt,

Recta

Recta tetendit semitâ.
Iam millionem Gentium
Sacris fluentis merserat;
Minor capaci pectore
Et Indus, & Ganges erat.
Melas Sinarum viderat,
Et Solis incunabula,
Vltra diei limitem
Lucêre Sol nouus parat.
Franciſce greſſum comprime,
Cœloque permuta Sinas,
Qui nunc negantur hoſpiti;
Olim patebunt cœliti.
Tibi Pater ſit gloria,
Tibique Patris vnice,
Tibique Sancte Spiritus,
In ſeculorum ſecula.

CAPVT
D. IOANNIS BAPTISTAE.

Inter humana capita nullum caput hoc maius fuit;
Minor eſt Ioanne quiſquis non eſt homine maior,
Ille ſolus maior eſt, qui eſt homo-Deus.
Nullum caput vocalius, nullum taciturnius fuit:
Antequam Patrem haberet, indixit Patri ſilentium;
Reddidit linguam Patri, dum ipſe vix habuit.
Intra vterum matris vocale, & mutum,
Expreſſit motu, quod ore non potuit;
Exultauit, & lucem quam non videt oſtendit;
Nondum exire poterat, & Præcurſorem agit.
Nemo citius locutus eſt, nemo tardius;
Ex vtero matris Verbum ſalutauit in vtero Virginis;
Ne ſalutaret homines in eremum ſeceſſit;
Illic triginta annis loqui tacendo didicit.
Nemo diutius tacuit, nemo poſt ſilentium plura dixit:
Echo omnium Prophetarum, quidquid dixêre repetiit:

Verbum Verbi, quidquid Verbum dixerat, dixit:
Eheu donatum est hoc caput puellæ saltatrici!
Mauult mater adultera caput inimicum, quam regnum;
Et saltationis pretium est caput regno dignum.
Nec mora præfertur in disco inter pocula caput sobrium;
Ostenditur conuiuis sanguis, & penè bibitur:
Et natale conuiuium funesta cæde corrumpitur.
Aspice hoc caput Rex impie, quod te aspicit;
Cerne oculos exanimes, & adhuc flagitij tui testes;
Audi silentium linguæ, & flagellum luxuriæ:
Os illud est, cuius sententiam ferre non poterat, neque adhuc potes:
Hæc lingua est, quam arguentem timebas, & adhuc times:
Obtruncasti caput innocens, & vocale fecisti;
Sequetur te hoc caput exulem, vt vbique te damnet;
Hodieque Lugduni sepulcrum duorum Antantium,
Accusat incestum Herodis, & Herodiadis.

CAPVT
D. PAVLI PRÆCISVM.

DICAT elogium huius capitis os Chrysostomi;
Nulla lingua laudare Paulum potest, nisi sit aurea:
Hoc caput humanæ sapientiæ domicilium est, & diuinæ:
Infudit se vtraque huic capiti, vt illud impleret:
Hoc caput altius terris raptum est, ad tertium Cœlum;
Hic vultus Angelis permixtus penè Angelus fuit;
Hi oculi viderunt Christum vt hominem, & penè vt Deum;
Hæ aures audierunt arcana verba, qua non licet homini loqui;
Dixit illa tamen hoc caput, dum nescire se dixit.
Hoc caput redux ad terras cœleste fuit;
Proclamat vbique quod in Cœlo didicerat;
Quid aliud eructaret, quàm quo plenum erat!
Exiuit in omnem terram huius capitis sonus;
Et verba vltra mundum perlata ibant ad Cœlum;
Nimirum eò redibant, vnde descenderant.
Quid agis impie Nero dum hoc caput abscindis?
Occidisti in Seneca Magistrum Vrbis, in Paulo Orbis:

Pati tales Magistros malus discipulus non potuit.
At loquitur præcisum caput Epistolis, dum non licet verbis.
Et calamo vocali iterum dicit, quæ scripsit.
Probat Romanis latère in rebus creatis Deum, & patére.
Docet Corinthios fidem grandibus factis constare, non verbis.
Docet Galatas minus sapere, dum nimis sapiunt.
Laudat Ephesios, vt laudabiles reddat;
Amat Philippenses, & amari vult non Paulum, sed Iesum.
Dicit Colossensibus fidem Colossum esse immobilem;
Victoriam ostendit Thessalonicensibus, & hortatur vt vincant:
Facit Timotheum similem sibi, vt faciat filium.
Vult Paulum esse Titum, vt Titus sit Paulus.
Vt Philemoni commendet Onesimum, commendat Paulum,
Probat Hebræis ex vmbris veteris Testamenti, diem noui.
Interea rorat hoc caput lacte, non sanguine;
Perfudit hic liquor carnifices, & fecit Martyres:
Manant lacte Epistolæ Pauli;
Orbis totus viuit hoc lacte.

Epistolæ quatuordecim Pauli.

CAPVT
D. PETRI INVERSVM IN CRVCE.

INVERSVM est hoc Petri caput, & rectum;
Iacére sic debuit vt rectà Cœlum aspiceret;
Nunquam rectiùs aspexit, quam dum sic vidit.
Puto sic aspexerat, dum ita Christo respondit,
Tu es Christus Filius Dei viui;
Non reuelarat hæc verba caro, & sanguis;
Audiuit Patrem reuelantem, & repetiit;
Petra erat, & Petrus esse meruit.
Pexè naufragium in mari fecit, dum aliter aspicit;
Inuertit caput ad Christum, & euasit.
Nec fugisset in horto, nec negasset in Palatio,
Si sic aspexisset.
Nemo peccaret in Cœlum, si cœlum aspiceret.
Prædixerat hunc situm Christus, dum his verbis admonuit,
Cingebas te, & ambulabas vbi volebas,
Extendes manus tuas, cinget te alius, & ducet quo tu non vis;

Nolebat cum Româ exiuit, & crucem timuit;
Voluit cum admonitus fugæ ad crucem rediit.
Inuersus cruci affigi voluit, ne posset aufugere,
Inuersus, vt à terra iter ad Cœlum faceret;
Inuersus, ne aliud præter Deum, & Cœlum videret;
Inuersus, vt pendentem à cruce Magistrum cerneret;
Inuersus, indignum se ratus, qui rectus penderet.
I Petre. nunquam rectiùs ambulasti quam capite,
Scilicet itur ad Cœlum affectibus magis quam pedibus.
Euolare rectus in Cœlum Simon Magus tentauit, & corruit,
Tentauit inuersus Simon Petrus, & rectà iuit.

LIBER SECVNDVS.

ELOGIA THEOLOGICA, ET PHILOSOPHICA.

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE DOMINO

D. ALEXANDRO DV PILHON,

CONSILIARIO REGIS CLERICO,

IN SVPREMA CVRIA DELPHINATVS,

DEDICATIO LIBRI.

INVENI artem laudandi Te, & tacendi de Te; VIR ILLVSTRISSIME, abstineo laudibus tuis quia iubes, dum tamen abstineo, illas dico, scilicet hæc omnium laudum maxima est, nolle laudari, & laudabilem esse: metêris laudes omnes, dum omnes tejicis; & quisquis hoc dicit de Te, dicit laudes tuas, dum de illis tacet.

Nouum Elogij genus dicere magna dum nihil dicis; loqui dum taces, laudate dum laudibus abstines, & pulchro silentio laudare laudati nolentem.

Quam magna dicerem de Te nisi prohibetes, sapientiam ingenij, prudentiam iudicij, maturitatem consilij, integritatem vtriusque fori; misces humana diuinis, nec confundis; attollis illa, nec ista deprimis; consectas forum ciuile Canonico, & pulchra pace vtrumque concilias.

Quam illustria adderem de Parentibus, de Auis, & Atauis tuis, nisi tu eas etiam laudes vetares; taceo illas quoque, & illas dico; appello

Maiores tuos omnes dum Te appello, designo singulos nomine suo dum tuum enuntio, viuunt omnes in Te hærede virtutum, reuocas ætates eorum præteritas, & quinque secula quæ olim fluxerunt, iterum redeunt, & apud Te fluunt.

Fefelli modestiam tuam, Senator modestissime, laudaui Te etiam inuitum, nouâ arte laudandi: abstineo denique laudibus tuis, ne arti irascaris, & artifici: Amabis tamen laudes Augustini veri, & damnabis insidias falsi; occultauit se homo astutus sub nomine Augustini, quasi sub Annulo Gygis, cuius palam sic obuertebat, vt Iansenium celaret, & Augustinum ostenderet; denique excæcauit Annuli gemmam Vmbra Augustini, & ostendit sub ea gemmâ noctuam latêre, non Aquilam. Viue, & fauc.

Humillimus & addictissimus seruus, P. L'ABBE'.

DIVI AVGVSTINI ELOGIVM DOGMATICVM.

INGENIVM *Augustini nemo hactenus totum nouit:*
Ingenij sui limites Augustinus ipse nesciuit:
Monstrum ingenij fuit aliis, & monstrum sibi.
Exhausit se Africa dum tale portentum tulit:
Adolescens non tam discere, quam meminisse videbatur:
Dixisses non acquirere scientias, sed innatas habuisse:
Didicit Aristotelem sine Magistro;
Vix eum Aristoteles sine Doctore didicisset:
Exhaustis omnibus scientiis adhuc sciendi auidus,
Didicit errores Manichæorum, vt haberet quod disceret:
Laudauit eos errores dum nesciuit, refutauit dum didicit,
Et nondum fidei discipulus iam pugnauit pro fide.
Superatâ Natura diu luctatus est cum gratiâ:
Expertus est se ab eâ non cogi, dum diu restitit:
Nec violentus consensus fuit, quem negauit dum voluit:
Agnouit tamen sufficientem fuisse gratiam, quâ vinci potuit;
Non accusaret moras suas, nisi properare potuisset,
Nec potuit, nisi vires offerret gratia sufficiens, & nondum vincens.
Vicit tandem Gratia efficax vinci volentem,
Sic delectauit vt suaderet, sic suasit vt cogeret;
Recusare illam poterat, etiam dum admisit;

Admisit illam voluntas libera, sed non sola:
Preuenit gratia nolentem, & adiuuit volentem:
Incepit Deus sine Augustino, vt vellet Augustinus cum Deo.
Nec meruit Augustinus gratiam quæ fecit merentem,
Data est immerenti bene cum gratia merituro:
Nemo acrius gratiæ restitit,
Nemo fortius pro gratiâ stetit.
Mirata discipulum Gratia mutauit in Magistrum,
Docuitque artem vincendi dum Augustinum vicit.
Post eam victoriam nemo Augustino par fuit;
Pelagius, Iulianus, Donatus vmbram Augustini timuêre:
Nec tantùm errores præteritos refutauit, sed futuros;
Damnauit Ianſenium nondùm à Roma damnatum.
Oppositit Antitheses erroribus futuris,
Distinxit Augustinum ab Augustino,
Et puto cum Antipodes negauit, Ianſenium intellexit.
Debet Augustinus gratiæ quod de gratia didicit;
Debet Augustino gratia quod de gratia docuit;
Debet multum Augustino Roma,
Plus Romæ Augustinus debet.
Non esset doctor Gratiæ, nisi esset discipulus Romæ.

ALBERTI MAGNI, ORDINIS PRÆDICATORVM; ELOGIVM.

ALBERTVS *Deiparæ Philosophus,*
Thomas Verbi Theologus fuit;
Bene hic de Filio, bene ille de Matre scripsit:
Vter plura sciuerit ambiguum est;
Vterque sciuit omnia, neuter plura.
In Alberto aliquid eminet, vnde illi cognomen Magni;
Rudis ætate prima, & vltima,
Parum debuit naturæ, multum gratiæ:
Momento eruditus, momento indoctus,
Didicit omnia simul, omnia simul dedidicit:
Abstulit scientias Virgo, quæ illas dederat,
Vt sciret qui reddit, alienum esse quod redditur.

Bene vſus ſcientiis quas acceperat commodatas:
Impleuit Orbem octingentis voluminibus,
Satis vnus omnibus Bibliothecis,
Sibi ipſe vix fuit ſatis.
Non facile eſt dicere quid Albertus neſcierit:
Nulla opinio etiam falſa fefellit Albertum,
Modum poſuit artibus curioſis ne vltra pergerent:
Oſtendit vbi deſineret Natura, vnde inciperet Gratia.
Petierat à Virgine ne falli poſſet, addidit illa ne falleret:
Nemo errauit ſub Alberto Magiſtro, & Thoma diſcipulo:
Vterque eruditi Orbem, vterque correxit.
Media ætas Alberti erudita, tota humilis fuit:
Magiſter ſacri Palatij, Romam deſeruit, vt Palatium deſereret:
Ratisbonenſes infulas ſponte exuit, quas inuitus induerat:
Vix inter ſuos Prouincialis eſſe volnit, qui Ordini regendo par erat.
Denique dum ex cathedra dictat, non tam verba quam Oracula:
Obmutuit extemplò oraculum orbis:
Et cuius memoria ſapientiæ promptuarium erat,
Id vnum tunc meminit, ſe nihil amplius meminiſſe:
Vnum eſt quod obliuiſci, non potuit nomen Mariæ:
Seiuit illud antequam aliquid diſceret:
Illud ſciuit poſtquam omnia dedidicit:
Prima hæc vox erupit Infanti, & vltima Seni.
Nec mutum tamen Alberti ſilentium fuit:
Albertus Senex, & mutus adhuc Orbis Magiſter erat:
Probat immemor diuinum fuiſſe, quidquid memor dictauerat.
Obiit an. ætat. 87. *Clarus miraculis.*
Ipſe eruditus, & ignarus miraculum fuit.
Nec minore prodigio amiſit ſcientias, quam accepit:
Beatus qui dum ſcientias, amiſit virtutes retinuit.

SANCTI THOMÆ,
DOCTORIS ANGELICI, ELOGIVM.

THOMAS *Angelus erat, antequam eſſet Doctor Angelicus.*
Angelorum diſcipulus, & penè æmulus fuit:
Multa ab Angelis didicit, quædam Angelis docére potuit:
Aut Theologiam ad terras deduxit è Cœlo,

Aut sciuit in viâ quod videtur in Patriâ:
Audiuit Apostolus arcana verba, sed illa tacuit:
Quæ Paulo dicere non licuit, hæc Thomas dixit.
Mysteriorum compendium est summa Thomæ:
Collegit in eâ quidquid doceri potest, aut sciri:
Inclusit Ambrosios, Hieronymos, Augustinos, Gregorios:
Ineluſit seipsum, maior seipso, & se minor.
Epitomem fecit alienæ sapientiæ, & summam suæ:
Didicit omnes qui Thomam intelligit,
Nec totum Thomam intelligit, qui omnes didicit:
Vbi alij dubitant Thomas non ambigit:
Vbi omnes desinunt, inde incipit:
Inde progressus eò ascendit quo nemo præiuerat,
Sequitur præuiam fidem, & illam ducit:
Discipulam facit Theologiam, & Magistram:
Ostendit quod illa credit:
Neque aliud supereſt nisi lumen gloriæ post Summam Thomæ.
De Deo sic loquitur, quasi vidisset,
De tribus Personis, quasi singulas nosset:
De Angelis sic disputat, quasi Spiritus esset:
Ingenerat horrorem peccati dum describit:
Amabiles reddit virtutes dum ostendit:
Incarnatum Verbum sic explicat quasi vox Verbi.
Siste aliquando Thoma, peruênit ad summum Summa tua:
Ire vlterius non potes, nisi aliquid quæras post omnia.

Bene scripsisti de me Thoma.

Probat scripturam hominis qui caracter est Patris:
Silête linguæ vbi Deus laudator est,
Fallere non potest qui laudatur, dum qui laudat non fallitur.
Appellent alij Thomam Angelum Theologiæ,
Dicant Pontifices Summam tot miraculis constare, quot titulis:
Plus dicit vna vox bene.
Christus est Verbum Patris, Thomas aduerbium filij.

Quam ergo mercedem accipies?

Quam benè scripserit collige ex testimonio,
Quam benè vixerit disce ex præmio,
Vt sciat meritum virtutis, datur optio præmij.
Quid eligat nisi Deum, qui nouit pretium Dei?
Nec potuit eligere maius, nec debuit minus:
Male scripserat si aliter elegisset.

DIVI BONAVENTVRÆ, DOCTORIS SERAPHICI, ELOGIVM.

HIC à bonis venturis nomen sortitus,
Æternitatem penè possedit intra tempus:
Destinatus à Matre Ordini S. Francisci antequam natus,
Si nomen mutes penè alter Franciscus fuit;
Fundator Ordinis futurus, nisi Franciscus præcessisset;
Et penè fundauit dum ruinas restituit.
Æqualis S. Thomæ annis, & meritis;
Vterque Doctor, ille Angelicus, hic Seraphicus;
Hic tamen optimam partem elegisse visus,
Eò iuit affectu, quo alter intellectu,
Et quod Thomas credidit, Bonauentura gustauit.
Vt sciat Seraphice doctum,
Vno breuiloquio complexus naturam, & Deum,
Ex primo principio omnia,
Ex omnibus primum Principium,
Ex Deo demonstrat Deum.
Nemo de Deo breuius, nemo clariùs scripsit;
Creditus est Seraphim commodasse alas scribenti;
Et puto dum Seraphini alas descripsit, illas habuit.
Interrogatus aliquando à S. Thoma cui libro studéret,
Ostendit pendentem ex Cruce hominem Deum,
Illustris liber scriptus intus, & foris!
Meditabatur hunc librum Bonauentura,
Nec aliunde nisi, à Deo haurire potuit, quæ de Deo scripsit.
Idem scribentem vitam S. Francisci interpellare non ausus,
Sinamus, inquit, Sanctum de Sancto scribere;
Nouum historiæ genus, dum Sanctus scribit, & scribitur:
Neuter fallere aut falli potest, vterque Sanctus.
Vis scire aliunde qualis Bonauentura fuerit;
In eo Adamus non peccauerat, vix ipse in Adamo;
Rediisse videbatur ad Statum Innocentiæ,
Qui veteris Adami nihil haberet.
Affero aliquid illustrius Angelicum, & diuinum,
Dicitur Angelus Eucharistiam ori hominis admouisse,

Dicitur ipse Christus per latus cor hominis subiisse.
O nouum communionis genus!
Bonauentura gemino aditu Christum excipit latere, & ore!
Gemino palato gustat delicias Dei!
Mirantur Angeli nouas artes amandi;
Miratur Christus, & miraculum facit.
Omisi laudare purpuram, vt parcam rubori,
Erubuit vir modestus dum illam gereret,
Nunc quoque erubesceret ad laudes.

IOANNIS SCOTI, DOCTORIS SVBTILIS, ELOGIVM.

HIC pene ante subtilis quàm homo fuit,
Occultauit Patriam dum nascitur, vt subtiliter nasceretur;
Tres populi de eius ortu disputant, plures de obitu:
Nullibi penè natus est dum vbique nascitur.
Cessate lites Patria Scoti subtilitas est,
Idcirco hactenus latuit quia subtilis est:
Subtilem Deipara fecit, vt subtilitatem conceptionis defenderet;
Inde illi subtilitas tanta, vt ipsum etiam nomen subtile sit.
Inuenisset Philosophiam, nisi Aristoteles præcessisset,
Sic eam tamen ornauit, vt eius inuentor dici possit.
In Theologia æquauit S. Thomam dum superare non potuit;
Et ne vnicus Princeps esset, eam in duo regna diuisit;
Mysteria fidei ita sciuit, vt penè non crederet:
Arcana diuinitatis sic explicat, quasi Deus reuelasset.
Nunquam tamen subtilius, quam pro conceptione pugnauit;
Ducenta argumenta ita repetiit, quasi Deus suggeret,
Ita dissoluit quasi Deus responderet,
Probauit deinde filiam esse Adami Deiparam, sed Parentis non peccantis,
Impeditam esse ne in Adamo peccaret,
Redemptam à peccato futuro,
Sanatam nondum ægram, & nondum captiuam liberatam.
Dedecus futurum filij opprobrium Matris:
Puram igitur esse debuisse, vt Deipara esset.

Perſuaſa Argumentis Sorbona in Scoti verba iurauit,
Nemo admittitur ad lauream, niſi hac in parte Scotiſta ſit.
Non arrogauit ſibi hanc victoriam Scotus quam miraculum peperit;
Dum pergit ad pugnam implorauit opem Virginis, & Virgo promiſit.
Inclinauit caput imago ſaxea, & ſtetit promiſſis:
Adhuc perſeuerat inclinatio imaginis, teſtis miraculi,
Ne quis de antiqua victoria dubitet, quæ ſemper noua eſt.
Nec ſubtilior doctrina Scoti, quam virtus fuit;
Coloniam deſtinatus, vt illic ſapientiæ Coloniam inſtitueret:
Perrexit inſalutatis Pariſiis, vt obedientia cæca eſſet:
Ibat pedes vir triumpho dignus,
Satis oneratus Scoto, niſi ſubtilitas onus leuaret.
Redintegrata Conceptionis pugna renouauit victoriam;
Vicit diſcipulos Coloniæ, qui Pariſiis Magiſtros vicerat;
Non incruentâ tamen victoriâ dum poſt pugnam interiit;
Teſtis immaculatæ Conceptionis dum vixit, & victor dum obiit;
Occultauit ingenioſe mortem, qui natales celauerat;
Tam acutè interiit, vt adhuc de mortis genere dubitetur:
Scilicet ſubtiliter mori voluit, qui ſubtiliter natus erat;
Ipſe etiam mortis annus incertus eſt, vt ſit ætas tota ſubtilis:
Illud certum eſt tam multa ſcripſiſſe, vt iis legendis vix ætas ſufficiat;
Pugnat voluminibus cum Thoma,
Plura ſcripturus ſi ſcripſiſſet minus ſubtiliter.
Vterque Doctor, ille Angelicus, hic ſubtilis:
Sed hic ſubtilis eſſe non poſſet, niſi Angelicus eſſet.

ROBERTI BELLARMINI
CARDINALIS, ELOGIVM.

SCRIBENDO *Bellarmini Elogio vnus Orator non eſt ſatis;*
Laudant illum omnes docti,
Ipſe omnium Doctorum laudator fuit.
Viuunt apud illum ſcriptores mortui, & rediuiui;
Examinauit omnium doctrinam lance qua debuit:
Legi poſſunt ſine errore, etiam qui errarunt,
Purgauit illos Bellarminus, & fecit ne fallerent:
Hæc prima laus Bellarmini ſciuiſſe omnes ſcriptores;
Altera laus id etiam ſciuiſſe, quod ipſi neſciunt,

Scire

Scire omnia debuit qui omnium judex fuit.
Nihil tamen Bellarmini scientiam certius probat quam Controuersiæ;
Extra controuersiam est eruditum opus;
Mirantur omnia ingenia ingenium vnum;
Includit vno volumine omnia volumina;
Sufficit omnibus scientiis, vix ei omnes scientiæ sufficiunt:
Mirantur hæretici expugnari se ab vno hoste,
Et vinci vno certamine hæreses sexdecim seculorum.
Quod admirabilius est placet victoria etiam victis:
Amatur hominis modesta doctrina, etiam dum arguit;
Debet Ecclesia huic operi clypeum quo se tegat;
Debet arma, & tela quibus hæreses vincat:
Debet illi fides ne sit amplius caca;
Scilicet illustrat res credendas, & pene demonstrat;
Addit Summa Angelicæ alteram Summam,
Et quondam vna, nunc pene duplex Theologia est.
Neque eminentior est Bellarmini doctrina, quam pietas:
Nihil in eo humile est nisi humilitas:
Hæc tamen humilis, & sublimis fuit;
Nepos Marcelli secundi, & dignus qui esset tertius;
Erubuit ad oblatam purpuram, plus ipsâ purpurâ,
Adigendus fuit à Clemente VIII. sub culpa, & pœnâ;
Et pœnam admissurus erat, si carêre potuisset culpâ.
Capuanas Insulas admisit vt Aulam fugeret;
Dum retineri se vidit Insulas exuit.
Recusauit prouentum Tituli, qui Titulum abdicarat;
Et vellus ouium noluit qui Pastor non erat;
Singulis annis subtrahebat se vitæ, vt morti studeret;
Aiebat faciendum id bene quod tantum fit semel,
Nec bene fieri nisi fiat ex arte,
Nec artem ab eo sciri qui arti non studuit:
Meditabatur subinde æternitatem, & penè gustabat;
Et beatus olim futurus, pene iam erat.
Extant singulorum secessuum libelli singuli,
Sapidi eorum gustui qui æterna sapiunt, non caduca.
Denique obiit, Vir Sanctus qui iam penè obierat,
Nec patriam mutauit, nec pene vitam;
Eò iuit quo ire consueuerat, & vbi iam erat.
Inuisére moribundum Cardinales, & appellarunt sanctum;
Idem dixit Pontifex priuata voce, & poterat dicere publicâ.
Abrepta est mortui purpura, & quidquid tetigerat sacrum fuit.

Omiſeram teſtamentum, & vir pauper teſtari vix debuit;
Hæredem ex aſſe ſcripſit Societatem, & aſſis vix obolus fuit.
Ante purpuram pauper, ſub purpura pauper fuit;
Mutauerat colorem non veſtem,
Sub vtroque colore Ieſuita fuit.

LVDOVICI MOLINÆ,

ELOGIVM.

HIC eſt vir ille cuius doctrina non vita
Publica Academiarum Theſis,
Alicubi victrix, vbique hactenus inuicta ſtetit.
Nulla pars doctrinæ contra fidem,
Non omnis tamen de fide eſt;
Nulla pars falſa, non omnis tamen eſt certa.
Nec certior eſt aduerſa doctrina,
Vtramque permittit Roma, neutram damnat.
Vtra potior ſit iudicent docti,
Hæc ad examen vocata indemnis exiit,
Altera nondum ad examen venit.
Timeri initio cœpit dum crederetur noua,
Timeri deſiit, cum apparuit veterana.

Audi quid ſentiat de Gratia ſufficienti.

Hæc inquit ex ſe fertilis, per me eſt ſterilis,
Tunc tantum expers effectus, cum caret aſſenſu.
Hæc in duobus æqualis hunc vincit non alterum;
Vtrumque vincere poterat, ſi vinci vterque voluiſſet;
Quod ille vincatur facit voluntas, & gratia;
Quod iſte non vincatur facit voluntas ſola.
Petebat aſſenſum gratia, negauit voluntas.

Audi quid ſentiat de gratia effectrice.

Hæc, inquit adiuuat voluntatem, non inuitam trahit:
Hæc ſecreta eſt, & ſecretum ſciens,
Hæc minax, & blanda; hæc alta & profunda:
Hæc ſic delectat vt vincat, ſic vincit vt non cogat;
Sic illuſtrat vt moueat, ſic mouet vt non determinet;
Determinat ſeipſam voluntas Domina ſui;
Adiuuatur à Gratia dum ſe determinat.

Audi quid sentiat de scientia media.

Didicit illam ex scripturis non inuénit,
Quid facturi Ceilitæ quamuis nunquam facturi:
Quid creditura Tyrus nunquam creditura?
Quid futurum, quamuis nunquam futurum;
Quid decreturus Deus, si decreturus?
Quid futurum si voluntas vellet, & Deus decerneret.
Antecedunt hanc scientiam voluntatis nutus, non actus;
Decernit Deus actus post præuisos nutus;
Sic non læditur libertas quæ exploratur,
Sequitur illam decretum Dei, non antecedit;
Sic non exponit Deus gratias suas, sed dispensat;
Sic aptat gratias libertati, & libertatem gratiis:
Explicuit hanc scientiam Molina, & nomen addidit;
Appellauit mediam, vt distingueret ab extremis:
Aptauit voluntati, & conformem vidit;
Sic explicuit concordiam gratiæ, & libertatis humanæ;
Sic seruauit vtrique fines imperij sui;
Sic vtramque dominam fecit neutram ancillam.
Laudabilis Molina dum rem arcanam explicare voluit:
Tentauit hoc secretum pars aduersa, nec inúenit:
Arcana res est humana libertas;
Solus illam nouit qui condidit;
Resignabit olim Roma hoc sigillum,
Imo neque resignabit;
Arcanum debet esse sigillum, vt sit liberum.

VMBRA AVGVSTINI,

POËMA THEOLOGICVM.

VMBRA Augustini terras irata reuiso
Ius vltura meum, violataque Gratia mecum,
Læsaque libertas mecum redit: vtraque dicet
Doctrinam de vtráque meam; sciat orbis oportet
Mentem Augustini, falsas Ianseníus vmbras
Suppossuit mundo, verax ego corporis Vmbra,
Atque animi docta Vmbra loquor.

Dic age libertas quales tibi Gratia dotes,
Et quales Natura dedit? mihi tradidit, inquit,
Imperium Natura suum, me Gratia captat
Quid videat Deus in voluntate operabunda. *Assensus studiosa mei: Deus ipse futuros*
Arbitrij explorat nutus, quid sola voluntas
Eligeret, si sola esset, dextramque iuuantem,
Auxiliumque suum præuisis nutibus aptat:
Et nutus sunt nondum actus: prænoscit agenda
Et mecum peragit: posset subducere dextram
Ne vellem, totâ non posset cogere dextrâ
Vt quod nolo velim, nolo quod nolo, voloque
Quod volo, Reginam fecit qui condidit Author,
Nec Regina essem, si sceptra aliena gubernans
Non essem Regina mei.
Libertas contradictionis *Non satis in laudem dixi, suspendere possum,*
Et motus animi, & curas, & gaudia, & ipsum
Arbitrij imperium: dum sic suspensa quiesco
Tunc operor, pensique expers operosa laboro,
Et volo tunc aliquid dum nil volo: scilicet vtor
Arbitrio dum nolo vti, & dum libera cesso
Me dominam tunc esse probo:
Libertas contrarietatis. *Plus aliquid dico, possum contraria velle,*
Et mortem, vitamque sequi, nocet ignibus vnda,
Et nocet ignis aquis, neuter mihi noxius hostis,
Hostis vterque sibi: fallax me sæpe fefellit
Vmbra boni, sæpe vmbra mali: neutra vmbra coëgit
Arbitrium violenta meum: non si omnia sceptra
Promittat dæmon, non si omnia damna minetur,
Inuitam vis nulla trahit: falli Eua volebat,
Et fraudi consensit Adam, si vellet vterque;
Staret vterque horti Dominus, fortunaque mundi
Staret adhuc, serpens terras morderet, & orcum,
Mortalisque satur vitæ succederet Astris
Lapsus Adami, & nepotum. *Non vltra moriturus Adam: damnabile pomum*
Gustauit Pater, & nati sensêre venenum.
Dum tamen hac escâ victa est humana voluntas,
Libertas inuicta stetit, lapsique parentis
Arbitrium in mediis tenuit sua iura ruinis,
Exul Adam, liberque fuit: miserique nepotes,
Et Reges mansêre sui.

Denique ſæpe vocat blandis me Gratia verbis, Gratia allicit voluntatem non cogit.
Et ſæpe illecebris victam trahit ire volentem:
Si vellem nullis traheret me Gratia vinclis,
Et ſæpe excuſſi nexus, vt ſponte perirem
In damnum generoſa meum: ſum cauſa ruinæ
Sola meæ, nec ſola tamen ſum cauſa ſalutis:
Intus agit, firmatque Deus, ſequor ipſa vocantem
Non præuerto Deum. ſic nobilis æëris hoſpes
Ales Apus, ſola ex patriis delabitur auris, Auis paradiſiaca
Deſcenſum natura iuuat, pennæque miniſtrant:
At reuocare gradum, & patrio ſe reddere cælo
Sola nequit volucris, zephiroſque expectat, & auras;
Supplentemque pedes flatum, remiſque repandis
Alarum captat flatus, auraſque iuuantes,
Et reducem Cælo facit ales, & aura volatum.
Sic ego non ſola alarum virtute reſurgo,
Et ſola virtute cado.

GRATIA VNIVERSIM.

Tu quoque diuinas enarra Gratia dotes,
Et vires deſcribe tuas: mihi Spiritus, inquit,
Eſt Pater, hic gemini poſtremus origine puncti
Accipit exhauſtam Deitatem, & Numine pleno;
Cui ſpiret ſimilem non inuenit intus amorem: Cauſa efficiens.
Hunc ego fœcundum facio, ſpirataque dicor
Gratia, communi quamuis inſpirer amore;
Et totus ſit cauſa Deus.
Altera cauſa mei Chriſtus, meme ille refecit
Dum meruit, meritamque humano reddidit orbi: Cauſa meritoria.
Coniugibus mundi primis, & Regibus orbis,
Me Deus æterni pignus donauit amoris;
Hæredeſque ſui fecit, dum fœdere pacto Pactum Dei cum Adamo.
Hæredes dedit eſſe mei: ſi pacta fideles
Seruaſſent, proli fueram promiſſa futuræ;
Hæredes factura Deos: peccauit Adamus,
Et grauidâ geſtans in libertate futuram Peccatũ originis.
Progeniem, incluſos hoc læſit vulnere nàtos
Quo Patri nocuit, crimenque vocatur origo;
Et ſcelus eſt hominem naſci: miſeratus Adamum
Alter Adam, læſi reparauit iura Parentis,
Et VERBO *carni vnito, carnemque redemit,*
Placauitque Deum Deus: huius fœdere pacis

Reddita ſum terris; duplexque amiſſa Parenti
Reſtituor terris duplex; pars altera noſtri
Gratia habitualis. *Eſt habitus, figitque gradum, creſcitque merendo,*
Hæredemque animum diuino munere complens,
Pene hominem facit eſſe Deum. pars altera lux eſt,
Gratia actualis. *Et radius qui præueniens, comitanſque, ſequenſque,*
Excitat humanam mentem, attollitque iuuando:
Ac velut exudans imber peruadit hiantem
Terræ vterum, penetratque ſinus, ſiccaſque medullas,
Et ſterilem complet fœcundo ſemine vluam,
Telluremque facit matrem, ſi fertilis imbri
Succedat ſolis radius, qui ſemen alumnum
Excitet, & vires addens per hiantia clauſtra
Impellat, trudatque foras; ſic Gratia menti
Et calor, & pluuia eſt, libertatemque parentem
Prole facit diuina, & Cœli iura merentem.
Hic meus in terras reditus; narrare labores,
Et pugnas, atque arma placet, victique triumphos
Humani Arbitrij, vincit dum vincitur à me,
Dum ſuperat cadit, & gemine fit cauſa ruinæ,
Et me dum perimit, mecum perit.

GRATIA SVFFICIENS.

Principio nulli mortali Gratia deſum
Datur omnibus *Sufficiens, emit toto me ſanguine Chriſtus,*
Et ſatis eſt mundo ille cruor; fons eſſet auarus
Si flueret paucis, & ſufficit omnibus vnda,
Et nulli ſe Lympha negat.
Rationes. *Vult omnes ſeruare Deus, nullique parauit*
Pœnas ante ſcelus, præceſſit Olympus Auernum,
Vltoremque Deum miſerans Deus: At quis Olympi
Speret iter, tentetque gradum, ſi Gratia deſit
Sufficiens, ſpiranſque animos, vireſque miniſtrans,
Et faciens, monſtranſque viam.
Nec iuſtas homini pœnas Deus inferet vltor
Quod titubet qui ſtare nequit, nec iuſta iubebit
Si ſuperent iuſſa arbitrium, nec Gratia vires
Sufficiat, tendatque manum, & comitetur euntem,
Et iuſſum moderetur iter: ſic Alitis hæres
Fulminei, nondum inſtructus vibrantibus alis,
Prodire ex nido nequit, & pendente cubili,
Ni Pater exponat Cœlo, attollatque volantem,

Soliſque opponat radiis, nidoque reportet
Infantem, & ſocias infirmo accommodet alas;
Ni faciat ſceptro innocuus priuabitur hæres;
Et probrum genitoris erit.
Hic meus ille labor libertati addere vires, Officia gratiæ ſufficientis.
Vt poſſit, ſi poſſe velit; nec me iſta grauaret
Cura miniſterij, ſi prompta audire voluntas,
Vellet iuſſa ſequi, ſed ſæpe oblita ſalutis,
Sæpe memor, ridet mutus, & verba monentis;
O quoties monui errantem, blandeque prehenſam
Reſtitui? quoties ſtimulis, flagriſque eecidi?
At quoties Domino arbitrio frænoſque momordit;
Et ſtimulos fremitu, & ſaltu calcaria riſit?
Quis numeret quot probra tuli, triſteſque repulſas?
Nec tamen abſtinui monitis, imitataque Chriſtum
Morte ſua complexum omnes, nullique negantem
Et vitæ, & mortis meritum, ſic omnibus ipſa
Auxilium, vireſque nouas inſpiro, libenſque
Tot mortes quot probra fero.

GRATIA EFFICAX.

Aſt ego victrices effectrix Gratia lauros,
Et palmas inuicta fero, nunquam obſtitit hoſtis,
Et ſemper potuit; ſua vulnera læſus amauit,
Effeci vt vinci vellet, vicique volentem.
Quas autem inſidias, caſſeſque, hamoſque tetendi Induſtriæ Gratiæ efficacis.
Arbitrio, vt falli vellet, neque falleret hamum,
Quem ſemper nudum expoſui, ne cæca voluntas
Eligeret quod non videt, affectuque coacto
Libertas rueret præceps, atque impete eæco;
Et vellet quod nollet amor.
Propterea exploro nutus, flexuſque, receſſuſque
Humani Arbitrij, quid amet, quid vellet amare,
Quid cupiat dum nil cupit; affectuſque futuros
Aſpicio monſtrante Deo, & pendentia vota,
Et libertatem volituram reddo volentem, Gratia efficax non infert neceſſitatē.
Dum præeo, nutumque ſequor; nec cogitur ire
Libertas quæ ſponte venit; nec lactea verba,
Et molles aditus, & congrua tempora fandi,
Arbitrium cogunt, præuidi pondera, nutuſque;
Et vacuos, nudoſque ſinus, & amabile ſemen
Iniicio, quo ſponte ſua grauidata voluntas;

Communes mecum fœtus parit: ac velut arcem
Prouidus explorat ductor, quâ parte struendus
Agger erit, qua parte eludet verbera murus,
Admittetve globos, vbi subterranea fossa
Puluereum excipiet semen: quo vulnere flammæ
Erumpent, fractasque vomet ad sydera turres:
Plura quoque explorat Ductor, curáque sagaci
Ante capit capiendam arcem: sic Gratia victrix
Arbitrij nutus, atque hoc discrimine capto,
Obsideo volituram arcem, expugnoque volentem.
Non tales Salomon artes describit amandi,
Nec tales sponsi & sponsæ meditantur amores:
Has ego dictaui insidias, & cantica scripsi,
Et noster cantatur amor.

Concordia Gratiæ, et Liberi Arbitrii Vmbra.

Hæc ego de vobis sensi, & concordia vestri
Vna mihi doctrina fuit: gerit vtraque sceptrum,
Vtrique imperium seruaui, & iura coronæ,
Et fines vtrique suos: nec gratia victrix
Arbitrij regnum minuit, nec victa voluntas
Imperij iura amittit, communibus armis
Vincitis, & palmam victrix, & victa meretur.
Vtraque Gratia dat vires ad agendum.
O bellum superis dignum! ô concordia felix!
Et gemini pugnant hostes, & vterque triumphat,
Et palmam superatus habet. Nec Gratia tantum
Efficiens addit robur, dextramque iuuantem,
Ipsa etiam vires inspirat, & arma ministrat
Gratia sufficiens, possetque adiuta voluntas,
Vincere si vinci vellet: nec defuit Euæ
Sufficiens virtus ementiti ora reuelans
Serpentis, fictosque sonos, & callida verba:
Et poteræ pomum ridere, Deosque futuros,
Et victrix Diuæ instar erat: tentauit Adamum
Promissa in pomo Deitas: & Gratia fraudes
Explicuit, viruſque latens, sed fœmina vicit:
Et peior serpente fuit: sic Gratia semper
Efficiens vincit, sic semper vincere posset
Gratia sufficiens: quod semper fertilis illa,
Hæc semper sterilis, sterilem facit vna voluntas,

Fœcundam

Fœcundam non ſola facit.
Hæc ego dum docui, quis nunc Ianſenius audet
Doctrinam violare meam? cur rumpere nomen
Partirique fidem? ſcripſi quod Roma probauit,
Et damno quod Roma negat: cur quærit amicum
Ypra Auguſtinum, ſi Roma opponitur Ypræ,
Aut Ypram niſi Roma probat? fraus illa, doluſque eſt
Velle Auguſtinum Auctorem, ne ſentiat hoſtem.
Quid mihi cum monſtris fidei, qui monſtra ſubegi
Antiqua, & monſtris indixi bella futuris?
Venturoſque hoſtes vici præſentibus armis,
Vincendique artem docui: ceſſate Lutheri,
Caluini, Bezæque noui prætexere nomen
Doctrinamque meam, nec diligit hæreſin vmbra,
Atque Vmbram timet illa meam. dic Gratia verax,
Tu quoque libertas an verum dixerit Vmbra.

GRATIA ET LIBERTAS.

Dixiſti quæ nunc oculis ſine nube beatis,
In Verbo ſplendère vides, ſpeculumque tuéris,
Monſtrantemque Deum ſpeculum.

FVNVS NOVÆ DOCTRINÆ.

SAT vixit quæ viuere nunquam debuit noua doctrina; idcirco falſa erat quia de Deo noua; nihil diuinum poteſt eſſe nouum, Deus ipſe eſſet falſus, ſi poſſet eſſe nouus.

De natura purâ minus ſanè, de naturâ ſanâ minus purè; de lapsâ minus rectè ſenſit. Poſt calumnias naturæ non pepercit Gratiæ; vt negaret ſufficientem finxit inutilem; vt deſtrueret efficacem fecit crudelem; vt euerteret liberum arbitrium reddidit captiuum; vt corrumperet bona opera, corrupit merita; vt excuſaret peccatum fecit neceſſarium; vt redderet Chriſtum odioſum negauit pro omnibus mortuum.

Volitauit aliquandiu noua doctrina per ora indoctorum virorum, & doctarum mulierum; rapuit illos nouitas, & iſtas leuitas; fefellit omnes nomen Auguſtini, etiam falſi; nemo ſub eo Magiſtro errare timuit, cuius ipſum etiam nomen credebatur expers erroris; fecit Auguſtinus fidem etiam dum fefellit; placuit ſub eo nomine falſitas ſub quo diſplicere debuerat.

Poſt aliquam admirationem, vocata ad examen noua doctrina deprehenſa eſt dehoneſtare naturam cum iniuriâ Creatoris; dedecorare Gratiam cum opprobrio Seruatoris, excuſare peccatum neceſſitate peccan-

di; extinguere amorem virtutis difficultate meriti; creare odium Deo homini dum ait Incarnatum pro paucis.

Pronuntiauit eam doctrinam nocentem Innocentius X. damnauit Augustinum falsum, reueritus verum, & quinque Censuris, nouarum Propositionum quinque monstra confixit: Nec tamen silêre voluit damnata doctrina, transiuit à jure ad factum, & tot nodis nouam doctrinam implicuit vt inextricabiles viderentur, nisi eos iterum gladius Petri discinderet: vidit eos gordios nodos successor Innocentij, & dum eos Petri ense dissecuit Alexander fuit.

Ridebat tamen Romana fulmina insolens doctrina, nisi accederent Gallica; venerata est Censuram Romanam Ecclesia Gallicana, & credidit hæresin esse quidquid Roma damnat ex cathedra, scilicet hoc vnum est ex priuilegiis Ecclesiæ Gallicanæ nescisse antiqua monstra, & odisse noua.

Spectabant interea Ianseniſtæ tempestatem ex portu, fauêre credebant Senatum dum tacêret, ridêre Aulam dum ludum aspiceret, & tutos se putabant quandiu eos Regius Portus protegeret. Denique Rex Christianissimus post captum Mommedium, & Mardicum, partem aliquam victoriarum putauit Ianscnium, & Portum Regium.

Senatus Augustissimus sedente Rege pro Liliis, fauente Aulâ, & spectante Lutetiâ veneratus fidem Petri, Christianissima voce hæreticum pronuntiauit quisquis cum Petro non crederet. Oppressit ea vox nouam Doctrinam; stupefacta hoc fulmine fecit naufragium in portu, & nunc vbi Portus Regius erat, nihil est nisi triste naufragium.

INSCRIPTIO PORTVS REGII.

Hîc Portus quondam fuerat, discedite Naues,
Non est hæc Statio Regia, naufragium est.

TROIS DEVISES SVR L'AVTEVR DE LA NOVVELLE DOCTRINE.

I.

IANSENIVS CORRVPTEVR D'AVGVSTIN.

Vne Echo.

Reddens non integra verba.

EPIGRAMMA.

Fallitur, & fallit reddens non integra verba
Echo, reflexi saucia Imago soni.

Pastor Ypræ sensum fallens, & verba Magistri,
Echo est, hæc læsos reddit, & iste sonos.

II.

IANSENIVS SE COVVRE DV NOM D'AVGVSTIN.

L'Anneau de Gyges.

Nemo satis sub luce latet.

EPIGRAMMA.

NEmo satis sub luce latet, gemmam obijce Soli,
Qui vult esse Gygas cernitur esse Gyges.
Pastor Ypræ magno frustra se nomine celat;
Tolle Augustinum, Noctua non Aquila est.

III.

IANSENIVS FAVX AVGVSTIN.

Vn Aigle precipitant vn faux Aiglon.

Hæredem negat esse suum.

EPIGRAMMA.

HÆredem negat esse suum, qui lumina Solis
Fixo oculo, & firmo non bibit ore diem.
Magni Augustini non est Iansenius hæres,
Romanum pauido non tulit ore diem.

CIRCA QVINQVE PROPOSITIONES
AB INNOCENTIO X. ET ALEXANDRO VII.
DAMNATAS.
THESES IANSENII.
ANTITHESES AVGVSTINI.

CIRCA PRIMAM PROPOSITIONEM.

Aliqua Dei præcepta hominibus iustis volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires, sunt impossibilia; deest quoque iis Gratia qua fiant possibilia.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 3. c. 13. Hæc igitur omnia pleniſſime, planiſſimeque demonſtrant nihil eſſe in ſancti Auguſtini doctrina fundatius, ac certius, quam eſſe præcepta quædam quæ hominibus non tantum infideli-

bus sed fidelibus quoque & iustis, volentibus, & conantibus secundum præsentes quas habent vires sunt impossibilia, deesse quoque gratiam qua fiant possibilia, &c.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

SErm. 191. Execramur etiam blasphemiam eorum qui dicunt impossibile aliquid homini à Deo esse præceptum, & mandata Dei non à singulis sed ab omnibus in commune posse seruari.

Iansenius dicit esse quædam præcepta impossibilia: Augustinus execratur hoc tanquam blasphemum. Ergo Iansenius imponit Augustino.

THESIS IANSENII.

IAnsenius eodem cap. 13. lib. 3. Deesse quoque gratiam qua fiant possibilia.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

CAp. 4. de grat. & lib. arbitr. Homo ergo gratia iuuatur, ne sine causa voluntati eius iubeatur.

Iansenius dicit deesse gratiam qua fiant possibilia. Augustinus dicit hominem iuuari gratia, ne sine causa voluntati eius iubeatur. Ergo Iansenius dicit opposita Augustino.

THESIS IANSENII.

EOdem cap. 13. Ex hac Augustini doctrina sequitur plurimis non dari istam faciendi præcepti possibilitatem, quæ precibus implorari solet, &c.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. de nat. & grat. 43. Non igitur Deus impossibilia iubet, sed iubendo monet, & facere quod possis, & petere quod non possis.

Iansenius dicit plurimis deesse possibilitatem faciendi præcepta, & negari etsi imploretur. Augustinus dicit volentem aut habere semper gratiam vt impleat, aut posse orare vt habeat. Ergo si oret illam habebit. Imo non potest orare nisi per gratiam sufficientem, ergo aut voluntas habet semper gratiam efficacem vt impleat, aut habet sufficientem, vt petat efficacem.

THESIS IANSENII.

EOdem cap. Hæc impossibilitas seruandi præcepta fidelibus accidit, non tantum quando nolunt præcepta facere, sed etiam quando volunt.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE actis cum felice Manichæo cap. 17. Qui enim ſeruare legem non vult, in poteſtate eius eſt ſi velit, non enim dixit non potuerunt, ſed noluerunt; hoc certe quod nolunt ſeruare legem, non à gente tenebrarum coguntur, ſi enim coguntur non nolunt, ſed non poſſunt, ſi autem nolunt, non vtique coguntur vt non faciant, ſed ſua voluntate nolunt.

Non poſſe ſeruare præcepta etiam cum volumus, & habere in poteſtate ſeruare etiam cum nolumus, ſunt oppoſita. Ergo.

THESIS IANSENII.

EOdem cap. 13. Auguſtinus docet quarundam cupiditatum tentationes aliquorum hominum vires ſuperare, ita vt eas vincere non poſſint, & tamen peccare dum conſentiunt.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE nat. & grat. cap. 66. Quæcunque eſt iſta cauſa voluntatis, ſi non poteſt ei reſiſti ſine peccato creditur, ſi autem poteſt non ei credatur, & non peccabitur; An forte fallit incautum, ergo caueat ne fallatur; An tanta fallacia eſt vt caueri omnino non poſſit, ſi ita eſt nulla ergo peccata ſunt. Idem Auguſt. lib. de grat. & lib. arbit. cap. 4. Vt autem iſta ſeruentur caſtitatis ſancta mandata, vnuſquiſque tentatur à concupiſcentia ſua, &c. Si dixerit volo ſeruare, ſed vincor à concupiſcentia mea, reſpondet ſcriptura eius libero arbitrio, noli vinci à malo, ſed vince in bono malum.

Ianſenius ait eſſe aliquas tentationes quas voluntas ſuperare non poteſt, & tamen peccare ſi non ſuperet. Auguſtinus ait nullas eſſe quas voluntas non poſſit ſuperare, ſcilicet adiuta à Deo, & ſi omnino non poſſet ſuperare, non peccare. Ergo Ianſenius imponit Auguſtino.

CIRCA SECVNDAM PROPOSITIONEM IANSENII A ROMA DAMNATAM.

Interiori gratiæ in ſtatu naturæ lapſæ nunquam reſiſtitur.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 2. cap. 14. Tota doctrinæ S. Auguſtini moles in illum tanquam ſcopum collimat, vt Chriſtiani credant, & qui poſſunt intel-

ligant non liberum arbitrium esse, quod possit gratiæ efficientiam seu influxum in opus impedire.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

IN Psal. 63. Quod pluit in agrum vberem dulce est, & quod pluit in agrum spinosum dulce est; nunquid pluuiam accusas quod spinas generet; nonne erit pluuia illa testis in iudicio Dei, & dicet; Ego dulcis super omnia veni, tu ergo quid proferas vide, profers frumentum spera horreum, profers spinas ignem spera.

Arbitrium non posse impedire influxum gratiæ, & posse impedire sunt Antitheta, Ianseniusdicit primum Augustinus secundum.

THESIS IANSENII.

IAnsenius tom. 3. lib. 2. cap. 4. Adiutorium ægrotæ voluntatis est hoc ipsum quod suapte efficacia facit influere facultatem, nec facultatis illius libero arbitrio subiacet, sed inuicte facit vt hoc vel illud arbitretur, & velit.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 83. quæst. q. 61. Ad illam cœnam in Euangelio præparatam, nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt, venire possent nisi vocarentur; itaque neque illi debent rribuere sibi qui venerunt, neque illi qui venire noluerunt debent alteri tribuere sed tantum sibi, quoniam vt venirent in eorum erat potestate.

Adiutorium gratiæ non subiacére arbitrio, & subiacére sunt duo opposita, Ianseniusprimum dicit, alterum Augustinus.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 2. cap. 4. Talis est influxus Gratiæ, qualis est influxus causæ formalis, hoc ipso quippe quod adest justitia, fit iustus animus, & sine illa iustus esse nunquam potest.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 1. ad Simplic. q. 2. Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocarus, multi enim sunt vocati, pauci electi, vtique ij qui vocantem non contempserunt. Sed credendo secuti sunt.

Influxus causæ formalis non est actiuus, est necessarius, non potest impediri posita causa. At ex August. influxus gratiæ sæpe reijcitur & contemnitur: Ergo non est quasi causæ formalis.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 2. c. 25. Efficaciſſima gratiæ medicinalis natura, &c. eò quod nulla prorſus effectu carear, & mox; ex defectu operis recte infertur grariam non eſſe daram, & hoc ipſo quod homo effectu deſtituitur, nullam ei gratiam collatam eſſe, & hoc ipſo quod data ſit mox effectum ſequi.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE grat. & lib. Arb. c. 5. Hoc enim liberum hominis arbitrium exhortatur, & in aliis quibus dicit rogo vos ne in vacuum gratiam Dei ſuſcipiatis, vt quid enim eos rogat, ſi gratiam Dei ſic ſuſceperint vt propriam perderenr volunratem.

Fruſtra Apoſtolus rogat ne in vacuum gratiam Dei recipiant, ſi nulla gratia effectu caret, ſi hoc ipſo quod data eſt, effectus ſequitur. At exhortatur & rogat. Igitur Ianſenius dicit antitheta Apoſtolo, & Auguſtino.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. l. 2. c. 28. Chriſti Gratia nunquam relinquit voluntatem in æquilibrio, ſed illud auferr & efficir vt velit: Et c. 28. nec Auguſtinus, nec Eccleſia, nec Concilia aliam vllam actualem agnouêre quam quæ talis eſt.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 50. homil. homil. 2. Cum per adiurorium Dei in poteſtate tua ſit vrrum conſentias diabolo, quare non magis Deo quam ipſi obtemperare deſideras. Pſal. 91. Si Sarhanas loquererur, & racêret Deus, haberes vnde te excuſares, modo aures tuæ poſitæ ſunt inter monentem Deum, & ſuggerentem ſerpentem, quare huc flectunrur, hinc auertuntur, non ceſſar Sarhanas ſuadere malum, ſed nec Deus ceſſat admonere bonum, Sarhanas aurem non cogit inuitum, in rua poreſtare eſt conſentire aut non conſentire.

Ianſenius ait gratiam Chriſti nunquam relinquere voluntatem in æquilibrio, Auguſtinus agnoſcit hoc æquilibrium. Ergo dicunt Antitheta.

CIRCA TERTIAM PROPOSITIONEM A ROMA DAMNATAM.

Ad merendum & demerendum in ſtatu naturæ lapſæ non requiritur in homine libertas à neceſſitate, ſed ſufficit libertas à coactione.

THESIS IANSENII.

Lib. 8. c. 9. §. hinc ergo. Nulla neceſſitas actibus liberis voluntatis reformidanda eſt, ſed ſola vis, coactio, & neceſſitas violentiæ.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de duabus animabus c. 12. Quamobrem illæ animæ quidquid faciunt, ſi naturâ non voluntate faciunt, ideſt ſi libero ad faciendum & ad non faciendum motu animi carent, ſi denique iis abſtinendi ab opere ſuo poteſtas nulla conceditur, peccato earum teneri non poſſunt.

Ex Auguſtino tria impediunt libertatem, & peccatum, natura ſeu neceſſitas faciendi, Carentia indifferentiæ ad faciendum vel non faciendum, carentia poteſtatis abſtinendi ab opere. Ergo non ſola coactio, & violentia repugnat libertati.

THESIS IANSENII.

Lib. de Grat. Chriſti c. 10. Cum arbitrio in vtramque partem libero, & flexibili conditus eſt Angelus, & primus homo, addit poſtea, illa æquabilis libertatis indifferentia velut bilancis æquilibrium periit, &c. & vbi voluntas vniuſcuiuſque cecidit, ibi manſit.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

De geſtis cum felice Manichæo c. 4. Habet vnuſquiſque in voluntate ſua eligere quæ bona ſunt, & eſſe arbor bona, aut eligere quæ mala ſunt, & eſſe arbor mala.

Poſſe eligere bonum vel malum, eſt libertas contrarietatis, at hæc non periit ex Auguſtino. Ergo.

THESIS IANSENII.

Lib. 6. c. 38. Veteribus perſpectum fuit voluntatem quantumcunque aliquid immutabiliter, neceſſarioque velit, ſemper ſibi & actui ſuo dominari.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. contra Fortunatum, Animæ rationali quæ eſt in homine dedit Deus liberum arbitrium, ſic enim poſſet habere meritum, ſi voluntate non neceſſitate boni eſſemus. Cum ergo oporteat voluntate, non neceſſitate

ceſſitate bonum eſſe, oportebat vt Deus daret homini liberum arbitrium.

Auguſtinus opponit hæc duo, voluntate, non neceſſitate bonum eſſe, & vult neceſſitatem pugnare cum libero arbitrio. Ergo actus neceſſarij non ſunt liberi.

THESIS IANSENII.

Lib. 6. cap. 38. Veteres nihil omnino curarunt de neceſſitate actus voluntarij, ſed non obſtante ineuitabili neceſſitate, omnem omnino rationabilem voluntatem, hoc eſt voluntatis modum liberum poſuerunt. Sola excluſa violentiæ, coactioniſque neceſſitate.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de vera Religione. Tales ſeruos ſuos Deus meliores iudicauit, ſi ei ſeruirent liberaliter, quod nullo modo fieri poſſet, ſi non voluntate, ſed neceſſitate ſeruirent.

Auguſtinus hæc duo diſtinguit voluntate, & neceſſitate ſeruire: ergo neceſſitas opponitur libertati.

THESIS IANSENII.

Lib. 8. cap. 38. Fidenter dico, quicunque doctrinam iſtam à nobis traditam erroris inſimulare auſus fuerit, in iſta Catholicæ doctrinæ culmina, & columina neceſſe eſt vt anathema primum dicat.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de duab. anim. contra Manich. cap. 12. Quid certius quam neminem vituperatione, ſuppliciove dignum eſſe, qui id non faciat, quod facere non poteſt, nonne iſta cantant, & in montibus Paſtores, & in Theatris Poëtæ.

Ex Auguſtino, & ſenſu communi ineuitabilis neceſſitas priuat vituperatione, & ſupplicio: Ergo pugnat cum merito, & demerito.

CIRCA QVARTAM PROPOSITIONEM A ROMA DAMNATAM.

Semipelagiani admittebant præuenientis gratiæ interioris neceſſitatem ad ſingulos actus, etiam ad initium fidei, ſed in hoc erant hæretici quod vellent eam gratiam talem eſſe, cui poſſet humana voluntas reſiſtere, vel obtemperare.

THESIS IANSENII.

TOm. 1. lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 6. Neque vero Maſſilienſes hanc ipſam Gratiæ neceſſitatem ad ipſum velle diffitentur: Et Paulo an-

tè. Non enim excluſere Maſſilienſes ab illa credendi voluntate gratiam quæ interius adiuuaret, &c.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE Prædeſt. §. c. 2. 1. retract. c. 23. de natura & grat. cap. 48. & centum aliis locis Auguſtinus ait Semipelagianos cenſuiſſe gratiam dari ſecundum merita fidei, & ſic fidem eſſe gratia priorem. Item dicebant naturam ſufficere ad fidem. Item fidem eſſe tantummodo noſtram. Item fidem non eſſe donum Dei, & nos non accipere à Deo cogitationes pias ad credendum.

Gratiam neceſſariam eſſe ad credendum, & Gratiam non eſſe neceſſariam ſunt antitheta. Ianſenius primum attribuit Semipelagianis, Auguſtinus ſecundum: Ergo dicunt antitheta.

THESIS IANSENII.

TOm. 1. lib. 8. de hæreſ. Pelag. cap. 8. In hoc ergo proprie Maſſilienſium error poſitus eſt, quod aliquid primæuæ libertatis reliquum putant, quo lapſus homo ſaltem credere poſſet ſi vellet, non tamen abſque interioris gratiæ adiutorio, cuius vſus vel abuſus relictus eſſet in vniuſcuiuſque arbitrio & poteſtate.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE bono perſeuer. cap. 5. Credere vel non credere poſitum eſt in arbitrio voluntatis humanæ. Intellige ſuppoſita gratia ad credendum. De Spirit. & lit. cap. 34. Conſentire vel diſſentire propriæ eſt voluntatis. In Enchir. cap. 95. Non ſe liberabunt qui dicturi ſunt non accepimus perſeuerantiam, quoniam poteſt dici, ô homo in eo quod acceperas, & tenueras, in eo perſeuerares ſi velles.

Vſum vel abuſum gratiæ non eſſe in noſtra poteſtate, & eſſe, ſunt contradictoria, primum affirmat Ianſenius, ſecundum aſſerit Auguſtinus.

CIRCA QVINTAM PROPOSITIONEM DAMNATAM.

Semipelagianum eſt dicere Chriſtum pro omnibus omnino hominibus mortuum eſſe, aut ſanguinem fudiſſe. Chriſtus pro ſalute duntaxat prædeſtinatorum mortuus eſt.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 3. cap. 21. Quod dicitur Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, machina eſt à Semipelagianis erecta, & ab antiquis repudiata.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib.6. contra Iulian. cap.4. explicans illud Apoſtoli. Chriſtus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt, ex hoc probauit, inquit, omnes mortuos eſſe quia pro omnibus mortuus eſt vnus: inculco, infercio recuſanti, accipe ſalubre eſt, nolo moriaris, vnus pro omnibus mortuus eſt, ergo omnes mortui ſunt; vide quia conſequens eſſe voluit vt intelligantur omnes mortui, ſi pro omnibus mortuus eſt.

Doctrina Auguſtini non eſt machina à Semipelagianis erecta: at doctrina Apoſtoli & Auguſtini eſt Chriſtum pro omnibus mortuum eſſe.

THESIS IANSENII.

IBidem tom. 3. lib. 3. cap. 21. Nullomodo principiis Auguſtini conſentaneum eſt, vt Chriſtus Dominus vel pro infidelium in infidelitate morientium, vel pro iuſtorum non perſeuerantium æterna ſalute mortuus eſſe, ſanguinem fudiſſe, ſemetipſum Redemptorem dediſſe, Patrem oraſſe ſentiatur.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib.2. de ſymbolo ad Catechum. Videtis vulnera quæ inflixiſtis, agnoſcitis latus quod pupugiſtis, quoniam & per vos, & propter vos apertum eſt, nec tamen intrare voluiſtis.

Hoc loco Chriſtus inducitur alloquens reprobos in die judicij: Ergo etiam pro reprobis mortuus eſt ex mente Auguſtini.

THESIS IANSENII.

IBidem. Chriſtus pro viuificandis in æternum iis qui fidem, charitatem, & in iis vſque in finem perſeuerantiam acceperunt, non pro cæteris qui à fide & charitate deficientes in iniquitate moriuntur.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

TRact. 4. in Ioan. Populi ſpernentes propter ſuperbiam ſuam humilitatem Dei, crucifixerunt Saluatorem ſuum, & fecerunt damnatorem ſuum.

Ianſenius negat Chriſtum mortuum pro iis qui in iniquitate moriuntur, Auguſtinus aſſerit pro iis mortuum: ergo dicunt antitheta.

THESIS IANSENII.

IBidem. Chriſtus non magis pro æterna liberatione ipſorum, quam pro diaboli deprecatum eſſe.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

IN Psalm. 68. Iudas non agnouit pretium quo ipse à Domino redemptus erat.

Ex Augustino Iudas redemptus erat à Domino, sed pretium non agnouit, diabolus non est redemptus; ergo impia est comparatio diaboli.

THESIS IANSENII.

TOm. 3. lib. 3. cap. 21. Antiqui docuêre hoc respuendum esse tanquam errorem à Catholica fide abhorrentem; scilicet Christum pro omnibus mortuum esse.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

SErm. 31. ex tom. nuper editis. Sanguis Domini tui si vis datus est pro te, si nolueris non est datus pro te. Et postea, Sanguis Christi volenti est salus, nolenti supplicium.

Sanguinem Christi volenti esse salutem, nolenti esse supplicium, est fusum esse pro omnibus. Augustinus hoc dicit, Iansenius negat: Ergo dicunt antitheta.

VIdes, Lector, quinque propositiones apud Iansenium extare de facto; neque illas tantum vagè sumptas, & quasi expositivas, sed apud Iansenium de iure, & de facto damnatas: Nec fallitur Roma cum factum damnat cum iure connexum: falli potest Rota Romana, nunquam fallitur cathedra.

CIRCA ALIAS QVASDAM MATERIAS THESES, ET ANTITHES IANSENII, ET AVGVSTINI.

DE GRATIA SVFFICIENTI.

THESIS IANSENII.

LIb. 3. de grat. Chr. cap. 1. Quapropter sufficientem illam gratiam, quam Scholastici multi in Theologiam velut adiutorium Saluatoris intulerunt, ab Augustino destructam, funditusque euersam esse libens fateor.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 3. de liber. arbit. cap. 16. Ex eo igitur quod non accepit nullus reus est, ex eo vero quod non facit quod debet iuste reus est, debet autem si accepit voluntatem liberam, & sufficientissimam facultatem.

Per sufficientissimam facultatem non potest hoc loco intelligi voluntas libera, quia Augustinus illam distinguit à facultate; nec potest intelligi Gratia efficax, quia cum illa voluntas facit quod debet, ergo intelligitur Gratia sufficiens, ergo illam agnouit Augustinus.

THESIS IANSENII.

IBidem. Nullum igitur iam dari hominibus lapsis adiutorium sufficiens, quin sit simul efficax in Augustini principiis exploratum est.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. 2. de perseu. §. cap. 9. Ex duobus ætate iam grandibus cur iste ità vocetur, vt vocantem sequatur, ille autem non vocetur; aut non ità vocetur, inscrutabilia sunt iudicia Dei.

Gratia quæ ita vocat vt vocatus sequatur est efficax, quæ vocat sed non ita, est sufficiens, vtramque hoc loco agnoscit Augustinus; ergo ex Augustini principiis datur gratia sufficiens, quæ non est efficax.

THESIS IANSENII.

Lib. 3. de grat. Chr. cap. 2. Hæc ergo quia vidit Augustinus, ideo nunquam amplius istius adiutorij sufficientis, tanquam reparatorij post casum hominis meminit.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. 2. ad Simplic. q. 2. Nemo itaque credit non vocatus, sed non omnis credit vocatus, multi enim sunt vocati, pauci vero electi, vtique ij qui vocantem non contempserunt, sed credendo secuti sunt.

Gratia qua quis vocatus credit est interna, & efficax; qua vero vocatus non credit est sufficiens tantum, poterat tamen esse efficax, & ea intentione dabatur à Deo; ergo Augustinus vtriusque Gratiæ meminit.

THESIS IANSENII.

IBidem. Nimirum vidit consequenter Augustinus hoc adiutorij genus iam esse prorsus inutile lapsorum reparationi, vel operationibus; etiamsi ad sexcentos sufficientiæ gradus augeretur.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. 83. q. q. 68. Ad illam cœnam in Euangelio præparatam nec omnes qui vocati sunt venire voluerunt, nec illi qui venerunt venire possent nisi vocarentur: Itaque neque illi debent sibi tribuere qui venerunt, neque illi qui venire noluerunt debent alteri tribuere, sed tantum

ſibi, quoniam vt venirent vocati in eorum erat poteſtate.

Gratia qua quis venit ad cœnam Euangelicam eſt efficax, quâ vero quis venire poteſt, & non venit eſt tantum ſufficiens, vtramque agnoſcit Auguſtinus.

THESIS IANSENII.

Lib. 3. de grat. Chr. cap. 11. Eſt titulus capitis. Infideles carent gratiâ ſufficienti ad ſalutem tam proximâ quam remotâ, & omnibus ptincipiis eius.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de Spir. & lit. cap. 33. Infideles contra Dei voluntatem faciunt cum Euangelio non credunt, nec ideo tamen eam vincunt, verum ſeipſos fraudant magno, & ſummo bono, maliſque pœnalibus implicant, experturi in ſuppliciis poteſtatem eius, cuius in donis miſericordiam contempſerunt.

Non faciunt contra Dei voluntatem ſi non poſſint credere, non poſſunt ſi carent gratia ſufficienti tam proximâ, quam remotâ; & contemptus donorum, & miſericordiæ, non eſt ſine contemptu gratiæ. Ergo etiam infidelibus non deeſt Gratia ſufficiens.

DE GRATIA EFFICACI.

THESIS IANSENII.

Lib. 2. de grat. Chr. cap. 4. Gratia ſanæ voluntatis in eius libero atbitrio relinquebatur, vt eam ſi vellet deſereret, aut ſi vellet vteretur, Gratia veto lapſæ voluntatis nullo modo in eius relinquitur arbitrio, vt eam deſerat, aut corripiat ſi voluerit.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de Spir. & lit. cap. 34. In omnibus miſeticordia eius præuenit nos; conſentire autem vocationi Dei, vel ab ea diſſentire propriæ voluntatis eſt.

Diſſentire vocationi eſt eam deſerere, conſentire eſt eam accipere vtrumque relinquitur arbitrio voluntatis lapſæ; ergo Ianſenius imponit Auguſtino.

THESIS IANSENII.

Lib. 1. de grat. Chr. c. 5. Nullum adiutorium cuius vſus ita ponitur in arbitrio voluntatis, vt illo vtatur, aut non vtatur, vt illud amplectatur aut deſerat, vt illi conſentiat aut non conſentiat ſi voluerit, ad medicinale

adiutorium Christi pertinet, sed ad adiutorium primi hominis, & sanæ voluntatis referendum est.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. de Spir. & lit. cap. 34. Visorum suasionibus agit Deus vt velimus, & vt credamus siue extrinsecus per Euangelicas exhortationes, &c. siue intrinsecus, vbi nemo habet in potestate quid ei veniat in mentem, sed consentire vel dissentire propriæ voluntatis est.

Augustinus loquitur de gratia medicinali, vt patet ex verbis per Euangelicas exhortationes, & tamen ait voluntatem posse consentire vel dissentire: Ergo adiutorium medicinale non excludit indifferentiam voluntatis.

THESIS IANSENII.

Lib. 2. de grat. Chr. c. 4. Adiutorium Dei ante ruinam erat tale, vt eius influxus à liberæ voluntatis nutu penderet, adeoque salua maneret illa voluntatis in vtramque partem flexibilis indifferentia; nunc vero post ruinam tale est vt faciat annuere, & influere, & velle voluntatem: Et addit, nec facultatis ipsius libero arbitratui subiacet, & mox adiungit talis est influxus omnis causæ formalis.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE grat. & lib. arbit. cap. 6. Hoc enim liberum hominis arbitrium exhortatur Apostolus, & in aliis quibus dicit, rogo vos ne in vacuum gratiam Dei suscipiatis, vt quid enim eos rogat, si gratiam Dei sic susceperint, vt propriam perderent voluntatem.

Vis argumenti in eo est, frustra Apostolus rogat ne in vacuum gratiam Dei suscipiant, si influxus gratiæ nullo modo pendet à voluntate, non magis quam influxus causæ formalis, at ex Iansenio non magis pendet. Ergo sentit contra Apostolum, & Augustinum.

THESIS IANSENII.

Lib. 2. de grat. Chr. cap. 14. Augustinus, & Concilia docent per illud Christi adiutorium Deum facere vt arbitrium velit, vt consentiat, vt operetur; nunquam autem vel leuiter insinuat, sed potius expressis verbis negat in hominis voluntate relinqui vt illud amplectatur, aut deserat.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. 1. de prædest. Sanct. cap. 5. Non quia credere vel non credere non est in arbitrio voluntatis humanæ, sed in electis præparatur voluntas à Domino.

Posse credere vel non credere est libertas contradictionis & indifferentiæ, at hæc ex Augustino relinquitur in voluntate.

CONcilium Trident. sess. 6. cap. 5. Iustificationis exordium in adultis à Dei per Christum Iesum pręueniente gratia sumendum est, vt qui per peccata à Deo auersi erant, per eius excitantem, atque adiuuantem gratiam eidem gratiæ libere assentiendo & cooperando disponantur, ita vt tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere potest; neque tamen sine gratia Dei mouêre se ad iustitiam coram illo libera voluntate possit. Et Can. 4. Si quis dixerit liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum nihil cooperari assentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad iustificationis gratiam se disponat, neque dissentire posse si velit, Anathema sit.

Posse abjicere gratiam, posse dissentire si voluntas hominis lapsi velit, est posse amplecti, & deserere gratiam, at Concilium ait voluntatem posse abjicere gratiam, & posse dissentire, &c.

DE CONCORDIA GRATIAE, ET LIBERI ARBITRII.

THESIS IANSENII.

LIb. 2. de grat. Chr. cap. 23. Vbi quod dixit Gratia Dei semper est bona non alium habet sensum nisi quod hominem semper efficiat bonum, & consequenter semper congrua sit, & congrue moueat voluntatem, nimirum quia semper voluntatem determinat ad influendum secum, non à voluntate ad influendum determinatur.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE grat. & libet. arbit. cap. 5. Tamen ne ipsa voluntas sine gratia Dei putetur boni aliquid posse, continuo cum dixisset, Gratia eius in me vacua non fuit; subiunxit non ego autem sed gratia Dei mecum, idest non solus sed Gratia Dei mecum, ac per hoc nec Gratia sola, nec ipse solus, sed Gratia Dei cum illo.

Ex Augustino nec sola voluntas, nec sola gratia: Ergo determinatio voluntatis est ab vtráque.

THESIS IANSENII.

LIb. 7. de grat. Chr. cap. 14. Et sane si non est alia libertas vera, quam agendi, & non agendi, sequitur operationem diuinæ gratiæ ex diametro repugnare arbitrij libertati.

ANTITHESIS

ANTITHESIS AVGVSTINI.

DE grat. & liber. arbit. cap. 1. Nempe vbi dicitur noli hoc, & noli illud, & vbi ad aliquid faciendum, vel non faciendum in diuinis opus voluntatis exigitur, satis liberum demonstratur arbitrium; nemo ergo Deum causetur in corde suo; sed sibi imputet quisque dum peccat; neque cum aliquid secundum Deum operatur, alienat hoc à propria voluntate, quando enim volens facit, tunc dicendum est opus bonum, tunc speranda est boni operis merces.

Posse nolle hoc vel illud est libertas contrarietatis, posse facere opus bonum vel non facere est libertas contradictionis; huic vtrique libertati non repugnat Gratia.

THESIS IANSENII.

LIb. 8. de Grat. Chr. cap. 19. Hinc etiam elucet cur tantum silentium apud veteres istius exacti æquilibrij voluntatis ad agendum, & non agendum, quod nonnulli tanto studio quærunt; ratio quippe est non solum quia hoc falsum est, & ab illis excogitatum qui liberi arbitrij peccato violari statum, & medicinalis gratiæ operationem non satis assequuntur.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 2. contra literas Petiliani cap. 84. Si tibi proponam quæstionem quomodo Deus Pater attrahat ad filium homines quos in libero dimisit arbitrio, fortassis eam difficile soluturus es, quomodo enim attrahit? si dimittit vt quis quod voluerit eligat, & tamen vtrumque verum est, sed hoc intellectu penetrare pauci valent.

Ex Augustino gratia ita attrahit voluntatem, vt voluntas possit eligere quod voluerit: ergo Augustinus meminit æquilibrij, nec illi repugnat gratia medicinalis.

THESIS IANSENII.

LIb. 2. de Grat. Chr. cap. 32. Ex his itaque satis constat congruitatem quam Augustinus passim in scriptis suis vocationi & suasioni adscribit, non esse nisi vocationis, & suasionis externæ, hoc est extra voluntatem peragentis partes suas: & proinde absone, obtritoque collo ad gratiam illam internam voluntatis trahi.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

LIb. 1. ad Simpl. q. 2. Quia etsi multos vocet, eorum tamen miseretur quos ita vocat, quomodo eis vocari aptum est; & paulo post, cuius miseretur sic eum vocat quomodo scit congruere, vt vocantem non respuat.

Congruitas gratiæ externæ probat congruitatem internæ, non negat,

nec sola vocatio externa facere potest vt voluntas vocantem Deum non respuat: ergo Augustinus agnoscit congruitatem gratiæ internæ, nec tantum externæ.

THESIS IANSENII.

Lib. 8. de Grat. Chr. cap. 9. Augustino, discipulis, & posteris eius definitio illa liberi arbitrij, qua nunc Scholastici quidam id esse volunt, quod positis omnibus ad agendum requisitis potest agere vel non agere, ad multa secula fuit ignotissima.

ANTITHESIS AVGVSTINI.

Lib. 12. de Ciuit. cap. 6. Si duo æqualiter affecti animo, & corpore videant vnius Corporis pulchritudinem, quâ visâ vnus eorum ad illicite perfruendum moueatur, alter in voluntate pudicâ stabilis perseueret: Et paulo post si eâdem tentatione ambo tententur, & ei vnus cedat, atque consentiat, alter idem qui fuerat perseueret; quid aliud apparet, nisi vnum voluisse, alterum noluisse à castitate deficere.

Videre eandem pulchritudinem qua alter vincitur, & nolle vinci: tentari eâdem tentatione quâ alter superatur, & resistere, est positis omnibus ad agendum requisitis posse agere vel non agere, Augustinus hoc agnouit: ergo definitio liberi arbitrij non fuit adeo ignota.

PHILOSOPHIA SENECÆ
IN EPITOMEM REDACTA.

ILLVSTRISSIMO NOBILISSIMOQVE DOMINO

DIONYSIO LE GOVX
DE LA BERCHERE,

MARCHIONI DE SANTHENAY, ORDINARIO REGIS IN OMNIBVS CONSILIARIO, ET IN SENATV DELPHINATVS PRÆSIDI PRIMARIO.

VIVIT in Te Seneca superstes sibi, VIR ILLVSTRISSIME, restituis illi vitam quam amisit; talis est intra Te, qualis intra se fuit, veracem facis eius doctrinam; quod speculatur hoc sapis, quod philosophatur hoc viuis, quod præscribit hoc exequeris: aut alter Seneca es, si fuit geminus, aut idem rediuiuus si fuit vnicus.

Offero Tibi compendium Senecæ, & totum Senecam, totum Solem in radio, totum circulum in centro, totum florem in ſucco: ineſt ſingulis rebus immixtus ſpiritus quo res quæque conſiſtit; hîc ſpiritus arte chimica eductus eſſentia vocatur: Pars eſt rei, & res tota, anima floris, ſuccus liquoris, ſpiritus auri, mens metalli: Non ſatis dixi, flos eſt floris, liquor liquoris, aurum auri, metallum metalli: Spiritus Senecæ eſt hic libellus, anima operum, ſuccus librorum, particula Senecæ, & Seneca totus.

Placebit vt ſpero Tibi, morale, & politicum Xenium, cui morales & politicæ quæſtiones placent; Magiſter morum eſt Seneca, politicæ magnus Author, & penè inuentor; ſcilicet ſcribit res magnas, & geſſit: inſtruit Magiſtratus, & fuit; docet facienda, & facit; ſimilis eſt Tibi, & Tu illi; diſplicêre Tibi non poteſt Seneca, niſi Tu ipſe diſpliceas Tibi,

MAGNITVDINIS TVÆ,

Addictiſſimus ſeruus, PETRVS L'ABBE.

CAPVT SENECAE MARMOREVM.

HOc Caput magni Senecæ, & totus in Capite Seneca eſt;
Aut viuit, aut agit mortuus, quidquid egerat viuus:
Meditabundo ſimilis, & adhuc in marmore Stoïcus eſt.
Dictat Epiſtolas, & ſcriberet, ſi manus haberet:
Deſcribit naturam iræ, & iraſci videtur in lapide.
Conſolatur Heluiam, & Romam exulem facit, ne Solus exulet:
Negat Polybio dolendum in morte vnius, dum omnes morimur.
Probat Martiæ non periiſſe filium, ſed vixiſſe:
Diſputat de beneficiis, & magnum ipſe beneficium eſt.
De Prouidentia Chriſtianè diſſerit niſi fatalem aſſereret.
Perſuaſerat Neroni clementiam, niſi illam cum Matre occidiſſet.
Negat opes nocére Sapientiæ, ſi doceantur ſapere.
Quærit tranquillitatem animi, & tandem inuénit in marmore.
Probat vitam non eſſe breuem, ſi tota viueretur bene.
Statuit conſtantiam Sapientis, & ne ſit inconſtans ſtatua eſt.
Diſputat de Natura, & dum illam definit pene ſupra naturam eſt.
Controuerſias fingit, & adhuc magna ipſe controuerſia eſt.
Definit litem Auguſtinus:
Adfuit Sapientia Chriſtiana ſcribenti, viuenti defuit.

EPISTOLÆ SENECÆ.

DICTAVIT Epistolas Senecæ Sapientia, & Seneca scripsit; non aliter loqueretur virtus si loqui ore humano vellet; Non satis dicit qui eas Epistolas Sapientiæ thesauros vocat; singulæ lineæ sententiæ, singulæ sententiæ sunt totidem gemmæ: nulla est virtus quam non doceant, nullum vitium quod non arguant; satis doctrinæ habent, vt omnes erudiant, satis sapientiæ, vt omnes inde sapiant; si talis esset Lucilius qualem Epistolæ instruunt, aut Lucilius Seneca esset, aut Seneca Lucilius.

DE BENEFICIIS.

DISPVTAT libris septem de Beneficiis, & docet hanc esse hominis pulcherrimam artem bene mereri de homine: Ante hunc Magistrum nesciebatur ars beneficij; nemo dabat vt daret, nemo gratis, nemo donabat nisi sibi, mittebantur beneficia instar pilæ vt redirent; periisse credebatur quidquid alter non redderet: sic omne beneficium fœnus, & omnis liberalitas vsura erat. Erudiuit naturam Seneca, docet dandum esse beneficium, vt vincas alterum, non vt alter te vincat; addit beneficium non esse quod tribuitur, sed animum tribuentis, hunc animum vult esse benevolum vt det libenter, magnificum vt liberaliter, alacrem vt celeriter; dum sic de beneficiis differit, nonne ipse magnum beneficium est?

DE PROVIDENTIA.

LOQVERETVR de Prouidentia Christianè, nisi fatalem asserret: Probat illam ex ordine mundi quem nec statuere potuit fortuna cum sit cæca, nec stabilire natura, cum sit infirma. Cur autem prouidentia permittat male esse bonis cum sit optima; ita ait decêre Deũ ita vtile esse bonis, atque malis: Scilicet gerit Deus paternum animum aduersùs bonos; at eos non amaret fortiter, nisi haberet seuerè; atque hoc spectaculum dicit Deo dignum, virum bonum cum aduersâ fortunâ compositum; consulit etiam bonis viris Prouidentia dum illos præparat virtuti, & sibi: male autem de illis iudicat quos indignos putat rebus aduersis: quinetiam hortatur malos exemplo bonorum. Nec potuit meliùs illudere fortunæ quam dum illam ostendit rideri posse: Atque hæc Christianæ sunt; corrumpit omnia dum addit fortibus viris patêre mortem si vita displicet; scilicet nec ingredi in vitam possumus sine arbitrio Prouidentiæ, nec exire debemus sine imperio.

DE IRA.

IRATO similis videtur dum habitum iræ atque ora describit: nemo iratus fieret si ante iram Senecam legeret, nemo iram retineret si eius damna perpenderet: fingenda tamen inquit aliquando est ira, non induenda, emittenda est ad tempus, & reuocanda; regendæ eius habenæ quasi equi ferocis: ac velut captiuus leo ostenditur ex caueâ, nec laxatur: sic ostendenda est aliquando ira non laxanda: nunquam seriò irascendum est etiam malis; imbecillis animi argumentum est ira non fortis: habent vermiculi iras, & quidquid serpit iracundum est: Rex Apum aculeo caret, & plus irarum musca habet quam Aquila: habent immortales superi fulmen non iram: periisset pridem genus humanum si toties irasceretur Deus quoties prouocatur ad iram.

DE CLEMENTIA.

PERSVASERAT Neroni Clementiam nisi illam cum Matre occidisset; iterum occîdit illam dum occîdit Senecam. Qualis vox illa, & quali Imperio digna si Nero sapuisset! Nemo corona dignus est si nescit parcere: ille meretur subditos qui nullum nouit cui bene non fecerit: Augustior ille fetmo, auxi numerum ciuium non imminui, enumerare possum genus humanum, nulla est vita quam non seruarim, nemo me sensit iratum nisi hostis, atque hic non fuit hostis meus nisi dum fuit publicus: Addit aliquid diuinius, non alia est inquit natura Dei quam Clementia, non condidisset Deus genus humanum nisi vt haberet cui beneficeret.

DE VITA BEATA.

DISPVTAT de vita beata quam omnes appetunt, pauci quærunt; nec male illam constitueret in sapientia si illam nosset; sed dum Christianã non nouit fingit Stoicam, & frustra conatur esse sapiens, dum mauult discipulus Zenonis esse quam Pauli: Illud tamen non male de diuitiis; docet eas non nocêre Sapientiæ si doceantur sapere; habeantur inquit à nobis nec nos habeant: sint captiuæ ne nos capiant, quærantur innocenter, emittantur liberaliter, seruiant non imperent; & qui vult beatus esse, sit Dominus auri non famulus: Atque ibi sistit Philosophus vnde oportebat incipere; nec mirum si felicitatem præsentem non inuênit qui futuram non credidit; illud probrosum nobis si post fidem eò non imus, quò ante fidem iuit Philosophus.

DE OTIO SAPIENTIS.

INGENIOSA disputatio de otio Sapientis, nisi esset fictitia; nemo otiosus esse potest si sapit, difficilis & grandis labor est sapere; desidiosus

est qui desipit; igitur non est deses qui sapit: hoc tamen quod appellamus otium Sapientis, vtilius est humano generi quam omnium actuosorum labores; secessus est à publico non fuga, solitudo est non desidia; liceat ergo otium Sapienti sed actuosum; assignetur labor sed alternus, eatur ab otio ad publicum, redeatur à publico ad secessum; nec sit sapientia semper publica, nec semper solitaria; docet solitudinis & publici exemplum Deus, & semper solus est, & semper publicus, & cessat semper, & semper laborat, imitetur Deum Sapiens quâ parte potest, sit alternum virtuti quod non potest esse perpetuum.

DE TRANQVILLITATE ANIMI.

INVESTIGAT tranquillitatem animi, inuenturus si intra conscientiam quæreret, quod extra se quærit; nasci debet intra nos domesticum bonum; vinci debet hostis domesticus ante hostes externos; quid prodest mihi pax orbis terrarum si intra me pugno? at prælіatur intra se omnis ratio quæ non est domina sui: viuit intra hominem geminus homo, ille iucunda amat, hic honesta: nunquam intra hominem pax erit, donec ea pars regnet cui sceptrum natura dedit, & Deus imperium; hæc prima tranquillitas animi carêre hoste, alteram ignorauit homo Stoicus, intra corpus & carnem sola animo viuere, implêre se Deo, & bonis futuris, atque intra tempus æternitatis delicias prælibare.

DE CONSTANTIA.

ADEO constantem vult esse sapientem, vt neget eum iniuria affici posse si velit, tangi, inquit, potest iniuria sapiens sed non lædi; ab alio erit iniuria non in illo; inferet illam vir stultus sapiens non admittet; sic Socrates aliena iniuria damnatus est sed sine sua; intulêre iudices probrum, ille non accepit: Cato affectus est sputis non iniuriâ, rejecit iniuriam non saliuam; sic tu venenum mihi das, ego non bibo; scelus tu facis, ego non patior; scilicet sapiens nullum malum admittit, nisi velit, at malum est iniuria. Denique iniuria aliquid imminuit, aut detrahit; at nihil ei eripi potest qui intra se habet omnia sua; nemo ergo læditur nisi à seipso, at nemo seipsum lædit, si sapit.

DE BREVITATE VITÆ.

NEGAT humanam vitam breuem esse sed fieri; non, inquit, exiguum tempus habemus, sed multum perdimus: impendimus bonam partem somno, maiorem otio, aliquam ludo: cur ludimus eam vitam, quam breuem querimur? cur impellimus illud tempus quod ire velocius dicimus? ita est, non accepimus breuem vitam, sed facimus; neque inopes temporis sed prodigi sumus: ampla ætas virtuti patet si bene dispo-

natur; at miseri ludimus horas quibus nihil est pretiosius, longiores putamus si numerandæ sunt, præcipitamus earum cursum, & malumus eas transiisse, quam ire: Nec mirum si vita humana breuis est; exigua est particula vitæ qua viuimus, & minor quâ homines sumus: prouidet huic malo sapiens, auget annos virtutibus, atque vt mortem fallat incipit immortalis esse dum viuit.

AD POLYBIVM.

NEGAT Polybio dolendum de morte vnius, dum omnes morimur; fecit, inquit, fratet tuus quod tu es aliquando facturus: mundus ipse, & quidquid in eo est hac lege damnatut; finem habet quidquid incepit esse: Cut luges frattem tuum vixisse, si nemo delectatur lacrymis tuis, nec frater ipse; cur quereris eum vixisse qui nollet viuere, ereptus est fortunæ, cur eum reuocas; parcerem doloti tuo si fratti placêret, aut prodesset; at nemo sapiens indignatut inde exire quo precario admissus est: illud dolendum esset si mori non liceret: Crede mihi Polybi, magna felicitas est in ipsa felicitate moriendi: Consule bonas artes quas amas, dicent tibi natutam nulli necessitatis suæ gtatiam facere, & quod aliquandiu non faciat, gratiam esse.

AD MARTIAM.

FLEBAT Mattia amissum filium, & quæ in aliis lacrymæ tempore exarescunt, in hac post tertium annum vberius ibant: Prouocat eas Seneca vt exhauriat; fluant inquit lacrymæ si fletibus fata vincuntur, at si mors tenet quidquid abstulit, desinat dolor, qui frustra petit; Quid accusas Martia lacrymis tuis, an superos, an fortunam, an mortem, an te, an filium tuum? accusare superos non potes, si nihil spoponderunt tibi, imo erga alios seueri, erga te fuêre libetales; filium tibi non diu daturi, statim talem dederunt qualis diu esse potuisset: Nec fortunam damnare debes, quod tibi non pepercerit quæ nemini parcit: Habendum est in promptu quidquid illa dedit, nec aliter possidendum quam velut extemplo amittendum: At fortè mors etiminis non est expers, imo optimum est naturæ inuentum, solutio omnium malotum, & vltra illam mala non eunt: Neque dicas electam te vnam à superis cui frui filio non licêret, commodarant illum tibi superi non dedetant, postquam illo potita es; quod suum erat receperunt; neque citiùs decessit filius tuus, maturus erat morti: quidquid ad summum petuênit ad exitum properat; denique imago duntaxat filij tui periit tibi, ipse eo deductus est vbi non est ampliùs moriturus.

AD HELVIAM.

PROBAT Heluiæ Matri exulem se esse, & felicem; neque eam debêre esse miseram, vnde ipse non sit miser; negat sapientem exulare posse, qui patriam sibi facit vbicunque est; addit omnem locum exilium esse vnde sapiens abest; aspice, inquit, quidquid intra naturam nobilissimum est, quotidie illud omne stationem mutat non patriam; labitur assiduè Sol per omnes signorum gradus; si vnicum illi signum patria esset, exularet quotidie Sol, & omnis alius locus algore rigesceret; omne Cœlum Solis patria est, & omne solum natale sapienti; Solus Deus locum non mutat quia vbicunque est; Solus patriam extra se non habet, quia semper intra se est; nec solitudo sapientem exulem facit, comitantur illum virtutes omnes, neque vnquam Sapientia sociis caret, dum ipsa secum est. Nec paupertatem Sapiens metuit, quidquid diuitias suas intra se habet; vbicunque fuerit, non est pauper.

QVÆSTIONES NATVRALES.

DISCIPVLVS Naturæ est dum Naturæ studet, Magister dum illam docet; didicit ab eo Natura multa quæ adhuc nesciebat; reuelat illius arcana, scrutatur viscera, explorat extrema, descendit ad centrum, ascendit ad fastigium, transcendit limites mundi dum illos describit, si tamen transcendit Naturam quò euadit? Vbi est dum extra Naturam est? Quærit Authorem Naturæ, & inueniret si crederet.

CONTROVERSIÆ.

AGITAT Controuersias Seneca Pater, & magna filius controuersia est; an fuerit Christianus, neene, dubium reliquit posteris, vtinam non sibi; fuit certe discipulus Christi, si fuit Pauli; vixit Christianè, si scriptis vita respondit; an respondeat, magna adhuc controuersia est; definire videtur Augustinus, adfuit, inquit, Sapientia Christiana scribenti, viuenti defuit.

LVDI PHILOSOPHICI VNIVERSALE.

ANIMAL extra omnia animalia, hominem extra omnes homines, differentiam extra naturam, accidens extra materiam, proprium extra omne subiectum fingunt Philosophi, nec mentiuntur dum falsum dicunt, nec falluntur dum fallunt, nec decipiunt dum nobis imponunt.

Ono-

O nobilem vniuerſalis ſtatum? ſupra fortunam eſt, & fere ſupra naturam, infra Deum, ſed penè vltra mundum; homo in eo ſtatu extra omnes homines eſt ſed non excluſus, intra omnes ſed non incluſus, in ſingulis vnus ſed non totus, in omnibus multiplex nec diuiſus, homo viuit in eo ſtatu nec veſcitur, rationalis eſt nec ratiocinatur, riſibilis nec ridet, oculatus nec videt, auritus nec audit, ſenſitiuus nec ſentit, homo in eo ſtatu nihil habet niſi ſe, & ſeipſo eſt dives.

Quid ais ſubtilis Philoſophia? quis eſt ille homo extra omnes homines? eſtne albus an niger? iuuenis an ſenex? ſubditus an Dominus? eſtne auulſus ab omnibus an immixtus? eſtne idem an diuerſus? eſtne multiplex an vnus? Iterum quæro eſtne immortalis an mori neſcit? eſtne intra tempus an æternus? eſtne alicubi, an nullibi? an mouetur, an mouet? an videtur, an videt? an tangit, an tangitur? an ſentit, an ſentitur?

Ludis ſane Philoſophia & illudis, pugnantia loqueris & chimeras fingis; ſi ille homo vniuerſalis eſt extra omnes homines, igitur extra ſeipſum; ſi eſt abſtractus ab omnibus igitur non eſt incluſus; ſi eſt idem igitur non eſt diuerſus; ſi eſt multiplex igitur non eſt vnus: vrgeo te & conuinco, ſi ille homo mori neſcit, igitur non potuit naſci; ſi eſt intra tempus igitur non eſt æternus; ſi nec mouet nec mouetur, igitur eſt otioſus; ſi nec videt nec videtur, igitur eſt inuiſus. Denique ſi eſt alicubi igitur eſt ſingularis, ſi vbique igitur eſt immenſus; ſi nullibi, igitur non exiſtit, ſi non exiſtit quomodo viuit? ſi non viuit quomodo eſt rationalis? ſi non eſt rationalis igitur non eſt homo.

Reſpondet Philoſophia vniuerſale hoc ipſum eſt quod tu affirmas dum negas, quod capis dum explicas, quod intelligis dum neſcire te dicis; homo ille quem impugnas idcirco vniuerſalis eſt quia extra omnes, idcirco communis pluribus quia multiplex eſt; inepte autem quæris an ſit albus, an niger, hæc ſunt accidentia quibus exuitur; an videatur, an videat, hæc ſunt officia ſenſuum quibus non vtitur; an ſit immortalis, an morti obnoxius, neſcit mori qui ortum, non ſenſit; an ſit alicubi an nullibi, in loco non eſt qui loco non eget; ſi quærere pergis vbi ſit, intra intellectum tuum eſt, & extra illum; intra te ſubiectiue, extra te obiectiue; locas illud dum cogitas, facis dum abſtrahis; abſtrahis dum nudum concipis: Tu illius ſedes, tu hoſpes, tu faber, tu artifex, tu ſubiectum, tu principium; vide quid egeris, probaſti vniuerſale dum impugnare voluiſti.

LVDVS SECVNDVS PHILOSOPHICVS.

RELATIO.

RELATIONIS elogium inde petendum est vnde relatio originem ducit; atque hæc origo intra Deum est: sine Relationibus Deus non esset Trinus, & nisi esset Trinus non esset Deus. Nec tamen antecedit aut subsequitur Deum æquæua Deo, adeò antiqua est vt sit æterna, adeò nobilis vt sit diuina, adeò potens vt sit infinita.

Audi efficaciam Relationis intra Deum, hæc ex tribus Personis vnam Patrem, alteram Verbum, tertiam Spiritum facit? hæc Patris caractet, & sigillum, & patrimonium est; quidquid præter illam habet commune bonum est non proprium: per illam Pater æternus bis fœcundus semel Verbum generat, semel amotem spirat, bis duorum principium nec tamen geminum.

Per illam Verbum est imago Patris, radius Solis, fons Oceani, nec tamen est iunior ætate aut minor virtute, aut inferior potestate: hoc vno impar, nihil reddit Patenti à quo omnia accipit; nec Pater aliquid repetit qui nihil amittit.

Per hanc Spiritus Sanctus halitus duorum spirantium, osculum se amantium, nexus se amplectentium, totam à duobus diuinitatem accipit, sed exhaustam, Pater exhaurit omne verum dum se intelligit, Pater & Filius omne bonum, dum vterque se diligit: propterea intra Deum Spiritus Sanctus est sterilis: nec ditior tamen qui impertit quam qui accipit: eadem diuitias tres habent nec sunt tres diuites; tres tamen Personæ sunt, nec pauciores esse possunt, nec plures.

Mirabilis tamen relatio quæ Personam multiplicat non naturam: eadem substantia sæpius sua, semel diuina, sæpius eadem nec distincta, sæpius data & retenta, vna est in tribus Personis, sed non diuersa.

Denique per hanc relationem idem Deus nec totus vnus, nec totus Trinus: in se manens, à se digressus, exiens à se, & ad se rediens, amabili circulo inter tres societatem exercet, & amorem; debent duo esse qui se ament, & tertius esse debet cui amoris delicias duo communicent.

Descende Philosophia ad res creatas, nec tamen adhuc à Deo recede; qui æternos respectus, intra se habet, temporales ad res creatas habere voluit: Quot creaturas producit omnipotens Deus tot respicit; nec eas produceret nisi aspiceret, & quamdiu conseruat, tamdiu spectat; plenus est orbis tetratum aspectibus diuinis, & Deus seipso plenus nouos tamen aspectus ad res creatas non excludit: nec mutatur dum nouas in-

tuitus acquirit, aut amittit; accidentia sunt sed Metaphysica; non augent diuitias Dei dum accedunt, nec dum recedunt imminuunt.

Scilicet Deus vndequaque infinitus nec ditior est dum relationes acquirit, nec pauperior dum amittit: diuites nos facit Deus dum nos aspicit, nec dum aspicimur ipse diteſcit; quinetiam nec minus sapiens esset si non aspiceret, nec minus potens si non produceret: creſcimus aspectibus diuinis ipse non creſcit; proficimus eius omnipotentia, ipsa non proficit.

O Timidam Philosophiam quæ Deum ad res creatas referre timet, ne aliquid Deo accedat aut pereat! Quid ais Philosophia? quomodo Deus est rerum causa si effectus non nouit, quomodo est Pater si Filios ignorat? quomodo Pastor si oues non numerat? quomodo conseruat omnia si non agnoscit? si agnoscit, igitur respicit; si respicit, igitur dantur in Deo relationes ad res creatas.

Longius iuisti Philosophia, ad res purè creatas te reuoco; Quid est relatio? aspectus duorum, nexus plurium, ordo vnius ad alterum, amicum bellum, hostile fœdus, cognata inimicitia; aspiciunt se duo extrema vicina, & remota; at vide quam officioſe se salutent, & quam valde se ament; tamdiu existunt dum se aspiciunt, & dum cessant se aspicere, cessant esse.

Scilicet totum suum esse relatio habet ad aliud, alienum bonum est magis quam suum, viuit alteri potiùs quam sibi, nunquam magis est sua quam dum extra se tota, nunquam propior sibi, quam dum à se digressa.

Ac vide fœcunditatem relationum, laborat orbis terrarum propagationi respectuum; hic paries albus tot acquirit similitudines quot nascuntur albedines; Ne quære numerum relationum, innumerabiles possidet pauperrimus quisque; ambulamus pleni respectibus, sedemus, currimus his onusti thesauris; nec nos onerant diuitiæ sine pondere, gazæ sine mole; gestamus illas nec sentimus; vident nos illæ, & nos relationes videmus, & nescimus.

Vnum est hac in re luctuosum, tam facile moriuntur relationes quam nascuntur; vno pactu mille in lucem prodeunt; vno funere mille intereunt: nec tamen hæc ingens iactura est, manet illibatum fundamentum, & nouorum partuum ferax, ad primos terminorum ortus compensabit iacturam, & tot reparabit relationes quot amisit.

à Philosophis, Philosophos democritos facit.

Idem globus perfecte sphæricus dum mouetur in plano puncta inducit & destruit: dum enim voluitur aut aliquid tangit aut nihil, si nihil, quomodo aliquid frangit si nihil tangit; si aliquid tangit vel illud est diuiduum vel indiuiduum; si primum, cur difficilius est partem tangi à puncto quam planum à curuo; si sola puncta globus tangit, & partes omittit, quas choreas agit dum partes transilit? si perpetua puncta tangit, quomodo duo puncta faciunt maius si neutrum magnum est: quomodo vnum crescit ex altero si alterum non est quantum; quomodo est quantum si est punctum.

Sed supponatur Deus punctum efficere vel creare, puto non negabitur Deus posse facere punctum qui fecit spiritum; si possit efficere, voluatur ab Angelo vel trahatur; non negabis Angelum posse trahere punctum qui voluit Cœlum: Si mauis, demittatur ingens mola in punctum medio ex aëre pendulum; vel sustinebit delabentem molam, & quibus humeris, si caret membris? vel deuoluetur sub mola, & quomodo tanget molam si non adæquet? aut si tangere molam in parte potest, cur non poterit in continuo tangere partes, & vnire?

Hæc pro Punctis & contra puncta; ô rem inquietam! & mobilem! imo nec mobilem, nec quietam; nec moueri punctum potest quia locum non deserit, nec quiescere quia locum non acquirit. Quid est Punctum? si nihil est, vnde tam acutum, si aliquid, vnde tam minutum. Quid est Punctum, si non interrogas scio, si vrges nescio, si mauis ludo.

LVDVS QVARTVS.

CONTINVVM.

NOVVM continui genus, conflatum ex minimis Physicis, & tamen maximum: Quid ais noua Philosophia? si minima Physica componunt continuum; igitur sunt continua, si augent quantitatem, igitur sunt quanta; si sunt quanta, igitur sunt diuidua; si sunt diuidua, igitur possunt esse minora; si possunt esse minora, igitur non sunt minima.

Idcirco, inquit, minora esse non possunt quia sunt minima; partes habent sed indiuiduas non tamen indiuisibiles: adeo amicæ sunt inuicem vt seiungi nolint, adeo tenaces vt diuelli non possint, adeo fideles vt periret eorum vita si periret societas: fecit illas à se inuicem pendulas Deus: eget vtraque alterius auxilio vt existat, beneficio vt viuat, com-

mercio vt ditescat: Imitantur naturam modorum nec sunt modi, imitantur indiuisibilia, nec sunt puncta.

O imitatricem veritatis Philosophiam, & idcirco non veram! nemo imitatur seipsum si est ipse; imitantur hæc minima modos, igitur non sunt modi; imitantur indiuisibilia, igitur non sunt indiuidua; separet igitur Deus duas minimi vnius medietates; si partiri illas vlterius, & vlterius potest, igitur sunt infinitæ; si diuidere non potest, igitur sunt indiuisibiles; quanquam cur partiri non potest si habent partes? cur dissoluere non potest si potuit vnire? quale illud vinculum, quod nec soluere potest Deus nec abrumpere? O ridiculam Philosophiam! laborat Deus in minimis qui ludit in magnis, & exiguum ac vile minimum meta est diuinæ gloriæ, dum est meta potentiæ.

Quam illustrius continui genus proponit Philosophia antiqua & vera? Continuum est illud quod componitur ex partibus continuis, & semper diuiduis; ne quære numerum partium, tam multæ sunt vt vincant numerantem; Deus ipse tot continuo partes indidit dum illud composuit, vt nesciat numerum, dum nihil aspicit primum, nihil videt vltimum. Quid numeras Arithmetice vbi numerare Deus non potest? quid meteris vbi aliquid semper extra mensuram est, nulla pars continui tangitur tota, quia nulla tangitur sola; hoc ipsum quod tangi vides, tangentes fallit dum excedit; pergis tamen metiri, & pergis illudi; hæc pars si esset prima esset vna, hæc si esset vltima esset sola, vtraque si esset vnica esset nulla: scilicet omnis pars continui est continuum, & omnis est totum; nec totũ esset nisi esset numerosum; nec numerosum esset, si esset vnicum: singulæ partes ita sunt filiæ vt sint matres; ita nummi vt sint thesauri, ita latices vt sint fontes; propterea nunquam exhauriri possunt, quia dum fontem vnum aperis infinitos recludis: fœcunda res est continuum, exit ex singulis partibus dum diuiduntur infinitus partium exercitus, eò numerosior quo minutior, eò maior quo minor: idcirco semper immensus quia semper diuiduus; nimirum hæc est natura continui posse in infinitum diuidi, nec posse exhauriri: augetur per damna, reparatur per detrimenta, viuit per funera, vnde decrescit inde crescit, & mors partis vnius, vita est infinitarum partium.

Illustre hoc continuum conflatum ex diuiduis, non vestrum ex minimis Physicis; Quale illud continuum cuius partes maiores esse non possunt quia sunt minimæ? quale illud minimum quod nec augeri potest nec minui? perit si diuidis, moritur si attingis, euanescit si aspicis; nec videtur adeò est minutum, nec videt adeo est cæcum, nec sentit adeò est obtusum, nec sentitur adeò est exiguum; infœcundum nihil parturit, egenum nihil acquirit, auarum nihil amittit; periret si aliquid amitteret, euanesceret si augeri posset; O inane minimum! nec continuum

est vt possit diuidi, nec quantum vt possit extendi, nec punctum vt partes vniat, nec pars vt totum componat, nec totum vt partes includat. Quid ergo tandem est, minimum vt illudat, & nullum vt fallat.

LVDVS QVINTVS.

INFINITVM.

AMBITIOSA res humanum ingenium, id scire ambit quod nemo docuit; id intelligere quod nemo didicit; quærit aliquid vltra verum, fingit aliquid vltra nihilum, eò tendit quo nemo peruênit, viam facit, quâ nemo transiuit, & quieturum ante se negat quàm infinitum inueniat.

Spatiari illi licet intra orbem terrarum, excurrere vltra Cœlum, euagari vltra vacuum; patet illi in campum omnis natura finita, in lycæum omnis Academia; at paruipendens quidquid clauditur finibus: hæc inquit captiuitas est teneri compedibus, hæc paruitas esse finitum, nihil magnum puto nisi sit infinitum: ij sunt limites mei catêre limitibus, inquietus viuo donec infinitum attigero.

Ac velut primus ille hominum Parens, eum ei orbis terrarum in dominium, paradisus voluptatis in palatium, & deliciæ omnes præsto essent in cibum, pauperem se putauit si arbore vnâ earêret, & famem credidit si pomi vnius potestas deesset: Ita ambitiosum hominis ingenium neglectâ cæterarum rerum doctrina, ignorantiam putat nisi infinitum definiat.

Quod admirationem auget, errat in infinito glorioſum ingenium & errorem amat; quærit initium vbi nihil est primum, quærit terminum vbi nihil est vltimum, explorat medium vbi nihil est extremum: addit numerum infinito nec extendit; detrahit partes nec imminuit, partitur, nec diuidit, percellit nec lædit: Post tot iniurias id vocat infinitum, quod nec fieri potest maius, nec esse minus: quod nihil habet primum nihil vltimum, & dum sic philosophatur, id dicit quod non intelligit, id definit quod nescit.

Vt audacius erret reuocat quæstionem ad Deum, & dubitat an Deus producere possit infinitum, an saltem cognoscere; audax enimvero quæstio, an ille infinita possit qui est infinitus, an vbique possit qui est immensus, an ab æterno qui semper fuit, an per æternitatem qui semper erit, an æternitas lapsa sit maior, an lapsura sit minor, an vtraque infinita si nunquam finienda.

Quo pergis humana Philosophia? audax dum infinitum affirmas, nec

minus audax dum negas; affirmas quod non intelligis, negas quod nescis; vt neges fingis implicantias quas non intelligis, vt affirmes, proponis argumenta quæ non capis, ô audacem intellectum! fingit difficultates ne vincatur, & dum non soluit vincitur.

Disputo in eam Thesin quâ negatis infinitum; negatis vt arbitror quod nescitis: Ego id affirmabo quod non capio: pugnabimus Antabatarum more, cæca erit vtrimque pugna & obscurâ victoria, felicior tamen erit sors mea quam vestra: si vincitis leue victoriæ vestræ pretium erit; id acquiretis quod nihil esse dicitis: Ego si vicero reportabo illustre victoriæ pretium, infiniti præmium infinitum.

LVDVS SEXTVS.

MVSICA ARTIS, ET MVNDI.

FAVETE linguis, Auditores, loqui Musica cupit, & audiri. Res noua PP. RR. quatuor voces audiuntur, & vna loquitur, quatuor loquuntur & vna auditur, quatuor canunt & idem concinunt: Quale hoc artis mysterium! si quatuor voces canunt vnde idem concinunt? si idem concentus est, vnde idem grauis & leuis, depressus & subtilis acutus & obtusus? vnde idem attollitur & deprimitur, assurgit & descendit, deflectit ab imo, & declinat à summo? Quinimo hoc ipsum est Musica, contrariarum vocum concordia, dissidentium tonorum amicitia, grauium & leuium sonorum societas, plurium vnitas, omnium harmonia.

Quatuor soni sunt dum in gutture nascuntur, quatuor dum in aëre formantur, quatuor voces dum ex ore prodeunt, quatuor dum aures subeunt, sed plures in vnam coalescunt, dum inter se coeunt.

Ingeniosa pugna in qua si hostes diuisos spectes nihil infensius, si coniunctos nihil amicius, grauis & leuis, depressus & sublimis, infensi hostes ante pugnam, ita vires suas pugnando attemperant, vt dum omnes vincunt & nullus vincitur, mirabili consensu in vnum coeant: sic tamen in vnum plures coeunt vt nullus intereat, miscentur nec confunduntur, vnus & plures, amici & contrarij: Imo idcirco vnus ex pluribus nascitur, quia plures pugnant, idcirco consentiunt quia dissentiunt, pax ex pugna, ex lite concordia, ex pluribus vnitas, ex omnibus exsurgit mirabilis Musica.

Miraris factum, audi inuentum; ingeniosæ voces diuersas itinerum vias eligunt vt eodem tendant, descendunt vt assurgant, attolluntur

vt

vt descendant, fugiunt vt assequantur, & ideò sibi occurrunt quia se inuicem fugiunt; dum enim vox leuis attollitur, dum grauis deprimitur, assurgens ab imo grauiorem attollit, declinans à summo leuiorem deprimit, sublimis euehit depressam, acuta excitat obtusam, sic dum vna assurgit, altera decidit; dum hæc premit illa fugit; dum omnes vincuntur, omnes vincunt.

Ex ea pugnâ vox vna nascitur, atque hæc est vox illa mirabilis quæ eadem antecedit & sequitur, fugit & apprehenditur, prior seipsa, & posterior, grauis & leuis, depressa & sublimis, obtusa & acuta, hilaris & mœsta; atque hæc est ingeniosa musica, vox vna & plures, ex pluribus vna mirabilis harmonia.

Iterum fauête linguis, Auditores, altera musica loqui & audiri cupit; mundus hic Musicum organum est, aiebat Trismegistus, Chorus Musicæ hæc rerum vniuersitas, Chorostares Deus, Cantores Elementa, voces qualitates Elementares, harmonia Elementorum concordia.

Desideratis oppositas voces? dum ignis attollitur sursum nonne altum & sublime canit? dum terra deorsum deuoluitur, nonne graue & depressum mugit? nonne aqua deflectit ab imo? nonne aër declinat à summo? vultis amicos & concordes tonos, dum aër & ignis pugnant in siccitate & humiditate; nonne conspirant in calore? dum aër impugnat frigiditatem aquæ, nonne amat humiditatem?

Vultis amicam plurium pugnam? nonne duo Elementa inter se consentiunt, duo dissentiunt? inter terram & aëremaqua interiacet vt vtramque conciliet, inter aquam & ignem aër medius est vt ignem temperet: atque vt fidelis sequester esse possit, vtrique amicus, vtrique inimicus est.

Vtilis sane & necessaria Elementorum pugna, & amicitia: si Elementa omnia calore constarent, omnia interirent, si solo frigore, omnia torperent, si sola humiditate omnia putrescerent, si sola siccitate, omnia rigêrent; dum harum qualitatum permixtione omnia temperantur, calor excitat siccitatem, siccitas mitigat calorem, frigus acuit humiditatem, humiditas retundit frigiditatem; atque hæc est ingeniosa Elementorum pugna, in qua pax ex discordia, ex bile concordia, ex omnibus grata exsurgit Musica mundi, & harmonia.

LVDVS SEPTIMVS,
ANIMA.

AGNOSCE teipsam Anima, dic qualis ipsa sis quæ cæterarum rerum naturas describis; digna res admiratione PP. Anima cæterarum rerum imagines, pingit, & seipsam nescit; oculata in rebus alienis, cæca in suis; foris erudita, intus ignara, vbique extra se præsens, apud se absens, eò sibi ignotior quo sibi propior, nosset seipsam si à se abesset; idcirco seipsam non videt quia sibi præsens est.

Interrogo te Anima, non qualis in triuiis habitas, & textrinis, non qualem habent qui te solam habent; eam te interrogo quæ in porticibus instituta, in lycæis exercitata plenam ex Academiis attieis sapientiam eructas, dic qualis ipsa sis.

Animam Plato ex eodem & diuerso? ex vno & binario, ex ternario & quaternario, hoc est ex nullis principiis componit dum ex contrariis, hoc est vnitatem animi destruit dum ex numeris diuersis constituit.

Dic Democrite, dic Pythagora qualis Anima sit? quam male vterque animum nouit? dum hic animam in atomos diuidit; ille in ramenta dispergit.

Anima in Hippone penè naufragium facit dum se ignem credit, penè in Leucippo se inflammat dum se ignem putat.

Quam inanis est in Diogene dum se aërem, quam mollis in Critia dum se sanguinem, quam leuis in Heraclito dum se exhalationem, quam grauis & leuis, quam crassa & subtilis dum se apud Galenum ex Elementorum crasi & temperatura constituit?

Infelix anima quam aqua humectat, ignis exsiccat, calor absumit, frigus interimit.

Quid ais prophana Philosophia? quam abiectè de anima sentis dum eius dignitatem sic abjicis? spiritalem accepisti & diuidis, immortalem & corrumpis, substantiam, & accidens facis.

Dic Aristoteles qualis animus sit? si tamen animum doces, vnde nisi ab animo didicisti qualis animus sit, & si animus docuit, quomodo ante te qualis esset ipse nesciuit? doceat tamen Aristoteles animum, animus Aristotelem, vterque doctor, vterque discipulus, vterque dicat qualis animus sit.

Animus inquit est actus corporis organici potestate vitam habentis: paucis vocabulis quot oracula! Explicent mentem Magistri interpretes

animi & Aristotelis. Corpus inquit ille ante aduentum animæ testudinis, & mutæ cytharæ instar erat; huius cytharæ sensus foramina, tendiculæ nerui, plectrum lingua, indices oculi erant; deerat adhuc anhelitus qui inflaret, digitus qui moueret, sonus qui animaret; immiscuit se huic cytharæ animus, & statim immortalis audirus est sonus.

Explicet ipse Aristoteles genius naturæ, Magister animæ, qualis hic sit corporis organici actus, animus inquit est id quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus; animus est quo nutrimur, & ipse non crescit, quo augemur & ipse incrementa nescit, non minor in puero, non maior in viro, non fortior in iuuene, non debilior in sene.

Animus est quo sentimus, & ipse subsensus non cadit, qui tangit omnia & ipse non tangitur, qui videt, neque ipse videtur, qui audit, & non auditur; animus colores discernit, coloris expers, distinguit qualitates, atque iis caret.

Quo mouemur, & intelligimus; animus est omnium Elementorum incola, terram inhabitat, in cœlum euolat, consuescit cum Angelis, pugnat cum feris, cultor soli, victor profundi, in aëre auceps, in cœlo hæres.

O audacem animum! in cœlum ascendit, nec attollitur, descendit ad terras nec deprimitur: ignibus se immiscet nec exuritur; aquis se immergit nec obruitur, lucem aspicit nec hebescit, solis & lunæ defectus intelligit neque deficit; aërem contemplatur nec euanescit; tenebras ingreditur neque obscuratur; nihilum penetrat nec confunditur; tempora meditatur nec cum annis fluit, momenta numerat, & consistit; motum consequitur & conquiescit.

Ascende altius anime, & qualis ipse sis ab Authore Deo disce; nemo melius naturam tuam intelligit quam qui condidit; faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, (verba sunt trium Personarum inter se de magno opere deliberantium) faciamus hominem natura nobis subditum, gratia amicum, gloria filium: eluceat in eius ingenio sapientia nostra, in voluntate libertas, in memoria fœcundiras: Faciamus hominem qui vices nostras in hac orbis vniuersitate gerat, & ne orbis præsenti Domino careat, fiat in orbe homo spectabilis Deus. Dixit immortalis Trinitas, & tam illustribus lineis imaginem suam in hominis animo pinxit, vt iam tunc oppigneratus sit se hominem futurum, dum hominis animum penè effinxit Deum.

LVDVS OCTAVVS.

LIBERTAS.

PRETIOSA res libertas humana, & quam penè ipse reueretur Deus; determinat obiectiue Deum; explorat Deus quid voluntas velit antequam velit, quid agat priusquam agat, quid sola vellet si velle posset; obseruat operabundam & nondum operantem; adhuc vacuam & tamen plenam, adhuc sterilem, & quasi prægnantem; objicit illa Deo nutus suos, videt Deus vota pendentia, & adhuc nulla, & dum decernit concursum qualem voluntas exigit, penè obtemperat voluntati, & illa imperat.

At quæ ista Philosophandi ratio? Deus ibi aliquid videt, vbi adhuc nihil est, videt voluntatem vacuam, & videt plenam, videt sterilem & fœcundam, videt desidem & efficacem; Amabo si adhuc nihil est in voluntate nudâ, quid tandem Deus videt? quibus oculis nihil aspicit, & quibus auribus audit nihil? & tamen Deus aliquid videt, si Deum aliquid mouet: quid autem sit illud, nemo hactenus explicuit, & difficile explicatur illud aliquid, si est nihil.

Fallor, neque id quod videt est purum nihil, neque adhuc est aliquid, sed aliquid erit, si voluntas velit, & si possit: videt Deus nutus voluntatis, & intelligit, videt motus quietos & percipit, videt pondus voluntatis & illud sentit, videt vota pendentia & adhuc nulla, videt voluntatem nudam, & seipsâ plenam, videt quid vellet si velle posset; videt quo tendat si posset tendere; videt operabundam si operari posset, videt quid exigat, videt quo egeat; videt actum primum, & nondum secundum, videt causam, & nondum effectum.

Audi aliquid clarius, videt Deus voluntatem accinctam ad opus; videt acturam si adiuuetur, videt opus futurum si decernatur; videt Deus per scientiam mediam quid sit visurus per absolutam: Interea adiungit se voluntati, decernit auxilium, exhibet concursum, & dum vtraque causa agit actione communi, vtraque mouet & mouetur, vtraque est prima, vtraque secunda, vtraque prior est, neutra posterior.

Hæc si difficilia videntur, arcana res est humana voluntas, & debet arcana esse vt sit libera, nullum esset secretum voluntatis si esset publicum; sola voluntas illud intelligit, quæ illud tegit; imo neque voluntas se totam nouit, solus totam agnoscit, qui totam condidit. Nec tamen eius libertatem lædit dum illam intelligit: ne illam lædat explorat nu-

tum illius, & flexum, & se illi attemperat. Pretiosa res humana libertas quam penè tueretur Deus dum se illi accommodat.

LVDVS NONVS.

CORDIS MIRACVLA.

TRIA mitacula cordis agnoscit Philosophia, quartum addit Theologia ttibus maius.

Primum cordis mitaculum est magnitudo in paruitate; exiguum cor esse debuit vt magnum esset, ingentem virtutem habet quia exiguam molem, eò capacius quò angustius: quæ paruitas aliis membtis nocêtet ea cotdi prodest.

Quæris quanta sit amplitudo exigui cotdis, pars est toto suo maior, exilis hominis portio toto homine gtandiot, patticula mundi, & mundus ei votorum particula est: admittit omnia nec impletur: post omnes thesautos adhuc auarum, post omnes delicias adhuc auidum, post omnium bonorum cópiam adhuc egenum, tunc etiam vacuum est, cum est plenum.

Alterum cordis miraculum est vita in igne, cor fornax est ignis primigenij, focus domestici caloris, clibanus flammæ vitalis. Sed ô amabile mitaculum! vitam fouet ignis quam extinguere debuit, pascitur humore cordis, nec eum resoluit, vescitur impensis alienis, & abstinet suis, absumit humorem vicinatum pattium, & hospiti suo parcit; quod admirabilitatem maiotem habet, copiosus adeps cor oblinit & calotem ambit, videt vicinum ignem nec emollescit, flammam attingit nec liquescit; teftigetat atdorem ignis nec ab eo incalescit: impedit incendium quod adiuuate debuit; & ne quid huic mitaculo desit, intet cot, & pericardium setosus humor interiacet: fluitat cor intra humotem aqueum, nec ignem aqua extinguit, lambit ignis aquam nec absumit, pacem in cotde retinent aqua, & ignis: alibi hostes in corde amici sunt, & domus eiusdem Inquilini.

Tertium cordis ptodigium est motus cordis mitabilis, cor per diastolem opes colligit, per sistolem distribuit: per illam ditescit, per hanc alias partes diuites facit; per illam sanguinem è venis exugit, per hanc spititus impettit arteriis; per illam aëtem atttahit, per hanc emittit; per illam calotem suum intra se temperat, per hanc communicat, atque vt eo bono ftui possit quod aliis confert, inter vtrumque motum æqualem quietem captat.

O motum cordis mirabilem! mouetur cor & quieſcit, mutat locum nec amittit; exuit figuram ſuam & recipit, è triangulo in circulum tranſit, ex circulo in triangulum redit; alienam figuram mutuatur vt ſe opibus impleat, figuram ſuam recipit vt ſe exhauriat, auarum ſub aliena figurâ, munificum in ſuâ: influit in ſe, effluit in alia: comparat Diuus Thomas hunc motum cœlorum motui, in eo tamen nobilior eſt, mouetur cœlum ab Angelo, cor à ſeipſo.

Illuſtria ſane hæc miracula naturæ, maius eſt quartum miraculum Gratiæ: Adeò amat cor hominis Deus vt illud ab homine petat: fili præbe mihi cor tuum. O rem admiratione maiorem, petit cor hominis Deus qui illud condidit, petit quaſi rem alienam, & tamen ſuam; petit reſtitui ſibi quod ipſe donauit, & munus credit dum ſuum recipit! ſcilicet emancipauit cor Deus dum hominem liberum reddidit, & capacem ſui fecit portionem hominis: propterea implere hoſpitium cupit quod extruxit ſibi: ne homo cor recuſet, impreſſit cordi deſiderium ſui, & tamdiu inquietum reddit, quamdiu eo hoſpite caret qui ſolus hoſpitium implere poteſt.

O amplitudinem cordis æqualem amplitudini Dei! quem intellectus capere non poteſt, cor totum continet. Meditabatur Auguſtinus myſterium Trinitatis prætergreſſus naturam; eò ibat audaci cogitatione quò ire homini non licet; irriſit Angelus puer Auguſtinum ſenem, & foſſulam oſtendit in quam totum oceanum deriuandum tunc dixit, cum ipſe totum intra ſe deriuauerit Deum. Agnouit errorem Auguſtinus clauſit ingenium, cor aperuit: & totum excepit Deum.

LVDVS DECIMVS.

MIRACVLA OCVLI.

QVÆ eſt iſta pars hominis homine maior? quæ particula mundi æqualis mundo? ingreditur oculum terra nec obruit, ſubit intra oculum aqua nec diluit, inſerit ſe ignis nec exurit, immiſcet ſe aër, nec mouet; inſinuat ſe cœlum, nec oculum implet.

Sed quæ iſta oculi virtus? aperit ſe oculus, & mundum recipit, claudit ſe oculus, & mundum excludit, qua virtute? quo milite? quo imperio? quo obſequio? at quæ celeritas agendi? momento ad cœlum euolat, momento Solem, & ſtellas luſtrat, momento orbem vniuerſum perambulat: ſi oculus ad cœlum euolat quo itinere? ſi Sol ad oculum deuolat quo tramite? ſi vterque immotus manet, quomodo alter alterum quærit, & inuenit?

Hæc miracula extra oculum, plura intra oculum fiunt; humores quibus alluitur, tunicæ quibus cingitur, nerui quibus distenditur, musculi quibus mouetur, venæ quibus alitur, arteriæ quibus micat, spiritus quibus subsultat, totidem miracula sunt.

Ex pluribus oculi miraculis pauca seligo, inprimis quale miraculum est humor Crystallinus? si est humor fluidus, quomodo est crystallus? si est gemma, quomodo est liquida; si est gelu, quomodo non est concretum? si est crystallus, quomodo non est gelu? crystallus est, aut crystallo similis, & meretur nomen, dum exæquat splendorem.

Sequitur humorem crystallinum humor vitreus; ille instar gemmæ est, hic instar palæ; inseritur vnus alteri, nec confunditur; innatat humor crystallinus vitreo, hic illum sustentat; amant se inuicem humores similes & se adiuuant; custos est humoris crystallini humor vitreus, & penè nutricius; hic humoris vitrei alumnus est, & penè filius.

Excipit humorem vtrumque tunica Rheti similis, inde Rhetina dicta, tendit vtrique humori amabiles insidias, & dum vtrumque capit, amanter decipit: at quam vtili fraude? impedit ne humor vterque diffluat, dum vtrumque ambit, administrat sanguinem vnde vterque viuat, deriuat visorios spiritus quibus vterque videatur, & videat.

Huic Rhetinæ proxima est altera tunica folliculo vuæ similis, inde vuea dicta; concaua est vt humores ambiat, mollis ne lædat, tenuis nè opprimat, pellucida vt quod tegit ostendat.

Exarescerent tunica vuea & Rhetina nisi tertius humor aqueus vtramque irrigaret, & fatigarentur perpetuo motu nisi laborem aqua lenitet; Præterea læderet humorem crystallinum tunica cornea si illum attingeret; interfluit humor aqueus, & vulnera excipit quæ non sentit; attingitur à tunica cornea neque læditur, & dum alluit, temperat ardorem tunicæ corneæ, & illam refrigerat.

Non satis tuerentur humorem crystallinum duæ tunicæ, vuea, & Rhetina nisi cornea vtramque firmaret, nec satis illa, nisi tunica adnata oculum totum in sua sede contineret: vides quot præsidiis humorem crystallinum natura muniuit? & debuit ea pars in tuto esse quæ principium est visionis & subiectum: eunt ad hunc humorem species impressæ; exeunt ab illo species expressæ; nec possunt nobilius excipi species aduenæ quàm in crystallo, nec nasci illustrius species indigenæ quam in cubili gemmeo.

Difficilior est numerus neruorum quibus oculus distenditur, & musculorum quibus mouetur: duo nerui optici ex oppositis cerebri partibus progressi decussant se medio in itinere, & spiritus animales ad singulos oculos deriuant, quasi ad alumnos suos. Septem musculi septenis oculorum motibus præsunt, ille sursum mouet, hic deorsum, alij in omnes par-

tes circumferunt; O motus oculorum mirabiles, velocius non eunt cœlestes orbes, quamuis impellantur ab intelligentiis, impellunt seipsos oculi, & se sistunt; hoc libertatis priuilegium est sistere se posse, & mouere: gaudent libertate oculi & carent cœli.

Omisi pupillam nobilissimam oculi partem, & amabilissimam; hæc pars oculi minima, & maxima; hæc sedes amoris & majestatis; per illam oculus amat, per illam imperat, per illam irascitur, & miseretur: per illam parcit & punit; per illam videmus alios & nos ipsos: latent sub illâ species impressæ & expressæ: & forte nigra est vt illas occultet, nec impedit visionem pars opaca dum illam tegit; arcana debet esse visionis natiuitas, mysterium esse debet, neque esset mysterium, nisi esset arcanum.

LVDVS VNDECIMVS.

SPECIES INTENTIONALES.

LVDISNE Philosophia an illudis? dum species intentionales exire ab obiectis, volitare per aërem, & sensibus insinuare se dicis: vt exeant ab obiectis debuerunt intra obiecta nasci: at qua parente? qua matre? quo actu? quo partu? qua obstetrice in lucem exeunt? qua nutrice crescunt? an sunt pelliculæ obiectorum? at quis eas abstraxit? an imagines rerum, quis eas pinxit? an colores, quis tinxit? an sigilla, quis sculpsit? an alati obiectorum nuntij? quis emittit.

Exeunt tamen ab obiectis, & per aërem se extendunt, sed si exeunt quo conatu? si emittuntur quo partu? si mouentur quo gressu? si impelluntur, quo impetu? si ascendunt, qua leuitate? si descendunt, quo pondere? si recta eunt quo tramite?

Occupant tamen aërem, & illum implent; sed dum implent, an plures simul, an permixtæ, an diuisæ? si plures simul quam subtiles? si permixtæ, quam exiles? si diuisæ quàm tenues? vbique tamen sunt, vt obiectum vbique exhibeant: permixtæ sunt, nec confusæ, diuisæ & continuæ, seiunctæ, & vnitæ.

Quis explicet quot probra, quot vulnera, quot clades, quot mortes per aërem patiantur? impelluntur à ventis, obruuntur à pluuiis, exuruntur à sole, inflammantur ab igne; premuntur ab ingredientibus, fugantur à currentibus, turbantur ab occurrentibus; dum turbatur ordo partium quis ordinem restituit? dum mouentur hæ partes, quis alias substituit? dum tota species perit, quis nouam speciem sufficit? O infelices

rerum

rerum ſpecies quam infauſta ſors veſtra! patêre ſemper iniurijs, vulnerari, & diuidi, naſci ſemper & mori?

Rident tamen eas iacturas generoſæ ſpecies, ſuccedunt partes partibus, totis totæ, mortuis rediuiuæ: fœcundus obiectorum vterus nouos ſpecierum exercitus ſubmittit, ſemper grauidus, & ſemper fœcundus, ſemper plenus & nunquam exhauſtus: ſuccedunt noui hæredes hæredibus, nec decreſcunt opes Parentum, nec minor eſt hæreditas poſt tot iacturas.

Vt tamen eas iacturas fugiant, ingrediuntur ſenſus noſtros, & tutas ſe putant dum intra nos latitant; nunc loquuntur auribus ſine voce, iam oculos excitant ſine murmure, mox in phantaſia reſident ſine pondere, vagantur in cerebro ſine ſtrepitu, excurrunt per cellulas ſine motu, ſubſiſtunt in memoria ſine tumultu.

O rem mirabilem niſi eſſet vulgaris, exhibent res magnas, & carent magnitudine, res immenſas & carent mole: per eas videmus, nec illas cernimus, per illas ſentimus nec cadunt ſub ſenſus: cadunt tamen ſub intellectum, ſed penè illum vincunt.

LVDVS DVODECIMVS,

DE DVOBVS DOMINIS.

SVBTILIS quæſtio, ſed ſpeculatiua magis quam practica, & quæ plus iurgij habet quam lucri. An duo poſſint eſſe ſimul eiuſdem rei Domini. Negant multi, affirmant alij. Placet vtramque quæſtionem agitare, amœno primùm ſtylo, deinde Scholaſtico, & vtroque ludere.

AN DVO POSSINT ESSE SIMVL EIVSDEM REI DOMINI.

LVDVS RHETORICVS.

EVERTIT naturam Dominij, qui duos poſſe eſſe ſimul eiuſdem rei Dominos dicit. Dominium eſt ius diſponendi, ſi totum hoc ius eſt penes vnum, quænam illius pars eſt penes alterum? Dominium eſt ius diſponendi de re tanquam ſua, quomodo idem ager eſt meus, ſi eſt alienus? quomodo non eſt alienus, ſi alter

est Dominus? Dominium est ius disponendi in commodum suum, quomodo disponis in commodum tuum, si dum disponis amittis tuum, & nihil acquiris alienum? Dominium est facultas disponendi sine iniuria alterius: potest Titius velle retinere seruum sibi fidelem; potest Caius velle eundem dimittere quia infidelem: quomodo ille non inferet iniuriam alteri si retineat, cui ipse seruus damnum infert si maneat; Dominium est potestas disponendi in omnem vsum: potest Titius eodem equo velle ire Romam, quo Caius vult ire Lutetiam: quomodo vterque disponet in omnem vsum, si vterque vult oppositum. Denique nemo potest duobus dominis seruire, quia cum sint diuersi possunt diuersa velle, dum vnus id vetat, quod alter imperat.

Euertunt sane hæc argumenta dominium permanens, sed instantaneum non attingunt: idem instans admittere potest duos Dominos quos tempus excludit; idcirco capacius quia breuius, idcirco potest pati diuersa iura quia non patitur, diuersa arbitria: duo Domini idem possunt quia idem volunt, cessat omnis iniuria in instanti, quia cessat pugna. Age quisquis negas diuersa posse esse in eodem instanti dominia? annum potes eodem momento librum accipere, quo ego possum dare; at non potes negare librum tunc esse meum, nisi neges fieri tuum: nemo tunc magis est Dominus quam cum donat aliquid suum; & tunc alter fit maxime Dominus cũ facit aliquid suum; quia nisi fieret Dominus occuparet alienum. O instans opulentius tempore! eodem momento vterque est diues quia vterque est Dominus; eodem momento dominium est in donante, quia donare non posset nisi Dominus esset, & simul est in donatario, quia ille dominium non transferret, nisi hic acciperet; eodem momento dominium est in donante, sed vltimò, in donatario sed primò, in hoc nascitur quia in illo moritur. In vtroque totum est quia transfertur, & nondum translatum est: idcirco hic transferre potest quia adhuc habet, neque adhuc transferret, nisi alter simul acciperet: felix dominium si in vtroque maneret, imo infelix si diutius viueret; neuter in tempore Dominus esset, quia vterque esse vellet; idcirco in instanti vterque est, quia hic vult desinere esse, dum alterum vult incipere.

LVDVS THEOLOGICVS,

AN DVO POSSINT ESSE SIMVL EIVSDEM REI DOMINI IN SOLIDVM.

VIDETVR non posse: 1. Quia iura negant dominium posse esse penes duos.

2. Hoc dominium est contradictorium in tempore, ergo in instanti, quia contradictoria æquè pugnant in instanti, atque in tempore, quia quod essentialiter est tale, est tale in omni statu, & tempore.

3. Duo dominia eiusdem rei se habent vt forma & priuatio, aut saltem vt duæ formæ oppositæ, ergo non possunt esse simul.

4. Alioqui porerit quis eodem instanti esse seruus & Dominus, quia dum alteri tradet se vt seruum erit Dominus, & dum alterum facit dominum sui, hoc ipso facit se alterius seruum.

5. Idem poterit esse liber & captiuus; at hoc repugnat, quia libertas dicit negationem seruitutis, & seruitus libertatis.

6. Repugnat dominium transferri simul & haberi, quia transferre est non habere, repugnat aliquem cessisse suo iuri & retinere, manêre dominum, & non manêre, extinctum esse, & viuere; at hæc omnia sequentur si eodem instanti dominium eiusdem rei possit esse penes duos.

7. Repugnat eandem numero formam esse simul naturaliter in duobus subiectis; at erit, quia vel Titius transfert hoc instanti idem numero dominium quod habet, vel alterum, si primum, ergo eadem numero forma est simul in duobus numero subiectis; si secundum, ergo non transfert suum dominium sed alienum.

8. Dominium dicit ius non tantùm disponendi de re sua, sed etiam ius impediendi alterum ne vtatur re tua; at non pores impedire alterum, si alter eodem instanti est Dominus.

9. Repugnat aliquid eodem instanti esse meum, & non meum; at hic liber erit meus: hoc instanti, & non meus, si est alienus; at erit alienus si alter est Dominus.

10. Repugnat aliquem donare alteri quod alter iam habet; at poterit quia Titius accipiens librum à Caio, potest eodem instanti redonare Caio, qui tamen toto instanti est Dominus.

11. Ad transferendum dominium præter titulum requiritur traditio, & ad complementum requiritur possessio; at hæc omnia eodem instanti esse non possunt.

Denique nemo potest duobus dominis seruire, vt ait ipse Christus; at idem poterit esse seruus duorum, si duo possint esse eiusdem Domini.

Conclvsio. Probabilius videtur duos posse simul esse eiusdem rei Dominos in solidum, sed dominiis instantaneis non permanentibus.

Suppono 1. Quæstionem procedere de duobus dominiis in eodem ordine, scilicet vel de duobus dominiis altis, vel præcipuè de duobus bassis; ratio est quia quæstio procedit de duobus dominiis independentibus, & quæ vocantur contradictoria; at dominia diuersi ordinis possunt dependêre à se inuicem.

Suppono 2. Quæstionem procedere de duobus dominiis completis ex parte obiecti, v. g. an Titius & Caius possint esse simul eiusdem villæ domini in solidum. Ratio est quia cessaret contradictio si dominia essent tantum completa ex parte subiecti, sic duo hæredes ex æquo instituti habent dominium totale totalitate subiecti in partem hæreditatis.

Suppono 3. Per instans intelligi, vel instans indiuisibile si detur, vel partem temporis diuisibilem sed inadæquate, & indiuisibiliter acceptam.

Probatur conclusio. Titius Dominus alicuius rei potest eam donare Caio in instanti, & Caius potest accipere eodem instanti; ergo tunc vterque est Dominus. Antecedens probatur, quia nihil repugnat acceptionem alicuius rei eodem instanti fieri quo est donatio, neque est necessarium vt vna actio succedat alteri, quia duæ actiones relatiuæ possunt esse simul; præcipuè si agatur de acceptione & donatione mentali humana vel Angelica quæ non importat motum successiuum. Consequentia probatur quia eo instanti quo Titius dat libellum Caio est verè Dominus libri, quia actus secundus probat primum; exercet autem actum secundum domini, quia disponit de re sua independenter ab alieno arbitratu, & libere disponit, quia ita dat, vt possit retinêre, & licet ex suppositione quod det hoc instanti non possit non dare, tamen hæc suppositio non lædit libertatem, quia est consequens, & quam ipsa libertas facit.

Aliunde Caius fit verè Dominus libri eodem instanti, quia verè accipit dominium libri titulo donationis, quam traditio, & possessio complet; quod ex eo constat quia Caius hoc instanti accipit ius disponendi de libro vt suo, & si posset operari instantaneè vt Angeli, posset reuera dare librum alteri, & coniungere actum primum cum secundo: Imo donatio, traditio, & possessio possunt esse eodem instanti, præsertim si possessio est ficta, & ciuilissima.

Confirmatur quia hoc toto instanti arbitrium Titij donantis non potest dissentire arbitrio Caij donatarij, quia Titius vult Caium vti re donata prout voluerit, quia transfert plenum eius dominium.

Dixi in conclusione dominium instantaneum posse esse penes duos

non autem permanens, quia in tempore duo dominia eiusdem rei se excludunt, quia arbitrium vnius potest dissentire ab altero; at in instanti non se excludunt, quia arbitria non dissentiunt.

Ad soluendas obiectiones suppono ex Philosophia ea quæ intrinsecè desinunt, esse vltimo eo instanti quo desinunt, quia hoc instans numeratur quasi intrinsecum durationi, & licet dicere, nunc res illa vltimo est, & immediate post non erit. Item ea quæ incipiunt intrinsecè sunt primò eo instanti quo incipiunt, quia hoc instans censetur intrinsecum eorum existentiæ, & licet dicere nunc res illa primo est, & immediate ante non erat. Quia ergo dominium Titij donantis librum desinit intrinsecè, Titius est Dominus eo instanti, & quia dominium Caij donatarij incipit intrinsecè, est etiam eo instanti. Sic autem incipere & desinere probatur ex supradictis, & quia nulla apparet implicantia in his formis moralibus, licet in formis substantialibus id neget Philosophia.

Ad primum Resp. Iura non loqui de dominio instantaneo, quod ad legum rationem parum confert, sed de permanente quod ad contractus requiritur, qui vt fiant humano modo fieri debent in tempore.

Ad secundum Resp. Hæc dominia non esse contradictoria in instanti, quia vterque dominus idem vult, quia hoc ipso quod vult dare, vult alterum accipere, & sic arbitrium vnius non contradicit arbitrio alterius.

Ad tertium Resp. Hæc duo dominia se habent vt opposita priuatiuè n. vt opposita relatiue c. at relatiua se inferunt. Et licet duæ formæ substantiales, & duæ accidentales oppositæ, saltem in summo gradu se excludant; at non necessario duæ formæ morales.

Ad quartum Resp. Idem erit Dominus vltimo, & seruus 1°. eodem instanti, sed diuerso respectu, vnus per modum principij disponentis, alter vt se subijciens dispositioni alterius.

Ad quintum Resp. Toto instanti esse liberum, quia libere se ligat, ex suppositione autem quod se ligat est captiuus; at libere, & tantum necessitate hypothetica talis, & in sensu composito quem ipse facit.

Ad sextum Resp. Negando antecedens, ad probationem R. est non habere n. sed est habere vltimo, ad inst. R. repugnat cessisse de præterito; & habere c. repugnat cedere, & habere vltimo, n.

Ad septimum Resp. Transfert eandem formam, & idem dominium specie, amittendo illud quod habet; sic eadem numero forma non migrat de subjecto in subiectum, sed eadem specie.

Ad octauum Resp. Dominium dicit ius ne alius vtatur me inuito c. me volente, n. at vterque idem vult hoc instanti.

Ad nonum Resp. hoc instanti esse meum, non autem non meum, licet sit alienum: ad inst. R. alienum quod à me fit tale non est meum hoc in-

ſtanti quo volo eſſe alienum, n. ſic vero eſt alienum & meum, ſed alienum primo & meum vltimo.

Ad decimum Reſp. Repugnat dare alteri iam ſuum, R. iam ſuum dominio naſcente n. dominio præterito c.

Ad vndecimum Reſp. donationem, traditionem, poſſeſſionem, poſſe eſſe eodem inſtanti, præſertim ſi poſſeſſio eſt ficta, & ciuiliſſima. Reſp. 2. ad transferendum dominium non requiri traditionem in multis caſibus quos Authores citant.

Ad vltimum Reſp. Chriſtum loqui de dominio permanente, quia inſtantaneum, parum refert ad praxin, & ad mores.

PRAEFATIO DE CONSCIENTIA.

NVLLI arti aut ſcientiæ præfari minùs congruit quam conſcientiæ, quia nulla ſcientia minus loquax, & minus verboſa eſt. Mirum eſſet Grammaticam non præfari, quæ loqui docet; ſilêre Poëſis non debet quæ docet fingere; Eloquentia hoc ipſum docet, qua arte nemo ſileat, etiam dum nihil habet quod dicat. Logica ex mutis elementis verba facit ne vnquam diſcurſus deſit: Theologia rea eſſet, ſi de Deo tacêret; interpres ſcripturæ ſi taceret, interpres non eſſet. Sola conſcientia eſt quæ præfari non amat, quia hoc ipſum contra conſcientiam putat magnifice loqui, & mauult facere magna, quam dicere.

Ne igitur expectate fucatam verborum lenociniis orationem, conſcientia fucos odit, ne quærite blandientis oratoris affectus, aut indignantis tumultus, conſcientia ſincera eſt dum blanditur, & iuſta dum iraſcitur.

Conſcientiæ ſermo nec Grammaticus eſſe debet, ne habeat aliquid vanum, nec Poëticus ne habeat aliquid fictum, nec Rhetoricus ne habeat aliquid vacuum; nec Philoſophicus ne nimis ſapiat, nec Theologicus ne mentem excedat.

Erit itaque oratio ſimplex ne fallat, erit clara vt doceat, erit efficax vt agat, erit prudens vt dirigat; erit lectioni ſimilior quam orationi, ne contra conſcientiam aliquid dicat, dum de conſcientia diſputat.

Acturus igitur de conſcientia vnum quæro, quid ſit conſcientia; conſcientia, inquiunt aliqui, domus eſt perpetuis obſeſſa tenebris, nec tamen obſcura; nullus in eâ ſol lucet, nec tamen in ea aliquid latet; nullæ in ea feneſtræ per quas aſpiciat, & tamen omnia ſpectat; nullæ fores per quas hoſpitibus pateat, & tamen ſemper eſt plena; conſcientia domus eſt obſcura & ſplendida, clauſa & obuia; vacua & plena: quia

dum aliis hoſpitibus caret, implet ſeipſam, & turbam facit, etiam dum eſt ſola.

Conſcientia aiunt alij, eſt labyrinthus mille mæandris intertextus, & ramen hoſpiti ſuo rutus; domus eſt geſtatilis, quia eam quiſque inſtar limacis gerit: eſt patria ſequax, quia eam peregrinus quiſque circumuehit: ita tamen eſt patria homini ſi bonus eſt, vt eidem ſit exilium ſi eſt malus. O rem prodigio ſimilem! Vir improbus apud ſeipſum habitat, à ſeipſo exul: Idem præſens ſibi, idem abſens à ſe: idem excutere nititur conſcientiam quia aduerſariam, nec ramen illam exuit quia ſecum gerit: idem fugit ſeipſum quaſi inimicum, nec tamen ſe deſerit quia ſecum fugit: idem liber & captiuus; idem ciuis & peregrinus; idem hoſtis & amicus: quia conſcientiam gerit hoſtem crimini, & amicam virtuti.

Conſcientia inquit Baſilius eſt naturale rribunal animæ; in eo tribunali conſcientia accuſatrix, & teſtis; iudex & vindex damnat ſeipſam ſi nocens eſt, abſoluir ſi innocens: mirabile tribunal quod vna perſona conſtituit.

Conſcientia, ait Victor, ea eſt apud quam non moritur omne quod gerimus, ea in factis noſtris reſtatur quod vidit, accuſat quod diſſuaſit, laudar quod conſuluit; ea non habet loquendi vſum, & neſcit tenêre ſilentium, nihil ei tuum tectum eſt, quia tecum ſemper eſt; præterita ſcit quia fecit, præſentia quia aſpicit, futura quia dirigit.

Conſcientia, inquit Hieronymus, eſt ſecretum hominis, quia nemo nouit quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, aut qui hominem condidit ſpiritus Dei: nec eam Momus intuêri poteſt, ne irrideat: neque alter homo ne fallat, nec genius malus ne noceat, nec bonus ne libertatem impediat: reueretur illam Deus ipſe, atque vt libera ſit permittit agere improbè, quam vellet agere benè.

Subtiles ſanè proluſiones, ſed quæ aliqua conſcientiæ officia deſcribunt, non naturam definiunt.

Dic Theologia ſcientiarum regina, doce conſcientiam quid illa & qualis ſit? ſi ramen conſcientiam doces, vnde niſi à conſcientiâ didiciſti qualis conſcientia ſit; & ſi conſcientia docuit, quomodo ante te qualis eſſet ipſa neſciuit? doceat tamen conſcientia Theologiam, Theologia conſcientiam, vtraque diſcipula & Magiſtra; vtraque dicat quid ſit conſcientia.

Conſcientia inquit Theologia eſt actus intellectus practici, deducens concluſionem ſyllogiſmi prudentialis, ex principiis à ſyndereſi oblatis, & per rationem connexis.

Paucis verbis quot oracula! conſcientia eſt actus intellectus vt præferat voluntati facem, & oſtendat honeſtatem: eſt actus vel Ephœbi honoratij prælucentis dominæ, vel Domini intellectus imperantis ancillæ;

imo est actus famuli & Domini, quia est actus prælucens voluntati adhuc cæcæ, & expectans imperium liberæ. Debet actus bonus honestatem voluntati, debet intellectui honorem; nec sine voluntate esset actus honestus, nec sine intellectu legitimus: vtriusque fœtus id debet vtrique quod Parentibus filius; ingratus si dum voluntatem agnoscit vt matrem, intellectum non agnoscat vt patrem.

Conscientia est actus non habitus, contra Scotum non satis hac in parte acutum: possum operari sine habitu, nec possum liberè sine præuio actu; deponi potest conscientia, nec facile exuitur habitus: malum est agere contra conscientiam, nec est malum operari contra habitum: Denique prælucêre, dirigere, agere, testari, accusare sunt actus non habitus: ita tamen conscientia est actus vt possit nasci ab habitu: ita generans habitum vt possit ab habitu generari: ita parens vt sit aliquando filius: tunctamen non est vnus actus sed geminus, ne idem esset prior seipso, & seipso posterior.

Conscientia est actus intellectus & minùs propriè voluntatis contra Durandum nimis hac in parte rixosum, placet aggredi hominem authoritate, & conuincere ratione.

Tertullianus appellat conscientiam naturales tabulas, in quibus scilicet vnusquisque legit opus suum, & agnoscit quod scripsit; at legere, & scribere, officia sunt intellectus scientis legere, non voluntatis scientis tantùm audire.

Damascenus vocat legem intellectus, quam scilicet intellectus promulgat voluntati, non voluntas intellectui, aut saltem quæ vtrumque comprehendit.

Hieronymus illustrem locum Malachiæ sic explicat, custodite spiritum vestrum, & vxorem adolescentiæ vestræ: per spiritum intelligit Propheta intellectum, per vxorem voluntatem, per vtrumque conscientiam: illustre sanè connubium, in quo intellectus est sponsus, voluntas mater, & proles conjugij sunt actus liberi.

Bernardus appellat conscientiam scientiam cordis, non quæ in corde sit, sed quæ est de corde: illustris nimirùm scientia quæ cor illustrat, subtilis quæ penetrat, ignea quæ inflammat, erudita quæ docet, amabilis quæ mouet, efficax quæ persuadet. At erudire, arguere, illustrare sunt actus eius facultatis quæ videt oculis propriis; non eius quæ vtitur alienis.

Conscientia est actus intellectus practici, non speculatiui: vnicus est intellectus in homine, si spectes entitatem, duplex si attendas virtutem: vnus est speculatiuus, alter vel idem practicus.

Agnosce vtriusque naturam vel industriam; intellectus speculatiuus præscindit à rebus agendis ne aliquid efficiat, laborat ne laboret, agit

ne

ne agat, ſpeculatur facta ne faciat: Attende tamen huius intellectus efficaciam dum nihil efficit; ibi definit vbi nihil eſt niſi differentia; ibi diuidit vbi nihil eſt niſi identitas; ibi numerat vbi ſola eſt vnitas: ibi medium quærit vbi nihil eſt primum, & vltimum.

Aduerte eiuſdem intellectus innocentiam, contemplatur opes nec diteſcit; dignitates nec inſoleſcit; voluptates nec afficitur, labores nec frangitur.

Attende eiuſdem audaciam, aſcendit in cœlum nec extollitur, deſcendit ad terras nec deprimitur: flammis ſe immiſcet nec exuritur; aquis ſe immergit nec obruitur: lumen aſpicit nec hebeſcit: Solis & Lunæ defectus intelligit neque deficit: tenebras ingreditur nec obſcuratur: nihilum ſcrutatur nec confunditur: tempora meditatur nec cum annis fluit: motum proſequitur & conquieſcit.

O audacem intellectum! inquilinus eſt vnius Elementi & incola omnium; in terris habitat, ad cœlum euolat: conſueſcit cum Angelis, pugnat cum feris: cultor cœli, victor profundi, in aëre auceps, in cœlo hæres.

Non ita intellectus practicus, non agit ne agat, non contemplatur vt illic conquieſcat; ſed præfigens ſibi opus vt finem, eò ſe & omnia deſtinat, atque vt opetetur facilius, antequam opus extra proferat, priùs illud intra ſe format.

O rem miraculo ſimilem! iam extat domus intra intellectum Architecti, quæ adhuc alibi non exiſtit; iam illic efformata, nondum alibi nata: iam illic abſolura, nondum alibi inchoata: quodque admirationem ſuperat; nobilior eſt domus in idea ſui, quam in ſeipſa: viuit intra intellectum Architecti, quæ extrà non ſentit; illic ſpiritus, extrà rude corpus, illic ventos, & imbres, & ruinam non timet, vbi nihil eam videt: ibi ſtabilis ſubſiſtit, poſtquam etiam alibi corruit.

Neque ibi ſiſtit intellectus practicus: ſed dum agit, inferiores potentias ſecum ad opus accingit: atque vt primum cœlum mobile inferiores ſphæras ſecum rapit, ſic intellectus practicus ſubditas facultates quaſi orbes minotes ad opus attrahit: præluceat operantibus ne fallantur; ſuppeditat materiam ne otientur: collaborat operantibus ne conquerantur.

Conſcientia eſt actus intellectus practici, non ſpeculatiui: præluceat acturæ voluntati & prior agit; proponit opus faciendum iam intra ſe factum; inclinat animum volentem, impellit nolentem, adiuuat laborantem: ſi reluctari voluntatem videat, minatur ſe aduerſariam vt arguat, teſtem vt conuincat, iudicem vt damnet, vindicem vt caſtiget: ſi aduertat procliuem ad opus, ſed cunctantem, proponit honeſtatem quæ moueat, vtilitatem quæ perſuadeat, mercedem ſi agat, coronam ſi vincat.

Conſcientia eſt actus eliciens concluſionem ſyllogiſmi prudentialis, ex principiis vniuerſalibus à ſyndereſi propoſitis, & per rationem connexis: hæc nobilis forma ſyllogiſmi practici, ſyndereſis maiorem format, ratio minorem, conſcientia elicit concluſionem; ſyndereſis eſt lumen illud vultus diuini ſignatum in homine: ratio lumen illud admouet, conſcientia per illud videt: ſyndereſis, inquit Hieronymus, eſt ſcintilla animæ, ratio ſilicem verberat, conſcientia eſt expreſſa flamma. Syndereſis, vt loquitur Auguſtinus, quaſi latens in corde imperator conſilia dictat, ratio examinat, conſcientia promulgat, voluntas obſeruat: ſyndereſis eſt conſcientia vniuerſalis, conſcientia eſt ſyndereſis ſingularis.

Atque ex iis colligere licet quomodo conſcientia à Morali, & prudentiâ differat; nimirum vtraque illa eſt habitus, conſcientia actus: Moralis eſt ars honeſti, prudentia liberi, conſcientia recti: Moralis proponit bonum, prudentia eligit, conſcientia agit. Denique Moralis eſt ſcientia morum, prudentia pars ſcientiæ, conſcientia pars prudentiæ.

Hæc de conſcientia Theologia; at tu Philoſophia quid de conſcientia ſentis? conſcientia inquit eſt naturalis Logica; ea enuntiat in puero, definit in iuuene, argumentatur in viro demonſtrat in ſene: ea diſcurrit de bonis & malis, ſed diſpari forma; in illis eſt forma delectans, in iſtis crucians: in illis flamma lucens, in iſtis vrens: in illis eſt vermis immortalis ad pœnam, in iſtis teſtis æternus ad coronam.

Conſcientia, aiebat Seneca, eſt particula diuini ſpiritus homini immerſa, vt homo aliqua ex parte ſit Deus: particula eſt non aſſiſtens ſed intimè præſens: non extrinſecus addita, ſed animo indita; particula tamen eſt, non totus ſpiritus, ne hominem abſorberet, ſi totus intra hominem habitaret Deus.

Conſcientia, inquit Menedemus, ſingulis mortalibus Deus eſt, nec tantùm pars Dei; ea intra hominem exercet vices Dei; nec exerceret niſi eſſet homine maior; nec maior eſſe poteſt omnibus mortalibus, niſi ſit immortalis Deus.

Quid ais Philoſophia? nimis ſubtiliter de conſcientia ſentis: accepiſti claram, & inuoluis; accepiſti humanam, & diuinam facis: conſcientia neque eſt pars diuini ſpiritus, qui partes non habet: neque intra hominem Deus eſt, ne homo ſit Deus.

Modeſtius de conſcientia Moralis Philoſophia; conſcientia, inquit, eſt commune beneficium, nemo ea caret ſi homo eſt: nemo eam non videt, quia per eam videt: nemo eam non ſentit, quia ipſa eſt ratio ſentiendi.

At tu Eloquentia, quid de conſcientia dicis? ea, inquit, lex eſt non lata homini ſed innata; non accepta ſed indita; non inciſa marmori ſed

tabulis cordis: lex est lata sine legislatore, promulgata sine præcone, acceptata sine teste: lex est imperans sine voce, persuadens sine oratione, exequens sine arte: lex est docta sine magistro, docens sine studio, sciens quod aliunde non didicit, memorans quod nunquam audiuit. Lex est prælucens, & sequens: imperans & obtemperans: ostendens agenda, & peragens: lex est nascens cum homine & supra hominem crescens, adulta sæpe in puero, matura in adolescente, senilis in iuuene: lex est nobilis sæpe in rustico, ingenua in seruo, libera in captiuo: Denique lex est nata cum homine, superstes post hominem, æterna inter ignes vt cruciet, immortalis inter astra vt coronet.

Ita scientiæ de conscientia; at definiat conscientiam Deus ipse: nemo eam melius nouit, quam author qui condidit: dicat scriptura laudes quas Deus ipse dictauit; nec fallere potest Deus dum dicit, nec scriptura dum dicta repetit. Signatum est super nos lumen vultus tui Deus. Explico diuina verba & finio: conscientia est lumen: lumen non humanum sed diuinum; lumen non caducum sed immortale; non fluxum sed stabile: lumen vultus tui; si vultus ille est; si vultus ille est Verbum, conscientia est lumen Verbi: si vultus ille est Spiritus Sanctus, conscientia est lumen Spiritus: lumen ostendens Deum & exhibens: lumen pingens intra hominem Verbum & imprimens.

Signatum est, non affusum vt diffluat, sed infusum ne pereat: Signatum est, impressum alte ne eruatur, incisum ne deleatur, insculptum ne eradatur: Signatum est, quasi caracter vt legatur, quasi sigillum vt seruetur, quasi imago vt spectetur: Signarum est super nos vt emineat, intra nos vt lateat: super nos vt sublime, intra nos vt familiare: super nos vt dirigat, intra nos vt regat: super nos vt imperet, intra nos vt adiuuet: super nos vt coronet, intra nos vt triumphet: Signatum est super nos lumen vultus tui, lumen Dei conscientia est, lumen luminis, sol solis, radius radij, imago imaginis, caracter caracteris.

Hæc de conscientiâ Deus, quis audeat post Deum loqui.

Dixi.

LIBER TERTIVS.

ELOGIA REGIA.

VITA ET ELOGIA LVDOVICI DECIMI TERTII.

I.

HIC qualis, & quantus hoc ſeculo futurus eſſet,
Prædixit ab altero ſeculo Clemens Octauus:
Diuinum fuiſſe oraculum vatis authoritas,
Verum fuiſſe vaticinium experientia probat:
Habent hoc plerumque res magnæ,
Diu videntur poſtquam eſſe deſierunt:
Habet hoc præ illis LVDOVICVS,
Diu videri cœpit antequam eſſet.

Cardin. Doſſat l. 6. Epiſt. 74.

II.

Anteceſſit magnos natales ingens terræ motus,
Trepidantis Europæ, vel amantis motus fuiſſe creditur:
Vt mirum non ſit ſi tota nunc amatur, & timetur Europa
Qui ante timeri cœpit quam homo eſſet.

III.

Auſpicatus eſt vitam cum hoc ſeculo,
Vt illud virtutibus ſuis conſecraret:
Nec immerito hoc ſeculum Ludouicæum dixeris,
Cui idcirco Ludouicus adnaſcitur,
Vt præcipuum eius ornamentum eſſet.

IV.

Exiuit in lucem Sole cœleſtem libram ineunte,
Naſcente iuſtiſſimo Rege
Debuit dierum, & noctium æqualitas eſſe:
Sed æqualitas in Sole minor quam in Ludouico;
Vix ille æqualis in vno alteroque ſigno,
Ludouico dies omnis, & menſis in libra eſt;
Vix ille cœleſtem libram exceſſit,
Cum Scorpiis, & Cancris ſe immiſcet,
Tota Ludouici vita ſine monſtro eſt.

V.

Lucem adhuc ſalutabat Ludouicus,
Cum ecce noua ſtella in Cygno cœleſti naſcitur,
Accendit eam Cœlum vt magnos natales illuſtraret;
Lucére in Cygno voluit, vt fatidica auis,
Quantus heros Galliæ naſceretur prædiceret;
Fingant Aſtrologi fatales in ſtellis horoſcopos,
Diuinent aliena fata, dum neſciunt ſua:
Ne vanus credatur Ludouici horoſcopus,
Proponit illum ſtella noua, & auis fatidica.

VI.

Affirmant oculati teſtes Ludouicum in lucem prodeuntem,
Ter manus, & oculos in cœlum ſuſtuliſſe:
Nemo maturius cœlum aſpexit,
Nec mirum nemo plus iuris in cœlo habuit;
Natale ſydus explorat oculis,
Intuetur aſtra ſua dum nos ſpectamus aliena,
Dicitur Auguſtus puer cum ſtellis luſiſſe;
Verùm luſit Auguſtus cum alienis aſtris
Ludouicus cum ſuis.

VII.

Editus in lucem eruditur ab Henrico Magno ad fortitudinem,
Ab omnibus virtutibus ad ſanctitatem,
Ad iuſtitiam certe, & pietatem diſciplina non eguit;
Vtramque habuiſſe videtur à natura:
Addunt oculati teſtes candidas manus ex vtero matris tuliſſe:
Innocentis juſtitiæ præſagium erat,
Quis neget juſti nomen Ludouico congruere?
Qui tunc candidas manus habuit,

Cum omnes habemus cruentas:
Non debet hominibus Iusti titulum,
Antequam homines imponerent,
Natura iam dederat.

VIII.

His dotibus à natura instructum,
Virtutes alendum susceperè:
Vix vnquam meliorem alumnum sortitæ sunt;
Eam indolem ad omnia virtutis facinora præferebat;
Vt dubium reliquerit an differret indoles à naturâ;
Talis erat Diuus Ludouicus dum adolesceret;
Sola ætas vtrumque discriminat:
Si ambo simul vixissent, vix vtrumque distingueres:
Vt similes credas.
Vtrique lethalis noxæ tantum in ea ætate odium fuit,
Vt si alterius morte scelus extinguendum esset,
Hæc sola inter eos fuisset contentio,
Vter prior occumberet.

IX.

Neque illud fortuito accidit,
Vt alter alteri certo interuallo succederet:
Hactenus vigesimus quisque Rex sanctitate floruit:
Hunc non fortuitò vigesimum esse:
Amor sanctitatis docet.

X.

His Magistris ad alias virtutes vsus est,
Fortitudinem Henrico Parenti debet:
Hic sanguinem generosum dedit vt Pater,
Præcepta fortitudinis vt Magister,
Exempla, vt bellorum arbiter.
Dicitur infantis adhuc Ludouici manibus
Victorem ensem indidisse:
Precatus vt eo Dei causam protegeret,
Eodem Patriæ gloriam extenderet;
Et miramur victorias Ludouici,
Quid non vincat Dei causa,
Patriæ gloria,
Ensis Henrici,
Et manus Ludouici.

XI.

Anno ætatis decimo in Regem consecratus est,
Ante oleum iam sacer,
Iam throno dignus erat,
Cum adhuc in cunis esset.
Quis credat, quieuit in hoc rerum cardine,
Tremefacta ab Henrico magno Europa;
Stetere hostes Galliæ, cum eam inuasuri credebantur:
Puto timuisse adhuc vel Henricum mortuum,
Vel in Ludouico rediuiuum:
Atque id vnum funeris acerbitatem leniuit,
Dum magno Parenti maior hæres succederet.
Nihil detraho laudibus tuis Henrice dum laudo tua:
Glorioſum est vinci ab eo filio, cui dedisti vnde vinceret:
Audeo dicere, Magnus es Tu omnibus titulis,
Nullo titulo maior quam dum talem filium reliquisti.

XII.

Agebat annum ætatis decimum quartum,
Cum Annam Hispanicam vxorem duxit.
Vt designatam à Deo conjugem scias,
Eodem anno, & mense, & hebdomade vterque in lucem prodiit,
Tantùm vt Aurora Solem,
Sic Ludouicum Anna paucis momentis anteceſſit.
Sed non illic æqualitas stetit:
Ambo sub eodem sydere libræ oriundi,
Sub eodem æquale connubij iugum subiere:
Vide an iustius esse coniugium potuerit,
Quàm dum ad cœlestem libellam,
Ipsa etiam momenta librantur.
Neque inæquale connubium thalamus diu infœcundus facit,
Idcirco diu Anna parturit,
Vt parere Augustum aliquem possit.

XIII.

Vix alium Principem castiùs irretiuit amor thori,
Vix alium grauius occupauit studium belli,
Ipsum connubium bello non caruit,
Inter arma coniugium iniit,
Ab eo tempore omnis ei annus militaris,
Omnis dies Martius,

Et omnis mensis Augustus fuit.

XIV.

Benearnenses hæretici nouam Remp. meditabantur,
Vt rem priuatam euerterent.
Et iam post eiuratam fidem Romanam,
Eiurare Regiam cogitabant:
Oppressit rebelles celeritate sua Ludouicus:
Et dum venari feras creditur,
Omnem Prouinciam vna venatione cepit.
Miraculo ea victoria non caruit;
Quinquaginta anni erant cùm è Benearnia Missa exulabat,
Eádem die restituta est, quâ exulare cœperat.
Quis non eam diem Iubilæi dicat.
Et mirare dignam hoc Iubilæo Regis pietatem,
Circumferri solenni pompa Eucharistiam voluit,
Vt periuram Prouinciam,
Priùs reconciliaret Christo quam sibi,
Atque vt victoriam Deo acceptam referret,
Triumphare maluit Christum quam Ludouicum.

XV.

Nihil generosius est verâ pietate,
Nec mirum si vincat, quæ cum Deo pugnat. S. Iean d'Angely.
Hæc pietas fanum Engeriacum obsedit, & cepit;
Si castra Regia spectasses,
Si propositum publicè in Eucharistia Christum,
Dixisses esse Castra Dei,
Eucharistiam arcam fœderis,
Ludouicum alterum Dauidem,
Contra Philistæos præliantem.
Tergeminam trium Regum obsidionem,
Vrbs rebellis eluserat,
Quartam obsidionem non tulit,
Nec mirum si victa est,
Quam cum Ludouico Christus obsedit.
Ne quid in posterum auderet vrbs periura,
Nudata est mœnibus quæ Regibus suis occluserat, Bourg-Louys.
Et dum Pagus Ludouici vocabitur.
Sentiet in pago iustitiam,
Quam in vrbe contempsit.

XVI.

Nec minus fortis mari quam terra Ludouicus,
Riam Insulam occuparat Soubisius,
Ea audacia vt collatis signis,
Pugnam cum Rege promitteret,
Adfuit Rex cum æqualibus copiis si numerum spectes,
Maioribus si virtutem numeres:
Rex ipse dum militis & Ducis partes implet,
Instar exercitus esse creditus est.
Aduersam fluminis ripam tormentis hostis armauerat,
Necdum se in mare fluctus receperant,
Post sex horas redituri,
Graue periculum erat in adeunda Insula,
Grauius erat in mora.
Insinuauit se medias in aquas Ludouicus,
Immersit se in fluuium cum Rege exercitus,
Et dum solo capite ex aquis eminet,
Dignum cœlo spectaculum fuit,
Rex alter Neptunus,
Singuli milites totidem heroës apparuêre,
Creditur hæc audacia mare terruisse,
Cohibuit fluctus ne tam cito refluerent:
Effluxêre audaces vndæ non hostes,
Oppressus est præsentia Regis rebellis exercitus,
Et dum sanguine suo arenas Olonæas,
Et mare inficit,
Docuit exemplo suo,
Nec terrâ prouocandum esse Ludouicum,
Vbi Mars alter est,
Nec mari, vbi est alter Neptunus.

XVII.

Hæc victoria de subditis, quæ sequitur de externis,
Sedebat ad Ræam exhaustus Anglus,
Quam præteruolando rapere sperauerat,
Centum numerabat non tam nauigia quam castella,
Tam denso agmine per Oceanum disposita,
Vt solis auibus non nauibus iter mari patêret:
Et tamen viginti lintres Gallici,
Quos vna Nauis Anglica sorbêre potuisset,

Per effracta repagula, & per omnia clauſa
Inuenère viam:
Quam ipſis piſcibus clauſam Angli crediderant.
Nec felicior Anglis terra quam Oceanus fuit:
Vtrumque Elementum æqualis cauſa corruperat:
Innumera Anglorum millia arcem oppugnabant,
Nulla aliá re niſi Toëraſij virtute munitam.
Et tamen innumeros hoſtes, pauci,
Recentes fatigati,
Bene valentes penè mortui,
Tamdiu ſuſtinuerunt, dum accurrerent auxilio viui:
Nemo quærat quid fecerint viui,
Vbi vicerunt mortui.
Schombergius, & Toëraſius duo duces vincenda orbi pares,
Tot hoſtium corpora ceciderunt,
Vt ſi penes mortuos eius terræ quam occupant dominium eſſet,
Totam Ream Angli poſſiderent mortui,
Quam non cepere viui,
Ex tot Anglorum millibus,
Tam pauci in Angliam rediere,
Vt redeuntium militum & nauium numerus,
Pene æqualis eſſet.
Eam victoriam ſic duo duces partiti ſunt,
Vt vnus Anglos ſuſtinuerit,
Vterque repulerit,
Ludouicus vicerit.

XVIII.

Oppugnandæ Rupellæ Ræa præludium fuit:
Tunc ſe Rupella ream Majeſtatis fecit,
Cum Ream dedere Anglo cogitauit.
Irridebat tamen vrbs rebellis Regem ſuum:
Dum euocabat alienum,
Contemnebat vires Regias,
Dum numerabat ſuas.
Si præteritas ætates euolueret,
Non quot Reges habuiſſet numerabat;
Sed quot viciſſet,
Si faſtos ſuos conſuleret,
In illis bi dies ſacri erant,
Quibus Sacramentum aliquod abrogaſſet:
Ij ſolennes & feſti,

Quibus de Rege ſuo victoriam aliquam reportaſſet.

XIX.

Hæc erat urbis inſolentia, quam omnes capiendam,
Nemo tentandam putabat:
Et certe inexpugnabilis Rupella videri poterat,
Niſi arma Ludouici prouocaſſet.
Ille vt late vagantem furorem cohiberet,
Trium leucarum aggere coërcuit.
Hoc primum de inſolenti urbe ſupplicium fuit;
Anguſtius tribus leucis imperium habet,
Quæ Gallias hoſtibus externis diuidebat.
Adhuc tamen ſe Reginam vocabat.
La Digue *Dum appellere mœnibus ſuis Oceanum vectigalem videbat.*
Ludouicus operoſo aggere mare frænauit,
Nec aliud ex toto Oceano Rupellæ reliquit,
Niſi ſtagnum, & lacum, & mare captiuum.

XX.

Ne quære quâ arte mirabilis agger ſurrexerit,
Ille ipſe qui extruxit Architectus artem neſcit:
Stetit ſine fundo firmiſſima moles,
Et ſolidus murus ſine calce coaluit:
Principio iectæ ſyluæ, & montes tumultuario opere:
Hic tumultus ars fuit.
Nam dum Oceanus iectas moles diſſoluere tentat
Compoſuit,
Dum euertere laborat
Fundauit.
Et dum hiatum aggeris ſæpius ingreditur
Luto, & arena compleuit:
Sic ipſe carcerem ſibi, & vincula
Imprudens Architectus extruxit.

XXI.

Denique medio in aëre viſenda porticus ſtetit,
Et ſolidum ambulacrum ſupra Oceanum ſtrauit;
In ea porticu miles obambulans,
Æſtus tuos Neptune ridet,
Quos ſub pedibus mori videt,
Ignes tuos Rupella ſpernit

Quos aqua diluit.
Relictus tamen est medio in aggere tolerabilis hiatus,
Ne mare desperaret:
Atque vt transeuntes per hanc labem procellæ,
Rupellam admonerent,
Cederet Regi suo libens,
Cui natura cessisset:
Nec recusaret compedes,
Quas ipsæ procellæ admisissent.

XXII.

Cessisset iis monitis Rupella nisi rupes esset,
Adhuc ab Anglis auxilium sperat,
Nec videt hunc aggerem carcerem sibi,
Anglis limitem esse,
Nec transituras Anglorum acies,
Quá vix vndæ transiere.

XXIII.

Geminum exercitum naualem Anglia conscripserat,
Primus cum hunc aggerem tentare armis non auderet,
Tentauit oculis:
Promiserat Annonam Rupellæ,
Ostendit,
Et fidem suam non famem alienam soluit:
Venerat vt vinceret,
Vidit nos inuictos esse, & fugit:
Hæc fuga Rupellensis si Reanæ iungatur,
Testatum Anglia reliquit omnibus,
Si vires manibus defuêre,
Non defuisse animos pedibus:
Et si vincere in terra nesciret,
Scire se in mari fugere.

XXIV.

Secunda Classis iis ignibus armata venit,
Vt orbem incensura crederetur:
Verum agger ignes non metuit, qui imperat Aquis:
Atque id vnum Ludouici triumphis deerat,
Vt post superatas cum terra Aquas,
Quartum Elementum superaret.

Nec otioſus tamen hic ſecundus aduentus fuit,
Tardè ad ſuppetias Anglus venit,
Maturè ad exequias:
Vindex eſſe obſidionis non potuit,
Teſtis fuit deditionis:
Nec inutiles tamen Anglorum ignes fuére.
Præluxére Rupellæ exequiis,
Et triumphis Ludouici:
Ne ſine numine id factum putes,
Anglorum ignibus Franci,
Diu ante candelabra parauerant.

XXV.

Quid expectas infelix Rupella?
Diſce toties ſuperata ſemel vinci,
Iam te Elementa deſtituunt, iam natura deficit:
Quid ſola rebellis expectas?
Nec te rerum vltima Regi tuo dedis?
Iam tredecim ciuium tuorum millia fames abſumpſit,
Si longius reſiſtis, breui hic te ſtatus excipiet,
In quo nec vinci poteris, nec ſeruari.

XXVI.

Quis credat? poſt victa tria Elementa
Tandiu reſtitit, quamdiu quartum Elementum ſuperfuit,
Et ſufficere aërem putauit qui auibus ipſis non ſufficit.
Denique corrupto peſte, & morte aëre
Tunc deſperauit, cum ſpirare vltra non potuit:
Quid primum admirer in ea victoria,
Vbi omnia miracula ſunt?
An victoriæ annum?
Hic climatericus fuit,
Eo anno ſeruata eſt Rupella quo perire debuit,
An deditionis diem?
Victa eſt Cœlitibus omnibus ſacro die,
Quæ omnes Cœlites execrata erat.
Sed pietatem Regis admirari placet:
Ille triumphantem in Euchariſtia Chriſtum,
Pedes tota vrbe proſequi voluit:
O Triumphum Cœlo ſpectatore dignum!
Antiquos triumphos ſequebantur Reges captiui,

Sequitur triumphantem Christum Victor, & pedes LVDOVICVS,
Vix vnquam glorioſius triumphauit Deus.

XXVII.

Admirare ſociam pietatis LVDOVICI *clementiam,*
Hæc cum iuſtam iram per tredecim menſes collegiſſet,
Iram cum Rupella vicit:
Pepercit abiectæ ad pedes Rupellæ,
Dum eam calcare potuit;
Nec viuis tantum hoſtibus pepercit:
Libenter mortuos ad vitam excitaſſet,
Vt omnibus ignoſceret.

XXVIII.

Obſignet hæc omnia mirabilis Aggeris illuſtris ruina,
Hic Agger quem nec Rupella ſuis machinis,
Nec Anglia ſuis flammis,
Nec mare ſuis procellis euertere potuit;
Hic Agger abeunte Rege ſponte corruit;
Vt probaret ſe ſolo eius imperio ſtetiſſe;
Captæ Rupellæ ſupereſſe noluit,
Ne fideli noceret,
Qui ideo tantum ſurrexerat
Vt vinceret infidelem.
Relicta eſt memorabilis valli pars exigua,
Vt ſciat poſteritas quale hoc miraculum fuerit,
Cuius adhuc reliquias Elementa reuerentur,
Et ne vnquam rebellet Rupella,
Dum vltimam ruinam minatur hæc ruina.

XXIX.

Hic finis rebellis Rupellæ.
Quis non poſt eam victoriam vincendi finem feciſſet?
LVDOVICO *finis vnius triumphi gradus eſt ad ſequentem:*
Dum captare quietem creditur, iam ad Alpes peruenit;
Nec difficile arduas rupes conſcendet,
Cui ad aſcenſum Rupella ſubſternitur.
Obſidebat Caſale Hiſpanus,
Vt cadentis Rupellæ fragorem accepit è longinquo,
Vt effracta Suſæ repagula audiuit è propinquo,
Prudenter ei Victori cedendum putauit,
Cui ipſa etiam natura ceſſiſſet.

XXX.

Admiratus hanc victoriam Vates Romanus,
Sudate, inquit, artifices foci,
Et metalla in ſtatuas animate,
Si ſtatuæ adhuc vocales non fuiſſent,
Inciperent nunc primùm his verbis loqui,
Venit Iulius Cæſar, & vicit quos vidit hoſtes,
Venit Ludouicus, & vicit quas non vidit acies.
Admiratus hunc triumphum Poëta Gallus,
Quale, inquit diſcrimen Anglos inter, & Francos:
Obſeſſæ Rupellæ auxilio venére Angli,
Vidére obſeſſos fratres, non adiuuére,
Obſeſſi Caſalis auxilio venére Franci,
Obſeſſam vrbem liberant quam non vidére.

XXXI.

Quid ſi eam victoriam vt ſpectarent,
Noui apparuére Soles,
Vix Alpium iuga LVDOVICVS *aſcenderat,*
Cùm ecce ſex Italiam Soles illuſtrant,
Quinque Roma numerabat,
Ex Claudij Achillini libello ea de re Regi inſcripto.
Sextum adorabat Suſa,
Sed huius ſexti quinque alij Soles parelia erant:
O nouum oculis ſed maius ingeniis ſpectaculum!
Quinque Soles apparent, vt maior ſolito numerus,
Significet ſpectaculum ſupra naturam eſſe:
Romæ viſuntur, ne quis de eo prodigio dubitaret,
Quod credendum Roma proponeret,
Media die in aëre conſtitére,
Vt omnes oculos oblectarent,
Per tres horas ſubſtitére,
Vt omnes aſpectus ſatiarent.

XXXII.

Quam pertinax malum hæreſis eſt!
Auſa eſt Regi ſuo reluctari,
Cui Alpium iuga ceſſerunt:
Nec aduertit Ludouicum dum ad alta conſcendit,
Solo deſcenſu poſſe rebellem obruere:
Priuatum vrbs arte, & natura munita,

Obſidionis Regiæ laudem ambiebat:
Id aſſecuta eſt, vt vbi priuatium erat,
Nihil hodie niſi cadauer vrbis, & priuatio ſit.
Territum hoc ſupplicio Montalbanum
Vt primæ obſidionis memoriam aboleret;
Secundam expectare noluit:
Paruit vrbs ſapientiſſimis magni Cardinalis conſiliis,
Spemque omnibus fecit,
Breui ſe Romano Pontifici crediturum,
Quæ Cardinali iam credidit.
Nemauſus hoc exemplo prouocata,
Munitiones nouas ſponte deſtruxit,
Vt retineret antiquas,
Timuit arenæ ſuæ, & amphitheatro,
Ne vbi quondam feræ luſerant
Ipſa rebellionis, & perfidiæ ludus eſſet.

XXXIII.

Denique hæreſis citra omnem prætextum tunc paruit,
Cum nullas amplius arces prætendit:
Centum anni erant cum in hanc potentiam excreuerat,
Vno momento conſenuit:
Gloriabatur trecentas ſibi arces eſſe, totidem annis expugnandas,
Ludouicus totidem diebus eripuit,
Addebat poſſe ſe quinquaginta prælijs cum Rege decernere;
Vno prælio victa eſt ne toties interiret.

XXXIV.

Vix intra Galliam pax erat;
Cum Gallica arma iterum Caſalis implorat,
Obſidebat Caſale Spinola eâ rerum geſtarum gloriâ,
Vt ſola nominis fama captura vrbem crederetur;
Et certe vicerat niſi eum Ducem oppoſuiſſet Ludouicus,
Quem æqualem ſibi hoſtis ipſe laudauit.
Dum vincere Annibalem Marcellus non poteſt,
Æquali vtriuſque gloria
Caſale vtrique diuiſum eſt.
Tantique momenti vrbs vna credita eſt,
Vt in altera eius parte,
Duo Reges triumphare ſe crederent.
Induciarum ea conditio fuit, vt niſi ad dictam diem

Armatus Francorum exercitus præsto esset,
Toto Casali excideret.
Adsuere audaces, & armati Franci,
Post victam famem, & pestem, & seipsos:
Veneratus fortunam Ludouici Hispanus,
Accedentibus ad Casale Francis,
Officiosè decessit è via,
Et dum depositam vrbem restituit,
Non minus fidelem se, quam tenacem probauit.

XXXV.

Eò gloriæ Ludouicus ascenderat,
Vt quò altius euaderet, post superatas Alpes non haberet:
Ausus est tamen morbus ad illud gloriæ culmen adrepere,
Scilicet id vnum Ludouico deerat, post omnia superata,
Vt de ipsa etiam morte triumpharet.
Tentauit eum Lugduni periculosus morbus,
Penè illic vitam exuit,
Vbi eam primùm conceperat.
Vnde vigesimum voluebat ætatis annum,
Nec breuiorem vitam conquestus est,
Nec longiores annos optauit, sed æternos:
Mensis idem & dies erat quo lucem primùm aspexerat,
Eum diem eodem vultu,
Et salutauit vt primum,
Et adorauit vt postremum.
Æquales tunc dies lucebant,
Nec mirum sol in cœlesti libra erat:
Æqualis erat Ludouicus sibi ipsi,
Etiam dum Eclipsin expectabat.

XXXVI.

Iacebat intereà afflicta mœrore Aula Regia,
Et cum Rege suo tota Gallia laborabat:
Flere omnes,
Ille omnium lacrymas his verbis leniebat,
Quid fletis si eò pergo, vbi amplius mortalis non ero,
Regnum non amitto sed muto,
Nemini plus iuris in Cœlo est, quam Regibus Galliæ,
Illic lilia deesse non possunt,
Vnde olim venerunt.

XXXVII.

Sed digniora cedro exempla quam verba,
Ignoſci ſibi ab omnibus voluit,
Qui neminem offenderat:
Generales conſcientiæ rationes,
Apud Confeſſarium eâ ſeueritate poſuit,
Vt iuſtus hoc etiam nomine videri poſſit.
Chriſtum in Euchariſtia,
Aſpexit vt præſentem,
Credidit vt latentem,
Excepit vt viæ ducem,
Adorauit vt æternitatis Regem.
Creduntur hæc omnia mortem terruiſſe:
Nunquam eam grauius pœnituit,
Quam dum Ludouicum ſic armatum tentauit:
Denique rediit ad ſanitatem Ludouicus,
Reuixit cum eo Gallia,
Et mors ita territa receſſit,
Vt diu ſperetur non reditura.
Viue, & de noſtris Regi Deus augeat annos.

Proſequi reliquam vitam Authori non licuit.

LVDOVICI DECIMI QVARTI,

ADEODATI

ELOGIVM GENETHLIACVM.

DEDERVNT *primum nomen Parentes, & impetrarunt ſecundum:*
Nec tamen dediſſent primum, niſi Deus donaſſet ſecundum,
Non eſſet Ludouicus XIV. niſi eſſet Adeodatus.
Inter miracula natus eſt, inter vota conceptus erat:
Die Sancto Xauerio ſacra conceptus creditur,
Procurauerat Xauerio honores ſacros Ludouicus,
Procurauit Ludouico hæredem Xauerius.
Orauerat ſæpe Regina, & fleuerat,
Et lacrymæ fœcundæ fuêre,
Lacrymis ſuis ſeruntur Lilia.

Plini de Liliis.

Currente ſeculo natus eſt,
Vt totum cum Patre coronaret,
Menſe Decembri in lucem editus eſt,
Vt menſis idem Parentibus, & liberis natalis eſſet;
Ludouicus & Anna hoc menſe in lucem exiêre,
Hoc menſe iniêre coniugium,
Hoc menſe Parentes fuere.
Nonis S. Victorino ſacris in lucem prodiit,
Vt nomen, & dies victorias prædiceret:
Horâ de die vndecima,
Penè dum naſcitur meridiem attigerat:
Lucebat interea è Cœlo ſignum Virginis,
Et Leonis ac Libræ rigorem temperabat,
Excipiebat hos influxus Ludouicus naſcens,
Et generoſis ac iuſtis ſpiritibus clementiam admiſcebat,
Non potuit ſub Aſtris melioribus naſci,
Nullum in ortu portentum eſt,
Nullum monſtrum in vita erit.
Plus tamen debet Ludouicus Deiparæ Virgini,
Quam ſigno cœleſti:
Vix aſſumpta erat à Ludouico in Patronam Regni,
Cum Patrem fecit,
Adiuit oblatam hæreditatem, & hæredem dedit;
Idcirco inter Aſſumptam Virginem, & naſcentem editus eſt,
Vt debeat naſcenti vitam, & Aſſumptæ coronam.
Timete hoſtes Galliam, ſi timetis Mariam,
Ex quo Ludouicus Iuſtus deuouit Mariæ Galliam,
Regnum Galliæ eſt Regnum Mariæ,
Et Virgo Deipara eſt penè Regipara.

VOTVM PRO DELPHINO, VT SIT PARENTI SIMILIS.

VIVE, vale, & vince heroum puriſſime ſanguis,
Et noſtri fortuna æui: dum Te aſtra ſalutant
Progenicm venerata ſuam, dum publica vota
Cuique licent, votis vnum communibus addo;
Creſce Puer, Patremque tuis virtutibus æqua,
Nec poſſum tibi velle minus, nec fingere maius;

Cerne

Cerne Patrem, Regesque omnes spectabis in vno;
Nec tamen impletur cunctis; versetur imago
Ante oculos tibi nota tuos, ne exempla require
Mortua, præsenti viuunt in imagine Reges,
Maiores quam in se, ne quære per extera regna
Quod natale tenes, præsens apparet Achilles,
Coram Cæsar adest, viuitque domesticus Hector,
Gentiles in Patre tuo; sic splendet in vnâ
Pantarba gemmæ omnis honos, germana pyropo est,
Sed non tota rubet; credas viridem esse smaragdum;
Sed non tota viret, minor est carbunculus in se,
Maior in hac hærede sua, quæ possidet vna
Quos aliis diues gemmis partitur honores,
Sed nullas ex asse beat; sic colligit omnes
Heroas Pater, & maior superaddit honorem:
Hunc Te æquare decet, sic fies Gallicus Hector;
Sic iterùm præsens in Te visetur Achilles,
Sed tantùm pars vna tui.
Et licet in Patris vultu spirantia viuant:
Virtutis simulacra omnis; tamen eminet inter
Tot formas pietatis honos, amor æmulus æqui,
Et virtus immota malis: sic nobilis Iris
Quamuis tota micet, nec opaca obnubilet vmbra,
Et nubes sit tota color; tamen anteit omnes
Cæruleus, viridisque decor, flauique venustas,
Et triplex sit in arcu arcus; sic Patris in ore
Emicat omnis honos, tamen hæc tria lumina vincunt;
Iris in ore triplex: talem Te publica vota
Exoptant; cresce ergo Puer, virtutibus auctus,
Et patriis assuesce bonis non paruulus hæres;
Maturè propera, veloxque attinge Parentem
Vt possis Pater esse diu.
Non satis optaui, regalia crescite vota
Vt crescat per vota Puer, similem esse Parenti
Vouimus id magnum est, sed nunc maiora vouemus,
Vt maior sis Patre tuo; nec deprimo Patrem
Dum Natum attollo, non est ignobile vinci
Palmam à te dum victor habet, victoria nati
Vincentis sit palma Patris, communis vtrique
Crescit honos, gaudet vinci quia vincere fecit:
Ac velut in vacuo sol pulchra parelia format

Luce suâ pictor, credas solem esse gemellum,
Et dubium est, sitne ille Pater: spectatur imago,
Nesciturque Author: duplex apparet & idem est:
Si tamen Authorem pretiosa excedat imago
Nulla Patri fraus est, superari in imagine gaudet
Cui superare dedit, vincit quia vincit imago.
Tu quoque cresce Puer, nec magnum æquare Parentem
Aut superare time: cresce, & crescetis vterque,
Ille tuæ laudis consors, Tu sanguinis hæres.

EDVCATIO REGIA
LVDOVICI DECIMI QVARTI,
AD EMINENTISSIMVM ECCLESIÆ PRINCIPEM CARDINALEM,
IVLIVM MAZARINVM.

MAVIS Sapientiæ Regiæ Ministeri esse, quam Magister, (CARDINALIS EMINENTISSIME) imitaris eas stellas, quæ circa Solem de nouo deprehensæ appellantur comites Solis, & ministræ; eæ lucem Solis è propinquo hauriunt, non tam sibi, quam orbi; propterea subtiles sunt vt radios Solis excipiant, fideles ne retineant, pellucidæ vt transmittant; ipsæ ministerio suo contentæ videri nolunt, vt per eas Sol videatur; sed dum non videntur sepatatæ, videntur coniunctæ; felices dum se cum suo Sole confundunt.

Nemo aptior est instituendo Regi quam Tu qui antiquæ. Sapientiæ discipulus, Magistet es nouæ; inuenisti nouam attem Sapiendi quam ipsa sapientia nesciebat; hactenus alitet sapiebant Itali, aliter Hispani, & Germani, conflasti ex plutibus sapientiis vnam, & fecisti Gallicam; miratur Italia sciri se à Gallâ, neque à se Galliam sciti; miratur Germania Gallos sapere Germanicè, nec tamen Germanos Gallicè; facit hoc ministetium tuum: Magister es Eutopæ, dum es Ministet Galliæ.

O si Ideam Sapientiæ tuæ dictare velles Mazatine, quæ mysteria orbi detegeres! Da veniam si describo Ideam sapientiæ non satis similem tuæ, nemo Ideam Solis æqualem pinxit, nisi Sol ipse dum parelia facit; patitur tamen Sol alias imagines sui, & se libentet intuetur etiam dissimilem sibi: Agnoscet forte in hac Idea mea vmbtam aliquam tuæ, amat

Sol vmbras quas facit; felicem me putabo, si dum sol ingeniorum es, sim vmbra aliqua Tui.

EDVCATIO REGIA
LVDOVICI DECIMI QVARTI,
CHRISTIANA, ET POLITICA.
PARS PRIMA.

I.

AGIS annum septimum LVDOVICE, & excedis; metitur alios ætas, tu ætatem metiris, sequuntur te anni qui præcurrunt aliis, antecedis ætatem virtute, sapis ante annos, & qui in aliis esset annus septimus, in Te est penè decimus quartus.

II.

VIs ostendam tibi primos rationis radios quos iam vidisti? vis proponam futuram sapientiam quæ iam sapis? appello educationem Regiam Christianam, & Politicam, quia vterque esse debes Politicus, & Christianissimus; coniungo vtramque nec confundo, perfecit Deus virtutes politicas dum fecit Christianas.

III.

DEVS REX EST.

ANTE omnes Reges est Deus, qui vt nobiles subditos haberet, fecit Reges; hic nunquam incepit Rex esse, & semper Rex fuit, hic vt hæredem Regni haberet, filium Regem genuit: vterque dum Regem se diligit amorem Regem produxit; sic intra Deum tres Personæ regnant, nec tamen sunt tres Reges: hæc prima lectio tua Ludouice, quam vt intra te discas, impressit illam intra te Deus; non eges Magistro vt Deum scias, Magister tui est intra te Deus, & Te intra Te facit Magistrum tui.

IV.

QVALIS DEVS.

GERIT coronam Deus quam non accepit, nec debet alteri sceptrum suum, nec debet sibi; auctorem non habet, neque ipse est auctor sui; antiquissimus non habet originem, æternus non videt finem, infi-

nitus nihil acquirit, immutabilis nihil amittit, post omnia potest plura, scit aliquid vltra verum, amat aliquid supra bonum; vbique est sine loco, extensus sine spatio, præsens omnibus sine situ, mouens omnia sine motu: Deus est id quo nihil est melius, Deus Rex est, nec tamen Rex est Deus.

V.

REGES A DEO.

IMPRESSIT Deus aliquid sui Regibus vt penè sint Dij; humanum est quod cernimus, diuinum quod timemus, atque hoc appellatur Maiestas Regia: latet intra Deum Diuinitas & apparet; sentitur, & nescitur; vis definire Deum Rex est; vis definire Regem est personatus Deus: amat latebras Deus sed Regias; gaudet latêre sub purpurâ, & premi sè patitur sub coronâ.

VI.

REX SVM FRANCORVM.

CÆTEROS Reges natura facit aut fortuna, Francorum Reges instituit Gratia: propterea è cœlo Ampulla, & labarum venére donatiua gratiæ. Quales decet esse Reges Francorum quibus è cœlo pluunt tot munera!

Huic oleo mitiùs collum suppone Sicamber,
Non aliis similis Regibus vnda pluit.

Hæc olim Ludouico primo dixit Rhemigius, & prædixit decimo quarto.

VII.

SVCCEDO REGIBVS.

AVDIO quid intra te dicas LVDOVICE, & si permittis explico: succedo Regibus sapientissimis, magna mihi imposita est necessitas sapiendi; hæres sum sanctissimorum Regum, virtus in aliis libera, in me est necessaria; Caroli, Philippi, Henrici, Ludouici Maiores mei sunt, & maiorem me volunt; idcircò dederunt vnde vincerem vt vinci possent: nec tamen hæc mea ambitio est victorem esse, satis mihi est non esse degenerem; nec degener ero, si similis sim, vel æqualis: & dum maior esse non possum, si non sim minor.

VIII.

SVCCEDO LVDOVICO.

NEPOS sum Ludouici Sancti, & filius Iusti, appellare potui vtrumque Sanctum, & vtrumque Iustum, sola ætas vtrumque distinguit non vita; vtrumque imitari volo, & si Sanctus esse non possum, ero iustus.

IX.

REGINA.

MATREM habeo ei similem quæ Ludouicum Sanctum peperit, & me formar æqualem; nihil docuit BLANCHA quod ANNA non suggerat; & quod illa donauit, hæc restituit; plus aliquid tamen Matri debeo quam cæteri Reges: alij sanguinem debent, ego etiam lacrymas; viginti annorum lacrymis parturiuit me Mater, & votis peperit: liliorum hoc priuilegium est posse nasci è lacrymis.

X.

PATRVVS.

PATREM mihi maturè mors abstulit, & reliquit; supplet Patrem fidelis Patruus, atque vt appareat amor & fides, partem aliquam honoris recusauit, & nullam oneris; Reginam ex lege Gallica Regentem esse voluit; ipse Regis gratiâ contentus Patrem mauult supplêre quam Regem.

XI.

CONSANGVINEVS.

PARTEM alteram consilij ille facit, qui solus consilium implere posset; ille præterita nouit, & penè futura aspicit; ille obsequiis meis impendit seipsum & filium, vterque Aquilæ, & Leoni similis, nec Leonem amat, nec Aquilam, vt me amet.

XII.

MAZARINVS.

CONSILIARIAM habeo in MAZARINO Ecclesiam, & Europam; scit ille quid aperiant Claues Romanæ, & quid claudant, scit Europæ mysteria, scit Aquilam, scit Leonem, scit Apes, scit arma, scit Pacem, scit Reges & Principes; atque idem omnium Regum Magister esse posset, nisi vnius Minister esse mallet.

PARS SECVNDA.

I.

DELIBERANTIS naturæ Idea prima fuisse creditur de formando Rege, minorem se credidit, nisi Regem pareret, & post partum

minorem se inuênit, dum maiorem peperit; Deus ipse nihil intuetur Rege maius; intra se videt se Regem, extra se in Rege se videt, sed maiorem.

II.

QVALIS ERGA DEVM REX ESSE DEBET.

AVDI qualem te velit Deus LVDOVICE, vult te esse similem sibi, non æqualem; credidit tibi Regis vices, non Dei; nec æternum ius Regni concessit, sed breuem vsum; cœpisti Rex esse, & esse desines; succedet tibi sceptrum tuum, non tu illi; Agnosce Te minorem Deo, delere potest omnes purpuras, qui omnes tinxit, & qui ex cinere fecit Reges, potest ex Regibus cinerem facere.

III.

QVALIS ERGA REGNVM.

SIC administra Regnum vt Deus mundum, inde petas oportet exempla regnandi, vnde est authoritas Regni; credant subditi latêre intra te Deum & appatêre, credant imperare dum loqueris, misereri dum parcis, irasci dum punis; magna tibi imposita est necessitas sapiendi, sapere debes vt Deus; regat te hæc Idea: dum alios regis, sic ageret Deus; excitet Te mane hæc cogitatio, hodie gerenda mihi est persona Dei; claudat diem hoc examen, Deusne hodie an homo fui?

IV.

QVALIS ERGA MATREM.

TALIS esto erga Matrem, qualis est erga Te Mater; peperit Te illa semel, & semper parturit; formauit Te intra se hominem, extra se Regem; & Tu vitam illi debes vnam & alteram. Non satis dixi, habes in fœmina virtutes virorum, habes in Regina exempla Regum; & quamdiu illa reget habenas Regni, nec Tu carebis Patre, nec Gallia Rege.

V.

QVALIS ERGA SANGVINEM REGIVM.

HIc purpurarum fluuius est, nulla ferè trabea est quam hic sanguis non tinxerit; probant omnes ferè coronæ antiquitatem suam ab hac origine, splendorem ab hoc colore. Reuerêre hunc Sanguinem LVDOVICE, quem hauris à centum Regibus, & quem centum Reges haurire debent; pretiosum puta quidquid consanguineum est; omnis sanguis Regius concolor est, & fluit ab eodem fonte: regnare poterat secundus sanguis & tertius si fuisset primus.

VI.

QVALIS ERGA NOBILITATEM.

HÆc est Gallici Regis gloria plures numerare nobiles, quam multi alij indigenas milites: Hi ad arma nati, aut alieno sanguine rubêre amant aut suo; nulla fere est mundi plaga vbi nõn vicerint; Gallicus esset pridem orbis terrarum si hæc nobilitas semper pro Rege viciſſet; Augenda est honoribus LVDOVICE, hæc nobilitas ad honores nata; quærendus illi hostis foris, ne inueniat domi: præcar illa Tibi semper, aut sequatur te; potes cum illa recuperare vtrumque imperium, quod olim fuit tuum.

VII.

QVALIS ERGA MINISTROS REGIOS.

MINISTROS Regios eligi rales oportet, non rales nasci; meliores efficiet sapientia quam natura; Elige in illis virturem, falli non potes si virtus seruiat; adde ingenium virtuti, satis illa non sapit si est sola: At Tu, Rex maxime, effice eos magnos ne velint crescere; nemo sit à quo sperent maiora, & quem velint maiorem Te: sciant se amari ne inuiti seruiant, sciant se videri ne fallant; dignus es cui purpura seruiat, etiam sacra; nulla est Eminentia quæ non sit Te minor.

VIII.

QVALIS ERGA POPVLVM.

FRANCI sunt quibus imperas, amant libertatem quam donarunt orbi; id vnum nunquam didicêre, iugum pati; sint primi inter populos dum Te faciunt primum; participent victoriis tuis, dum pro Te vincunt; ne sint miseri sub Te beato; crescant dum augent Te, & dum extendunt limites publicos, ne amittant suos.

IX.

QVALIS ERGA ECCLESIAM.

VT Christianissimus esses quæsiuit Ecclesia oleum è Cœlo, quo Te vngeret; collegit inter Astra flores quibus Te coronaret; donauit labarum sub quo Deus ipse pugnaret: addidit strumarum miraculum vt maior naturâ Rex esses: Nemo Ecclesiæ debet plura quam Tu, fac vt nemini plus debeat Roma quam Tibi: habeat apud Te ius Asyli, inueniat intra Galliam alteram Romam; nec se exulem putet dum Tu illi Patronus, & Gallia Patria est.

X.

QVALIS ERGA EVROPAM.

MAIORES tui donarunt coronas, quas alij ambiunt; maluerunt populos habere fœderatos quam subditos; diuiserunt regna quæ confundere poterant, & cum facere vnam domum ex Europa possent, maluerunt ex vna domo facere Eutopam; propterea tuum est tueri coronas quas dedisti, & tuum est seruare Regnorum limites quos olim fixisti: sciat se esse hostem Galliæ quisquis est hostis Europæ; tunc facti sunt Maiotes tui Christiani orbis Patroni, cum noluerunt esse Domini.

XI.

QVALIS IN BELLO.

NVLLVM Bellum honestum puta nisi sit necessarium; nemo Te hostem sentiat nisi nocens, & semper armet Te iustitia priùs quàm vindicta: si bellum gerendum est, administret illud virtus non scelus: nolo Te victorem esse cum crimine: finiat victorias tuas hostis victus, cessa vlcisci post vindictam; nouum victoriæ genus est scire parcere: meretur veniam superatus hostis cum illam petit.

XII.

QVALIS IN PACE.

AMA Pacem intra Galliam; nullum bellum periculosius est quam ciuile: inuictus erit Francus quamdiu non vincetur à se: Ama pacem Europæ cuius es arbiter; nulli vult seruire nisi Tibi; nec Tu eam vis seruire, quam fecisti libertam: nec tamen otiosam pacem volo; necessarius est hostis Franco, ne fiat hostis suus: nec deerunt hostes dum non deerunt scelerati, quisquis est hostis publicus potest esse tuus.

TERTIA PARS.

MORES REGII.

MORES Regij debent esse virtutes, cæteris hominibus singulæ ferè sufficiunt; pauciores Rex habet, nisi habeat omnes; implête non potest coronam vna virtus, nec regere sceptrum natura si est sola: nulli tamen virtus æque necessaria est ac Regibus Galliæ, facit eos Reges Dei Gratia; at hæc Regina est, & Gratiæ Aulicæ sunt virtutes.

FIDES

I.

FIDES REGIA.

FECIT Deus nobiles fidei teſtes dum fecit Reges ; occultat ſe aliis Deus, Regibus ſe reuelat, ſentiunt intra ſe Deum quem alij credunt, & fides in aliis cæca, in Regibus Galliæ penè eſt oculata; nemo tamen melior fidei teſtis eſt quam Reges Galliæ: credunt alij miraculis, Reges Galliæ miracula faciunt; propterea fides in aliis libera, in Francis penè eſt neceſſaria.

II.

SPES REGIA.

CADVCA eſſet Regum conditio, ſi ſemel tantùm Reges eſſent: ſpectare debent alteram coronam poſt vnam; & poſtquam deſierint eſſe homines, adhuc erunt Reges: Nemo ſperare plura poteſt in cœlo quam Reges Galliæ, & nemo iuris plus habet; venit illis è cœlo Auriflamma vna, & manſit altera; florent etiam nunc lilia inter Aſtra: macte animo, LVDOVICE, poſt regnum liliorum potes eſſe Rex ſyderum.

III.

CHARITAS REGIA.

AMAT Deus Reges, & amari vult à Regibus, Deus vt nobiles amatores haberet creauit Reges, & ſolus amore Regum dignus eſt Deus: nemo tamen plus amatur aut amat quam Reges Galliæ; amarunt Deum Regum primi, & amabunt vltimi; coronabit mundi vitam amor gallicus, atque eadem erit corona vltima quæ fuit prima; Amauit te Deus LVDOVICE antequam eſſes, idcirco venisti in lucem tardante naturâ, vt donum eſſes gratiæ; at gratia idcirco datur, vt amèris & ames.

IV.

PIETAS REGIA.

ALLOQVVNTVR ſe duo Reges, cum Deus oratur, & Rex orat, placet Deo ſupplex purpura, & facile cœlum audit preces coronatas: nulli tamen pietas promptior eſſe debet quam Regibus Galliæ; in iis ante virtutem ipſa ferè natura eſt pia: Inter tot Reges pauci minus boni; nulli fuêre impij: Pepererunt Te vota LVDOVICE, vt parerent pium; lacrymarum & precum filius, potes à lacrymis appellari Pius.

V.

PRVDENTIA REGIA.

VIDERI debent à Regibus futura, dum alij vident præsentia: Atque hæc est prudentia Regia, studêre futuris dum alij student præteritis; anteuertere euentus rerum, præoccupare res agendas, occurrere malis venturis, supplantare hostes futuros, pugnare ante pugnam, & ante quam vincas reportare victoriam: hæc debet esse prudentia tua LVDOVICE, anteuerte annos venturos, age antequam agas, absolue antequam incipias, & quidquid olim extra te futurum est, iam intra te fiat.

VI.

FORTITVDO REGIA.

PRIVILEGIVM Regum est nasci fortes; licet omnis sanguis concolor sit, non omnis tamen est æqualis; natat intra venas sanguis Regius, & plenus spirituum statim vt viuit iam Regem se probat: Nec vllus tamen sanguis generosior est quam Gallicus, nec vllus animosior quam tuus LVDOVICE; teneri non potuit statim vt lucem sensit; ebulliit intra venas, atque vt pugnaret exitum petiit; secanda fuit vena Infanti, rorauit purpureo sanguine quæ vix in aliis maduisset lacte; quid facies post virum Ludouice, qui fortis eras ante puerum, teneri non poteris intra Europam, qui vix tenêris intra Galliam.

VII.

IVSTITIA REGIA.

HÆc virtus intra Deum tribunal habet, iudex est Orbis Deus, atque idem thronus Regi seruit, & iudici; hæc prima origo Iustitiæ; inde descendit ad Reges, quos Deus sedêre nollet in throno nisi vellet esse judices. Nulli tamen charior esse debet Iustitia quam Tibi, LVDOVICE, idcirco Patre iusto natus es, vt nascereris iustus; propterea seruasti nomen Ludouici, vt retineres titulum Iusti.

VIII.

TEMPERANTIA REGIA.

PVLCHRVM est imperantem aliis, Regem esse sui; facit hoc Temperantia dum imperat libidini, & Regem regnare facit meliore parte sui: Quis eum Regem appellet qui seruit iræ, & amori; turpe est extra se dominum esse, & intra se seruum; id conare LVDOVICE, vt maior aliis non sis Te minor, nihil intra te seruiat nisi pars inferior; sceptrum gerat prius animus quam manus; corona priùs rationem quam frontem;

atque imperaturus aliis, esto prius imperator Tui.

IX.

HVMILITAS REGIA.

DIGNVM Cœlo spectaculum Rex humilis sub purpurâ, & modestus sub corona; vulgare est sub sacco, & cilicio superbe non sapere; illud difficile, & heroïcum est sedere in throno, & humilem esse: Quam grata sit Deo hæc virtus ex eo collige, fecit se hominem Deus vt faceret humilem, & flete didicit, vt Deum celaret: Disce à Deo hanc virtutem, LVDOVICE, magnum te vult Deus, & humilem; nouum magnitudinis genus est, vnde decteseis, inde magnum esse.

X.

CLEMENTIA REGIA.

HÆc est virtus Cœlorum tonare nec lædere, vleisci posse, & parcere, lædi injuriis hominum, & bene facere: sic agunt Planetæ & sydera, ludunt radiis, & vleiscuntur se beneficiis: altior est Planetis, & Stellis hæc virtus, non alia est natura Dei quam Clementia, & benignitas; dum conderet Deus vniuersitatem rerum, partitus labores sex diebus requieuit septima die, quia inuênit cui parceret: Imitare hanc virtutem LVDOVICE, nemo est corona dignus qui nescit parcere, ille est corona dignus qui ignoscere mauult, quam punire.

XI.

LIBERALITAS REGIA.

NVLLA re propius accedunt ad Deum Reges quam liberalitate: non esset Deus nisi donare posset; neque vnquam dedit aliquid maius quam dum donauit Reges, quos idcirco facit diuites vt faciat liberales: natus es cum hac virtute LVDOVICE, dum à Deo datus es: propterea donum Dei es vt donare possis: existima hanc diem periisse tibi qua nihil dederis: volo tamen Te liberalem esse non prodigum, da præsentes diuitias non futuras, inueniant Te anni sequentes diuitem vt inueniant liberalem.

XII.

SCIENTIA REGIA.

INGENIORVM Te Regem esse oportet, non tantùm corporum; nec potes regere ingenia nisi ea noscas, nec potes ea nosse, sine scientiâ, imitari te solem volo, illustrat stellas quibus imperat, & prius est Rex radiorum quam syderum: discant Te subditi LVDOVICE, non doceant;

habeat Te Gallia Dominum & Magistrum; oculatum sit sceptrum tuum, videar quod imperat; neque apud Te Regem sit virtus ignara; experiatur Te bellum Martem, & Pax Apollinem, vterque esse debes, vt feliciter imperes.

XIII.

CONSCIENTIA REGIA.

HÆc est Magistra Regum, & Domina; hæc intra Regem thronum habet dum Rex in throno sedet: hæc Reges admonet, hæc accusat, hæc laudat: hæc alloquitur purpuras sine rubore, hæc accusat coronas, & sceptra non timet; hæc interest consiliis arcanis & publicis; hæc ostendit facienda, hæc examinat facta; hæc est quam nihil latere potest, quia quidquid latet intra illam est; reuerere conscientiam tuam LVDOVICE, vt illa vereatur Te; neque illam celare aliquid potes; neque illa celabit Te: innocens es si illa non accusat, iustus es, si illa Te laudat.

DEVISES ROYALES, AV SACRE DV ROY LOVYS XIV.

I.

Vne massuë d'Hercule.

Et belli, & tessera pacis.

ECPHRASIS POETICA.

MVRMVR *erat Superos inter quis traderet arma*
Alcidi, vt monstris terras purgaret, & orbem,
Suppleretque Deos terris: ipse, inquit Apollo
Arma dabo, splendentem arcum, celeresque sagittas,
Et pharetram fato grauidam, tela ille vibrabit,
Ipse oculos dextramque regam: Mars obtulit ensem,
Et clypeum, fugiuntur ait, fugiuntque sagittæ,
Hunc ensem mors nulla fugit; mea, Iuppiter inquit
Progenies armanda mihi est; placet igne trisulco
Hæredes armare manus, dumque ipse tonabo
Astra super, sub me ille tonet, Patremque Deosque
Exhibeat terris, & tutum præstet Olympum,
Securosque Deos.
O Pater, ô Diui meliorem sumite mentem
Pallas ait, noui Alcidem, Alcidisque furorem,
Si Martis gladium, si tractet Apollinis arcum,

Si patrium fulmen, poſtquam purgauerit orbem,
Poſt domitos terrarum hoſtes, tentabit Olympum,
Et ſuperis fiet peior Titanibus hoſtis:
Arma tamen ſunt danda homini, ſed noxia monſtris,
Non Superis: nodoſa mihi famulatur Oliua,
Ex illa Clauam effingam, quæ commoda belli,
Et Pacis ſtudiis vtriuſque inſpiret amorem,
Et Superis ſit ſacra Diis.
Aſſenſere Dij, mox grandi Pallas oliua,
In Clauam verſâ Alcidem donauit inermem,
Dum vino madidus frondente ſub Arbore ſtertit,
Pigmæoſque inter ſomnum vincire volentes
Exterret flatu, & ſolo debellat odore:
Euigilans ille, & plenam denſa arbore dextram
Miratus, ſenſit bellique & Pacis amorem,
Agnoſcenſque Deam ex oleâ, dedit oſcula Clauæ,
Iurauitque fidem Superis.
Denique purgauit monſtris horrentibus orbem,
Reſtituit pacem terris, Cœloque pepercit,
Et Numen poſt fata fuit.
Quam dedit Alcidi mendacem fabula Clauam,
Hanc Tibi veracem Clauam tua Gallia tradit,
Hanc Lodoïce geres, erit hæc quoque cognita monſtris,
ET BELLI *vindex*, ET *ſacræ* TESSERA PACIS,
Alcides Tu verus eris.

II.

Vn Soleil formant des Parelies.

Quos pinxit delere poteſt.

EPIGRAMMA.

QVOS PINXIT DELERE POTEST, *hæc Regia laus eſt,*
Poſſe ſibi ſimiles pingere, nolle pares.

III.

Vn Soleil couronné d'vn Alo.

Me nubila victa coronant.

EPIGRAMMA.

INſidiata mihi ME NVBILA VICTA CORONANT,
Hoſtis erat qui nunc eſt diadema vapor.

TROIS DEVISES
SVR LA MALADIE DV ROY
LOVYS XIV.

I.

Vn Lys mourant ſur ſon oignon.
Impediunt nec Regna mori.

EPIGRAMMA.

SVppoſitum calcat moriens flos Regius orbem,
Nec florem IMPEDIVNT *ſubdita* REGNA MORI.
Nec Te orbis, nec Te ſceptrum Lodoïce iuuabit,
Ipſe etiam morti ſubditus orbis erit.

II.

L'œillet de Virgile languiſſant.
Nec iam Mater alit tellus.

EPIGRAMMA.

QValem Virgineo demeſſum pollice florem,
Seu mollis violæ, ſeu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit,
NEC IAM MATER ALIT TELLVS, *vireſque miniſtrat*
Talis eras LODOICE, *tua hæc languentis imago.*

III.

Vne Eſtoile qui ſemble tomber.
Fruſtra caſura timetur.

EPIGRAMMA.

FIxa eſt, & FRVSTRA *cœlo* CASVRA TIMETVR,
Stat globus, & firmo eſt inſita ſtella globo.
Tu quoque caſurus fruſtra LODOICE *timeris,*
Fixus es, & fato eſt Gallia fixa tuo.

LVDOVICI DECIMI QVARTI,
PERICVLOSE ÆGROTANTIS,
PARÆNESIS AD FRATREM.

AVDI *Borbonides frater verba vltima fratris,*
Quo mea sit fortuna loco, quò vita redacta,
Quid fuerit Regem esse vides; nec me arma tuentur,
Nec victor miles; mors tela irridet, & arma,
Et telis, armisque caret; datur vltima vitæ
Linea, quam nulli fas est excedere Regi;
Et Regum limes punctum est.
Hæc est meta mei, repetit Deus ille coronam
Qui dedit, hanc reddo & vitam; super altera vita est,
Et melior; nec sceptra illic, nec lilia desunt,
Illa olim venêre polo.
At Tu Borbonides frater succede coronæ,
Mortali tamen, hanc centum gessêre Parentes,
Et centum amisere Patres; stat nobile Regnum,
Et pereunt Regni hæredes, & Tu quoque frater
Cessabis quondam Rex esse, Tuique corona
Non tu hæres illius eris; Tibi commodat illam,
Non illam donat propriam Rex publicus orbis,
Francorumque Deus proprius: Te Gratia Regem,
Ee Regem facit ipse Deus.
Supple igitur regnando Deum, fac Gallia credat
Intra hominem latitare Deum; sic sceptra tenêret,
Sic ageret Rex ipse Deus: dum præmia justis,
Dum pœnas statuis sceleri, timeatur, ameturque
In Te vltor, iustusque Deus.
Audi iterum qualem poscat Te Gallia Regem,
Pro-Regem vult esse Dei, similemque Tonanti,
Non tamen æqualem; Regem me Gratia fecit,
Nec potuit feciſſe Deum. Tu te ergo minorem
Crede Deo; conflare potest ex puluere Reges,
Et cinerem me penè vides.
Dixerat, & Cœlo placuit reuerentia Regis,
Paulatim vires membris rediere, colorque,
Et Rex vicinus cineri sua funera vicit,

Territa mors fugit iuuenem, nec sera redibit
Ad Regem nisi forte Senem.

LVDOVICO DECIMO QVARTO,
OB REDDITAM SANITATEM,
SOTERIA.

LABORAVIT tecum vniuersa Gallia, LVDOVICE, & tecum vniuersa conualuit; sensérunt æstus tuos omnes populi, publicus fuit morbus tuus, & maculis febris tuæ omnis Aula purpurata fuit.

Quanti esset priuatus omnium amor probauit amor publicus; nemo est qui vitam suam non vouerit vt seruaret tuam; perire voluit omnis senectus ne perires; obtulit omnis iuuentus annos suos vt augeret tuos; neque irritæ preces fuere; timuit mors vota tam publica, & pepercit vitæ tuæ, ne in vna vita omnes vitas extingueret.

Quis explicet affectus Reginæ Matris ægrotante Te, dedit illa lacrymas nec steriles; dicuntur lacrymis suis seri lilia, fleuit illa vt te conciperet, iterum fleuit vt seruaret Te; & Tu bis lacrymarum filius, bis illa Regina, & iterum Mater est.

Probauit fidem & sapientiam suam in hoc rerum cardine Minister Eminentissimus; stetit immotus, etiam oppressus doloribus, sic egit auspiciis tuis quasi Tu ageres, diuinauit quid imperares dum siles, quid loquereris dum taces, quid velles si velle posses: auxit victorias ruas dum Tu penè vineereris à Te: prouidit securitati Regiæ & publicæ, fecit ne timerentur pericula Te perielitante; nec timuit præsentem fortunam, nec futuram, fidelis Regno futurus, etiam post Regis cineres.

Quis credat amauit Te hostis ipse, etiam dum vincitur à Te, indoluit ægritudini tuæ, & precatus salutem officiosis verbis, optauit vt viueres, & penè vt victor esses: scilicet adeo est amabilis virtus vt placeat hosti, etiam in hoste: Tu quoque amas virtutem in hostibus, neque vnquam intulisti bellum vittuti sed necessitati.

At Tu interea LVDOVICE, quo vultu aspexisti mortem penè præsentem? non excusasti iuuenem, & victorem & Regem: Agnouisti Te mortalem, maiorem aliis dum viuis, & æqualem dum moreris; dixisti sperare Te æternitatem non timêre: supereſſe illic Regibus Galliæ alterum Regnum, nec deesse in Cœlis lilia vnde olim venerunt; addidisti alia, & qualia sentire solent animæ è corporibus egressuræ; & visus es non tam loqui verba quam æternitatis oracula.

Nec

Nec longe aberas ab æternitate, quam vt inires purus purgasti animum à peccatis sine quibus non viuitur; sic expiatus impleuisti Te Deo hospes Dei; amasti breui videndum, & penè vidisti: mirata mors hoc spectaculum, & territa fugit; non reditura ad Te nisi senem, quem iuuenem experta est immortalem.

Grande adiuisti periculum LVDOVICE, & prope fuit vt careremus Te; maturus eras æternitati, & volebat Te illa subtrahere tempori; magna æternitatis inuidia est perfecta virtus, & quidquid peruênit ad summum festinat ad exitum: Annosum Te æternitas credidit dum merita vidit, & injuria erat reddere Te tempori, nisi esset erga nos beneficentia.

Restitutus ergo es LVDOVICE, non tam tibi quam nobis: Quantùm amant Galliam Superi qui maturo ad cœlum LVDOVICO, carêre voluerunt, vt eum Galliæ iterum commodarent! Quantùm amat Galliam LVDOVICVS, qui cùm æternitatis metas attingeret, adhuc mortalis esse voluit vt Galliam redderet immortalem!

Nolo dicere quo euasuræ res erant si obiisses, malo dicere quo euadent Te bene valente, incipit nouos Triumphos sperare Gallia dum Te videt de morte triumphantem; nec Tu ob aliam causam vinci adhuc à morte noluisti nisi vt victorias de hostibus nostris absolueres; eos triumphos restituta tibi sanitas persuadet, quam superi non reddidissent, nisi diuturnam esse vellent: nec diuturnam esse vellent, nisi Galliæ, & Europæ glorioſam esse decernerent.

VOTVM
PRO DELPHINO FVTVRO.

O Hymenæe, ô hymen, non qualem fabula finxit
Gentilem mentita Deum; sed quale Redemptis
Proponit populis Ecclesia Sacramentum,
Nexum hominis, nexumque Dei; sub coniuge Verbo,
Mortalesque inter sponsos durabile vinclum:
Et nulli violandum homini: Te prouoco votis
O hymenæe sacris! ades & connubia necte
Exoptata diu; pacemque & bella marita
Coniugio sponsorum vno, plaudentia ducunt
Astra choros, & quos sociali fœdere iunges
Sunt stellæ, soleſque duo: nec sola vouemus
Gaudia, DELPHINVS votum est, & tessera voti:

Hunc ſacris concede thoris, & pignore magno
Tereſiam Matrem, & Lodoïcum effice Patrem,
Et Reges centum Proauos; ſit imago Parentum
Filius, & ſimilis ſimilem demonſtret vtrumque,
Et veteres demonſtret Auos; ſpectentur in vno
Permixti heroës, Galluſque, & ſanguis Iberus
Heroëm generent, animos ex Matre trahentem,
Atque animos ex Patre ſuo; ſit liliger hæres
Qualem BLANCHA *dedit* SANCTVM, *qualem edidit* ANNA,
Æqualem det vterque Parens; hæc gloria Patrum eſt:
Hæredes genuiſſe pares; ſit maior imago,
Hæc quoque laus Patrum eſt hæredibus eſſe minores,
Maioreſque aliis: gaudent ab imagine vinci,
Et vincunt in Prole Patres.
Dixeram, & oppreſſis irrepſit ſomnus ocellis,
Et ſomnos induxit hymen; tùm illuſtria ſpectra
Viſa mihi; ſtabant centum gemino ordine Reges,
Liligeræ gentis Reges, & gentis Iberæ,
Ollis diſſimiles vultus, diuerſaque forma,
Maieſtas ſimilis; vidi Regalia ſceptra,
Et timui penè eſſe Deos: at tu optime vates
Ne timeas ſubriſit hymen, commercia Pacis
Inter ſe Reges agitant, olim hoſtibus hoſtes
Nunc poſitis odiis vno certamine certant
Eſſe pares; maiora animis ego ſuggero vota
Eſſe vnos, atque eſſe duos; ſi ſanguis Iberus,
Et Gallus ſocij iungantur fœdere lecti,
Et magno coëant diuortia Sacramento.
Audi tractantes connubia Regia Reges,
Infantis, Regiſque ſacri: dum fœdera firmant,
Intereà Regum vultus, animoſque latentes
Inſpiciam, & varios Pictor miſcebo colores,
Vmbraſque & radios, & pulchra in imagine pingam
Incluſos centum heroës heroë ſub vno.
Hic DELPHINVS *erit, manibus da lilia plenis,*
Dixit, & excuſſis ſomnum deterſit ocellis,
Euigilo admirans, & vota, & ſomnia narro;
Et vates ventura ſciunt.

HOROSCOPVS DELPHINI, EX PARENTVM ASPECTV.

NOn ego vos ſtellæ, non vos interrogo Parcæ
Delphini ſors qualis erit, vos fabula vatum,
Non Regum fortuna eſtis; ſibi ſydera Reges,
Et Reges ſunt Parca ſibi; tamen aſtra tueri
Si placet, Auguſtum eſt Mater THERESIA ſydus,
Tuque Aſtrum LODOICE Pater, vos nobile fatum,
Vos Pueri fortuna eſtis; Delphinus vtrumque
Ore, oculis, & fronte refert; Thereſia tota,
Totuſque eſt in prole Pater, ne Gallia quære
Delphini ſors qualis erit, Matremque, Patremque
Aſpice, talis erit qualem miraris vtrumque.
At qualis quantuſque Pater! ſpectantur in vno
Quæcunque heroës olim fecére beatos,
Et quæ olim fecére Deos; olli ardua forma,
Maieſtas capitis, radiorum innata corona,
Et toto Rex ore patet: decepta videtur
Natura humanos homini dum fingeret artus,
Et pinxit ſub Rege Deum. Quid corporis hoſpes
Humanis oculis ſi mens diuina patéret?
Quos animis, oculiſque ſui generaret amores?
Inuitum traherent ad ſe Regna omnia Regem,
Et poſſet ſatis eſſe vnus.
Coniugis eſt narrare tuas Thereſia dotes,
Illi tota places, vobiſque placetis vterque;
Tu tamen affectuſque tuos, animique vigorem
Totum impreſſiſti Delphino, & Regia proles
Reginam, Regemque refert; hæc Matris imago eſt,
Illa tamen plus Patris habet.
Parue & Magne Puer permitte vt ſtamina vitæ
Aſpiciam, non quæ fatales nére ſorores,
Finguntur mendace colu, ſed quæ auſpice dextrâ
Et voluente Deo, magni neuére Parentes;
O quales video ſortes! & qualia fata!
Longæuum aſpicies olim Regnare Parentem.
Exempliſque Puer diſces regnare paternis,
Et regnare voles; ne deſint patria regna

Antiquas repetes patrias, fuit orbis eous
Gallicus, & per te quondam vult Gallicus esse:
Iam captiua diu implorat Te Turcica luna,
Et solem vult esse suum, iam regia Memphis
Et Tyrus, & Solyma expectant; & Persicus ignis
Vult radiis lucere tuis, iam cerno cohortes
Liligeras, partim terris, totoque volare
Oceano, sed cerno alias Cœlo ire cohortes,
Liligerumque Ducem, toto patet ore beatus,
Et nonum se prodit Auum: quæ verba loquatur
Non licet ore loqui, at vultu dextrâque loquaci
Ostendit terris palmas, Cœloque coronas.
Macte ergo generose Puer, tecum omnia pugnant,
Et coniuratis Cœlum Tibi militat armis.
Nec frustra natiua dies, & festa Beatis
Est natiua Tibi; nec inani nasceris horâ,
Ascendente die medij fastigia Cœli,
Et Sole incumbente tibi; Solemque decebat
Nascentis testem esse tui, Solemque orientem
Fraternis radiis & toto lumine vultus,
Et pleno illustrare die.
Cresce Puer Patri consors, Horoscopus ille
Sit sydus, fatumque tuum; sunt fabula Parcæ,
Et Parca est, & stella Pater.

MOMMEDII CAPTI, PROSOPOPEIA.

MOMMEDII *moles, & inexpugnabile Castrum*
Ecce ruo, exemploque meo, illustrique ruinâ,
Inuictum nihil esse probo: mihi fundamentum
Immanis rupes, & præceps vndique saxum
Vallum erat, & murus; rupem natura crearat,
Et castrum de rupe sui: sed maior ab arte
Fama mihi, victrix naturæ industria castrum
Adiecit castro, & primis noua mœnia muris,
Et circum turres, & propugnacula septem,
Lunasque, & lunæ bis sex fragmenta, nouumque
Imposuit montem monti; vix vlla per orbem
Arx erat exæquanda mihi: sectura sedebam

Intra arces Regina meas, grandique tributo,
Vicinos late populos, vrbesque premebam:
Et Reges olim, & Cæsar mihi præda fuére:
Nec bene ab euentu maledicti nomina montis
Inuidia imposuit, victrix à Cæsare victo,
Et felix dici merui: sed grandia liuor
Non minuit dum dente terit, iuuat vmbra colores,
Et prosunt maledicta mihi.
Talis eram cum me audaces einxére phalanges,
Principio risi Gallos, & Gallica castra:
Tunc capiar dixi cum gens armata volucrum,
Ascendet per inane volans, nec inania dixi
Nam pennas & Gallus habet, vidi impete facto
Ire leues Gallos per pendula, & ardua montis,
Cautesque, & rupes, & præcipitantia saxa:
Scilicet obstupui, & cæpi noua bella timére:
Opposui flammas, ignes, tormenta, globosque,
Obieci teli omne genus: per tela per enses,
Per flammas fecére viam, penè esse Gigantes,
Penè videbantur Diui, nisi vulnera, morteque
Arguerent non esse Deos: post funera viui
Pugnabant tamen, aut egressæ è corpore mentes
Bellum exercebant: minus est quod Græcia finxit,
Quam quod gesserunt Franci, mendacia vatum
Inuenére fidem, fuit olim fabula Troia,
Nunc est Mommedij historia.
Nec minus audaces pellebant mœnibus hostem
Dux, mileque meus: capta est, & sæpè recepta
Pars eadem valli, & turris, lunæque bicornis:
Quod passus totidem pugnæ, vestigia montis
Singula victori, & victo certata fuére:
Pugnarunt Elementa mihi, flammæque, globique,
Saxaque: quinetiam vt toti in mea tela patérent,
Neue legi possent, Francis se terra negauit:
Post tela effossi projeci viscera montis,
Nec tamen impactis turbaui rupibus hostem,
Nec monte oppressi toto, totisque Elementis:
Per rupes, montesque, elementaque victa, volatu,
Aut saltu inuenére viam.
Denique naturam Franci vicistis, & artem,
Mommedium captum est, post insuperabile castrum
nuictum nihil esse potest: Rex maxime Regum

Ingredere in castrum quod sub te milite captum est,
Et sub Te Duce, paucorum est ea gloria Regum
Exemplo superare suo: mihi Regia laus est
Regali cecidisse manu.

DEVISE SVR LE MESME SVIET.

Des Lys naissans des fentes d'vn Roeher.

Vbique seruntur.

EPIGRAMMA.

IN mediis saxi rimis, & VBIQVE SERVNTVR,
Et saxum, & rupes est genitale solum.
Scilicet hos flores terris quondam astra pluerunt,
Et ne deficiant, semen vbique pluit.

ARAVSIO CAPTA.

ELOGIVM.

NOVVM victoriæ genus:
Obsidere oculis vrbes & capere,
Sic obsessa est Arausio, & expugnata.
Vrbs erat intra Galliam hostis Galliæ,
Receptaculum falsæ doctrinæ, & propugnaculum nouæ,
Soror Geneuæ, & altera Caluini coniux:
Audacem faciebant intra arcem vnam plures arces,
Addebant animos fœderatæ vrbes, ne vinci vellet:
Offerebant auxilia ne vinci posset,
Venit LVDOVICVS *vidit, & vicit.*
Nec dedecus est victam esse à Rege victore,
Et Pacem admisisse quam admisit orbis.
Redi Arausio ad fidem quam olim propugnasti,
Gemina synodus tua damnauit antiquos errores.
Damna nouos, & damnabis antiquos:
Fefellit te nouus Pelagius,
Falle nouum quæ damnasti antiquum.
Falsa est fides de Deo, si est noua.

STA VIATOR, ET LEGE.

Hîc vbi mons nudus fuerat, castra ardua stabant,
Arx ruit, & mons est, mons vbi nudus erat.

PROSOPOPEIA DVNKERKAE.

An loquar an ſileam de me ludentia fata,
Et ſortem Dunkerka meam? dudum alea belli,
Et dudum fortuna fui; ter capta, recepta,
Ter victrix, ter victa ſimul, ter amica, ter hoſtis;
Mutaui dominos dominis, atque hoſtibus hoſtes,
Atque inter tot fata ſteti.
Vnde tamen laus iſta mihi meruiſſe tot hoſtes,
Et Regum tot bella trium? quid denique ſperant,
Quid de me tria Regna timent? tamen vna ruinæ
Hæc eſt cauſa meæ, veteris mihi gloria famæ,
Et noua fama nocet; ſedes mihi commoda bello,
Et Paci, ſtatio externis maleſida carinis,
Et ſecura meis; fortis ſine mœnibus eſſem,
Oceanus mihi pars muri; pars altera ſtagnum,
Pars effuſa palus, hoſtilibus inuia caſtris,
Et Solis acceſſa auibus, populoque natantum.
Me tamen, & turres, & propugnacula cingunt,
Et præruptæ arces, intus defendor, & extra;
Et duplex Dunkerka vocor.
Hæc ſeges inuidiæ eſt, per me tria Regna timentur,
Et per me tria Regna timent; per me arduus olim
Albiacas victor Cæſar penetrauit in oras,
Et per me victor rediit; per me Anglia triplex
Nuper erat terror Gallis, & terror Iberis,
Et poterat metus eſſe maris: per me acer Iberus
Europæ, & mundi fines terrebat vtroſque,
Terror ego terroris eram; nunc Gallia per me
Non timet affines populos, populiſque timendam
Cauſa facit triplex, ſoror eſt Grauelina Caleti,
Et ſoror eſt Grauelina mihi: nec me illa carére,
Nec conſanguineâ poſſum ipſa carére ſorore,
Antiquis Gallus titulis inhiabat vtrique,
Nunc illam ſuperatam armis, me poſſidet emptam:
Vna ſoror, pluresque ſumus.
Nunc ergo ad veteres dominos euicta reuertor,
Et qualis quondam ſueram nunc Gallica fio:
Ne dominos olim mutem, ſua iura Britannus

Vendidit, admirans pactis consensit Iberus
Dum tacuit; Gallus nummis præsentibus emit:
Ipsa libens emor, & ne unquam me deserat emptor,
Emptorem dum vendor emo.

SERENISSIMÆ, POTENTISSIMÆQVE
PRINCIPI AC DOMINÆ

D. CHRISTINÆ,

SVECORVM, GOTHORVM,
VANDALORVM REGINÆ,
MAGNÆ PRINCIPI FINLANDIÆ, DVCISSÆ ESTHONIÆ,
DOMINÆ INGRIÆ.

ELOGIVM.

VENISTI in Regnum natale tuæ Indoli, & penè sanguini, REGINA SERENISSIMA, tanta est affinitas inter ingenium tuum, & genium Gallicum vt non magis Suecia corporis tui, quam Gallia animi Patria appellari possit.

Tria in primis Te Gallicam faciunt, putitas linguæ, elegantia ingenij, & generositas Indolis.

Ac lingua quidem Gallica in Te adeo est pura, vt puriora non sint ipsa lilia; non illam corrumpit singultus, non hiatus non halitus, pronuntias verba molli ore non gutture; & accentus omnis virgineus est, & tamen masculus; nec tantùm linguam calles, sed delicias linguæ, non mollius loquitur Aula non nobilius; didicisse linguam videris Parisiis, aut Blæsis non Stokolmij; quod admirabilius est loqueris Gallicè etiam Germanicâ linguâ, temperas austeritatem accentus suauitate Gallicâ; mirantur octo Nationes pronuntiari à Te verba quæ sciunt, & accentum quem nesciunt.

At nihil in Te magis Gallicum est quam ingenium; facile est, & subtile, amœnum & solidum, atque eæ ingenij dotes sunt Gallicæ; Gallica quoque est eruditio tua, dum amplectitur omnia: satis est pletisque ingeniis scire pauca, vt credant se scire omnia: Tu id omne nosti quod pauci sciunt, & omne quod nesciunt: scis nouem Musas & posses esse decima; scis Palladem intus erudita, & foris armata; scis Herculem, & Apollinem & vterque te nescit; de Te verum est quod de illis est fictum, ve-

races

races facis Poëtarum fabulas, & in Te figmenta sunt vera.

Illustrius est ad laudem ingenij tui quod adjicio, emendasti fabulas dum legisti; reuelasti quod tegebant, purgasti quod corruperant, eruisti mysteria ex mendaciis, & sactas literas ex profanis: ex Poëtis progressa ad Patres Græcos & Latinos hausisti veritatem ex fontibus ipsis, deprehendisti errores tuos, & tuorum, & Magistra Tui ex mala aliorum fide veram fidem collegisti.

Ingeniosa in exploranda fide, generosa fuisti in amplectenda; hæc quoque generositas Gallica est; emisti regno integro, & tribus coronis seruitutem Christi, secuta es nobilis exul veritatem fidei ex patriâ tua exulantem, quæsiuisti illam apud Cathedram Petri vnde olim in Sueciam venit; mirata est Italia nouum spectaculum, Reginam per calcata diademata ad fidem properantem, & capta toties à Gothis Roma gauisa est Gothiam venisse in Regina captiuam.

Et nunc reportas in Patriam exulem fidem, eris illic Magistra veritatis vbi olim Regina fuisti, facies illic Carolum fidelem quem fecisti Regem; credent populi Reginæ Christianæ qui crediderunt Christinæ, & Tu popularibus tuis eris tediuiua Brigitta, & noua Catharina.

Perge igitur nobilis hospes, & Augusta Regina, non amisisti Regnum sed mutasti, nec minuisti tria diademata sed auxisti; nouo titulo Regina es dum Regnum spreuisti: nemo melius coronam meretur quam qui deposuit; nemo dignior est throno Regio, quam qui ex throno sponte descendit.

Perge Regina per Galliam amicum tuæ familiæ regnum, expectat Te Reginam Regina Mater, expectat Christinam Rex Christianissimus, fecit Te Roma Christianam, facere Te Gallia potest Christianissimam.

DEVISES SVR LA REINE DE SVEDE.

I.

La Gerbe de Suede.

Terræ retinacula soluit.

EPIGRAMMA.

HÆrebat, TERRÆque *seges* RETINACVLA SOLVIT,
Nec Te Terra, triplex nec diadema tenet.

II.

Vne Nacre dépoüillée de ses Perles.

Exuuiis suus hæret honos.

EPIGRAMMA.

EXVVIIS SVVS HÆRET HONOS, *& diues, & orba est,*
Gessit, & amissum nunc quoque stemma gerit.

III.

Vn Lys dépoüillé de ſes feüilles.

Adhuc in ſtipite regnat.

EPIGRAMMA.

EXcuſſit flores, & ADHVC IN STIPITE REGNAT;
Quod ſupereſt, ſceptrum floribus eſſe poteſt.

IV.

Vn Lys ſur ſon oignon.

Subiectum poſſidet orbem.

EPIGRAMMA.

SVBIECTVM *non impoſitum flos* POSSIDET ORBEM,
Calcas Regali ſubdita ſceptra pede.

V.

L'Eſtoile Polaire attirant l'aimant.

Vis arcana trahit.

EPIGRAMMA.

VIS ARCANA TRAHIT, *tacitumque inſpirat amorem,*
Et Tu ſponte trahis proxima regna polo.

HENRICI BORBONII PRINCIPIS CONDÆI. EPITAPHIVM.

STA VIATOR VBI PRINCEPS STETIT.

Editabatur heroëm natura dum hunc Principem fecit,
Dedit ingenium regium dum dare ſceptrum non potuit;
Nobiliſſimus Principum, eruditiſſimus Regum fuit,
Europam quaſi familiam, orbem quaſi vrbem ſciuit:
Intus eruditus, foris armatus:
Palladem æquauit, & Martem,
Viciſſet omnia, ſi victorias ingenium daret non fortuna.
Expertus ſæpe vtramque fortunam,
Sub aduerſa ſapere didicit, ſub proſpera docuit;
Virtutes vt nobiles faceret, omnes principes fecit,

Hæreſeon hoſtis, nouorum dogmatum aduerſarius fuit:
Conſilij Regij primarius Adminiſter,
Si dicebat primus omnes ſententias rapiebat,
Si vltimus ſæpè omnes mutabat.
Denique principem vitam clauſit principe morte;
Accuratas vitæ rationes poſuit apud hominem judicem;
Et vitauit judicem Deum, dum præuénit:
Venienti in Euchariſtia Chriſto præmiſit principes filios,
Quaſi honorarios aulicos:
Ipſe ita Deum excepit quaſi videret, non crederet;
Et nunc quem Viator coluit, adorat poſſeſſor.
Obiit anno Ætat. 59.

ABI VIATOR, ET MORI DISCE.
Mors neque Regibus parcit, nec Principibus.

ITER GERMANICVM
ANGVYENI DVCIS.

QVIS iſte pugnandi ardor trecentis milliariis quærere hoſtem quem fetias? quæ audacia curtere vltra Galliam, vt pro Galliâ vincas? quæ celeritas opptimete hoſtem, cum centum leucis abeſſe te putat? ſic cutrunt planetæ & ſydera, ſic deuolat ex aëre fulmen, & dum adhuc in nube tonat, iam terras verberat.

Sic iuiſti, ANGVYENE, penè velocius quam ite te dixi; anteuertiſti famam, & quæ aliis præcurrere ſolet, vix potuit te ſequi: veniſti ante nuntios tui, vidit te hoſtis improuiſum & volaſſe te credidit; nec diu poſt dum pugnantem te ſenſit miratus eſt Francos, & tam leues eſſe dum premunt, & tam graues dum opprimunt.

Vix in Germaniam perueneras, & iam cum hoſte pugnas: ſcilicet hæc longi itineris quies, nouus labor; hæc recreatio pugna; hic ludus victoria; ſic detergis ſudorem viæ dum mutas in ſanguinem, ſic excutis puluerem Gallicum dum in hoſtem projicis; quid facias his militibus quos centum leucæ diſponunt ad pugnam; fabulam eſſe Germania diceret, niſi Anguyenus hiſtoriam hoſtili ſanguine obſignaſſet.

Cœperat Friburgum hoſtis gemino exercitu militum, & arborum; poſt captam vrbem vicinum collem vallauerat cæſâ ſyluâ, ne quis niſi volatu perueniret; ibi incluſerat victoriam ne tranſiret ad nos; ibi

inacceſſum ſe putabat Francis niſi deuolarent è Cœlo: Quis credat? per omnia clauſa Franci inuenêre viam, per impeditas arboribus arbores, per foſſas, per valla, per aggeres, aut ſaltu, aut volatu tranſiêre; atque introgreſſi collem ſtraucrunt obuia quæque, aut in fugam verterunr.

O nouam pugnandi rationem, & nouam vincendi artem! opprimere hoſtem anrequam ſentiat, proſternere priuſquam reſiſtar, obruere antequam ſe colligat; collegit ſe tandem pars numeroſi exercitus, redintegrauit pugnam, & tu victoriam; poſt cæſum hoſtem, & victum permiſiſti vrbem fami, & peſti, & dum ad maiora pergis, vtraque puguauit pro te, & ſuppleuit abſentem.

Multi vincere, pauci victoria vti ſciunt, ſcis vtrumque Anguyene, viciſti primam victoriam altera, & vtramque tertiâ; perrexiſti eadem celerirate quâ veneras, deduxiſti victoriam per omnem Rhenum, vix ille plures vrbes alluit quam Tu cepiſti; probabat olim hic fluuius Gallos nudos, nunc probauit armatos.

Philippopolis æmula Briſaci, Domina Rheni, clauis Imperij, digna erat decennali obſidione, decem diebus expugnaſti; ceperat eam Suecus vndecim menſibus, Tu diebus; contraxiſti annos, & menſes; æquales facis horas diebus, & ferè velocius agis, quam loquantur alij. Increpauit Vienna tarditatem famæ nuntiantis obſidionem poſt victoriam; dum rediir, inuenit tot vrbes captas, vt nuntiare Viennæ timuerit; vix audeo ipſe percurrere ſingulas, dum vnam deſcribo plures cepiſti.

Spira, Vormatia, Moguntia tres vrbes, & tres Prouinciæ præuenêre victoriam ne experirentur pugnam; maluerunt te victorem quam hoſtem, agnouerunt in te Proauos Reges, oſtenderunr tibi antiqua lilia, veneratæ noua; miratæ ſunt reſpondenrem Latine, & triumphantem Gallicè: inter admirationes publicas ſalutarunt Te Gallicè, & præbiberunt Germanicè.

Ceſſaſti inuitus recedente anno, quem ſi inchoare maturius aut extendere longius licuiſſer, reparaſſes anno vno iacturas plurium ſeculorum, reddidiſſes Ludouico quod diuiſêre Ludouici, reſtituiſſes Galliam vbi olim Gallia erat; diſtinxiſſes Regna linguis, & quiſquis Gallicè loquitur Gallus eſſet.

Hæc ſunt præludia tua Anguyene, vbi alij quieſcerent; aſcendis per magna ad maiora, & primum veſtigium tuum aliorum faſtigium eſt; impleuiſti ſeculum duobus annis, præluſit Rocroyum, Theonvillæ, hæc Friburgo hoc Philippopoli, hæc aliis vrbibus; debellares breui Europam, ſi ſingulis annis tot vrbes caperes, & breui metiretur per Te Ludouicus orbem, ſi ita curreres.

ATREBATVM CAPTVM,
SVB LVDOVICO XIII.

CAPIENDVM *iactabatur Atrebatum cum à muribus feles caperentur:*
Scilicet nonnisi per cuniculos penetrari vrbs poterat, & penè per mures:
Penetrarunt tamen vrbem Galli, & ceperunt:
Et puto si terra viam negasset, iuissent per aërem:
Circumuallarant vrbem Galli maiori vrbe:
Circumuallarat Gallos hostis ampliori aggere:
Obsidebat exercitum vnum alter exercitus:
Et Gallus inter hostem & vrbem medius erat, & obsessus.
Quis non putaret eum exercitum capiendum, qui iam erat captiuus.
Quis non crederet enecandum fame, cui deerat vnde viueret:
Et tamen vicit exercitus qui credebatur victus,
Idcirco medius inter hostem & vrbem, vt vtrimque vinceret:
Ex duodecim commeatibus vndecim inuenére viam, aut fecére:
Trahebant singulos tria curruum millia, nec retineri potuerunt:
Dicerem volasse per aërem si currus, & equi alas haberent.
Denique suffossa mœnia subterraneum muribus iter fecére:
Ii sunt armati mures, qui ex fato ceperunt feles:
Spectante hoste deditio facta est, vt esset illustris:
Eodem teste obsignata est, vt esset stabilis.
Nec tamen hostibus laus sua neganda est, fecerunt fortiter, sed minus feliciter:
Pugnassent felicius nisi in fatis fuisset, vt Ludouicus vinceret.
Vt scias Cœlum militasse Ludouico:
Dies Laurentio sacra fortunata tunc fuit, quæ olim fatalis fuerat:
Ea die altaria liliis ornabantur ex veteri celebritate, vt fauérent nouæ:
Missa Regia canebatur, venit Ludouicus vt assisteret.

ABI VIATOR, ET CARMEN HOC LEGE.

Iustitiæ hoc seclum est, sua iura Europa requirit,
Atrebatum recipit Gallia, pignus erat.

ATREBATVM SERVATVM, SVB LVDOVICO XIV.

DE Atrebato quasi de Imperio duo Regna certabant;
Pendere ab vna vrbe credebatur libertas, multarum vrbium:
Conuolarant ad victoriam septem Nationes vincendi cupidæ:
Iamque inter eas hoc certamen erat, qua prima vinceret:
Præcrat exercitui Princeps Ducum primus,
Si pro suo Rege pugnasset,
Intra vrbem pauci milites erant, sed omnes heroës:
Iam circumuallata vrbs erat alterâ vrbe:
Jam triplex linea solo volatu superabilis erat:
Iam putei circumfossi irruentibus equis naufragia:
Iam interfixi pali repagula erant, aut præcipitia:
Iam opus lunare captum & receptum,
Iam penè dirutum, & adhuc inuictum erat:
Eheu talibus assultibus superari poterat Turcica luna.
Denique imminuto obsessorum numero, non tamen animo,
Capiendum Atrebatum timebatur, & fama iam ceperat:
Hæc est gloria tua Ludouice, seruasse vrbem penè captam,
Hæc gloria Francorum victores esse penè iam victos;
Hoc dedecus hostium triumphasse ante victoriam,
Hoc probrum cepisse Atrebatum intra Romam,
Et amisisse intra Galliam.
Ne quære quâ arte seruatum sit Atrebatum,
Miraculum fuit virtutis, & prodigium fortitudinis;
An transilierint lineas Galli, an transuolarint incertum est:
An aufugerint hostes, an euolarint æque ambiguum:
Illud certum est transiisse Francos per præcipitia,
Effugisse hostes per naufragia,
Iuisse vtrosque per inuia.
Captum est aut casum quidquid euolare non potuit;
Vt citius fugerent, multi fugêre seminudi:
Relictus est exercitus sarcinarum pro exercitu hominum.
Denique Atrebatum seruatum, & iterùm Gallicum est.
Nunquam obsidendum post hanc hostium fugam;
Nunquam euincendum post hanc Ludouici victoriam.

ABI VIATOR, ET LEGE.

Victis Galli, tamen est sua gloria victis,
Penè negat victos nobilis ordo fugæ.

CASALE TER SERVATVM,
SVB LVDOVICO XIII.

NVLLA vrbs sæpius tentata, nulla sæpius seruata fuit:
Toties euasit, vt non immerito appelletur Casale Euasij.
Obsideri cœptum est cum Ludouicum Rupella occuparet,
Creditus est accurrere non posse quem Rupes retineret:
Vicit Rupellam Ludouicus præsens, & Casale seruauit absens:
Audiuit hostis aduentare Regem, & famam non tulit:
Venit Ludouicus, & vicit hostes quos non aspexit.
Alteram obsidionem tentauit Spinola, cui vrbs omnis Casale erat:
Capere vrbes docuerat, nisi Toëraſius seruare docuisset:
Inter inducias mori voluit, vt inuictus obiret:
Nec tamen inducię excluserant malum, sed suspenderant:
Ludouicus Lugduni decumbens sperauit salutem Casalis, cum desperaret suam:
Exercitus Gallicus sub tribus Mareſcallis ostendit se Hispanis, & vicit:
Tertia obsidio tota hyeme apparata erat, vt esset vltima.
Iam argenteus lituus deditionem popoſcerat, quasi desperata vrbs esset,
Iam circumductâ fossâ canebatur ad cytharam clades futuras
Interea accurrit Harcurtius, pugnauit, & vicit,
Atque hæc audacia temeritas erat, nisi vicisset:
Nunquam maioribus animis pugnatum est, nec maioribus æmulis:
Dixisses rediisse heroum certamina, nisi hoc maius esset:
Nullibi grauiores Hispani, eodem in vestigio mori voluêre:
Perierat integer exercitus si Hispanus fuisset:
Ne futuræ cladis signa extarent, reliquerant Valentiæ:
Nec tamen sine vexillo periêre:
Quotquot Hispani occisi sunt, totidem fortitudinis insignia fuêre:
Neque alibi Franci leuiores ad pugnam, & grauiores ad victoriam:
Incurrebant in hostem, irrumpebant in castra,
Fuêre qui aggeres transuolarent, cum transilire non possent:
Fuêre qui deiecti tertia pugnâ, quarto volatu transiêre:
Fuêre qui pugnauêre membris alienis, mutilati suis:
Fuêre qui stetisse post mortem,

Et pugnasse post vitam creditì sunt:
Ipse hostis pugnasse se cum dæmonibus dixit, ne heroës diceret.

ABI VIATOR, ET LEGE.

Hæc est tergiminâ clara obsidione Casalis,
Ter fuit excidio proxima, terque stetit.

LIBER QVARTVS.

ELOGIA EMINENTIA.

EMINENTISSIMO ECCLESIÆ PRINCPI,
CARDINALI DVCI

ARMANDO RICHELIO.

EPISTOLA SAPIENTIAE.

NON facile iudicium est plusne debeas Sapientiæ, quam illa Tibi, CARDINALIS EMINENTISSIME, experitur illa in te quid tota posslit, hoc ipsum ei debes quod te elegerit, in quo ostenderet quid tota posset: obtulisti capax ingenium quod impleri posset: infudit se illa totam, nec minor est hospitio quia immensa, nec maior quia hospitem inuenit æqualem; sic DIVITIS LOCI facta est inquilina Sapientia, quia amauit diuitias nominis tui, & locum ingenij: vocarem Te compendium Sapientiæ, nisi se totam explicarer in te; appellarem discipulum, nisi vbique sapiendi artem doceres: Sub LVDOVICO Galliam sapere docuisti non inuitam, sub eodem hostes Galliæ sapere cogis vel inuitos: decoloraſti externas Sapientias quia fucos deterſisti; timeri per te desierunt hostes Galliæ quia cœperunt agnosci; docuisti nec tam religiosos esse, qui id efficiunt quod in aliis arguunt; nec tam graues, quos toties fugere compulisti, nec ram tenaces quibus tot prouincias eripis: miratur orbis vmbram esse quod timuit, & erudirus à te nunc demum videt nihil magnum esse quod sola fama magnum est. Placet proponere aliqua Sapientiæ tuæ ænigmata nisi tu ea factis explicares: hactenus præterita scire, nec falli in præsentibus tota rei politicæ doctrina erat; cœpisti vbi alij desierunt, versaris in rebus futuris, & dum alij præ-

terita discunt, tu futurarum rerum historiam scribis, quia facis. Vt eam efficias percurris orbem terrarum consiliis tuis, vbique præsens quia vbique consulens; numeratas habes omnium Nationum opes, ostendis quid singulæ possint, addis ingenium tuum vt posse velint; partiris agenda omnibus, mirantur singuli laborare se in parte operis, dum tu in toto ludis: idcirco immobilis in orbe, quia orbem moues. Per ea populorum bella pacem quæris, quâ tunc potiturum orbem doces, cum liber erit, tunc erit liber cum seruitutem non metuet, tandiu seruitutem non metuet, quamdiu Ludouicus Europæ Arbiter, & Armandus Minister erit; hæc pars aliqua Sapientiæ tuæ, dicent partem alteram Academiæ.

EIDEM EMINENTISSIMO CARDINALI ACADEMIAE.

EXTRVIS Academias quia ipse omnium scientiarum Academia es, CARDINALIS EMINENTISSIME, sed pulchrior est ea quam mente geris quam quæ extruitur foris; laudatur in ea octauum miraculum, sed in te primum; describi illa potest quia potuit extrui, ea quam animo geris omnibus ingeniis maior est, & tamen te minor.

Mirabilis sanè Academia in qua omnis humana Sapientia habitat, nec tamen impleret te nisi accederet diuina; vtrique locus est apud te tam capax, vt miretur Sapientia contineri se totam vno ingenio, nec in angusto esse quia DIVES LOCVS, & penè immensus est: Hactenus se in partes Sapientia diuiserat, nemini obtigerat tota; ille sapientior habebatur, cui pars maior obuenerat; inuênit in te hospitium æquale sibi, habirat apud te omnis antiqua eruditio, & adhuc locus est nouæ.

Hactenus in singulis ingeniis singulæ ferè artes solitariæ erant, ne vna excluderet alteram, si essent plures; propterea Theologia inculta, Philosophia barbara, Mathematica vacua, Eloquentia eneruis, Ethica sterilis, Politica imbellis erat; inuenerunr in te vnde se omnes perficerent; in te Theologia eloquens, Philosophia elegans, Eloquentia mascula, Mathematica solida, Ethica efficax, Politica generosa, in te singulæ scientiæ se corrigunt quia in te inuenerunt Magistrum.

Noua laus, sed erudita Magistrum esse sapientiæ quæ aliorum Magistra est; docêre antiquam sapientiam, & inuenisse nouam; scire quod præteritæ ætates nescierunt, erudire præsens seculum, proponere futuris annis vnde sapiant; eo euexisse sapientiam quò nunquam ascenderat, fecisse diuites scientias ne vnquam egeant, fecisse eminentissimas ne vn-

quam iaceant, & cum omnium Magister esse possis, sub Ludouici Sapientia nonnisi discipulum esse vel Ministrum.

Quod admirabilius est ipsi hostes Galliæ ex te sumunt exempla sapiendi, æmuli glorioſi, & inuiti discipuli; mirantur præsciri à te consilia sua, penetrari quod occultant, præueniri quod excogitant, & quidquid decernunt faciendum, iam à te esse factum: coguntur imitari quod docêre mallent; vtuntur sapientia Gallicâ, discunt à Gallis maturitatem quam olim docuerant; conqueruntur inuersas esse sapiendi vices, & sub te Magistro Gallos euasisse graues, & se leues; talem oportebat esse Cardinalem Ecclesiæ, & Ministrum Galliæ; tali sapientia opus erat, diuinâ vt oracula Dei exciperet, humanâ vt imperia Regis proponeret, fideli vt vtrique seruiret, generosâ ne hostes timeret, erudita vt Europam instrueret; probauit amorem suum erga Galliam Deus, dum talem Ministrum prouidit, probauit sapientiam suam Ludouicus dum talem elegit: nec mirum si res Gallicæ feliciter fluant sub auspiciis Christi, sub imperiis Ludouici, sub consiliis eius Ministri cuius sapientia orbi regendo par esset, nisi Ludouico parêre mallet.

EIDEM CARDINALI DVCI, FIDELITAS.

EVNDEM in re Politica locum amat fidelitas, quem fides in re Christiana: Dux CARDINALIS, reddidisti huic virtuti locum suum dum Eminentissimus Ecclesiæ Cardinalis fecisti fidelitatem Cardinem vitæ tuæ; nec extolli à te sublimius poterat fidelitas quam comparari fidei, nec eminentiorem polum spectare quam Ludouicum, dum fides tua aspicit Deum: ij duo cardines vitæ tuæ Deus & Ludouicus; imo nec duo cardines quos eodem oculo spectare potes: vides vnum in altero, vtrique seruis dum vni; nec diuersum exigit vterque obsequium, quia commune est vtriusque præceptum; si diuersa essent vtriusque imperia, nolles placere huic vt displiceres illi, nolles fidelitatem tuam esse regiam nisi esset diuina, nolles fidelis esse si fideli tuæ aduersari posset fidelitas tua; audiat orbis miraculum fidelitatis, nolles fidelis esse Ludouico si peccandum esset, nollet Ludouicus te fidelem esse si peccares.

Nec facio iniuriam fidelitati tuæ si eam cæcam appello, dum fides ipsa cæca est; ignoras tua & teipsum vt Ludouicum scias ignorares; tuos si Ludouicum nescirent; audeo dicere quod tu auderes facere, ignorares Galliam si Gallia Ludouicum ignorare posset.

O cæcam sed perspicacem fidelitatem tuam! in eo similem fidei quod vtraque cæca, & oculata est, cæca est fides dum non videt quod credit, oculata est dum hoc ipsum videt credi debere quod nescit: Et tua fidelitas idcirco oculata est quia cæca, idcirco maxime Ludouicum videt quia præter eum nihil videt; nemo eum melius nouit quam Tu, quia nemo vltra eum intuetur minus; aspicis ipsum solum vt videas totum; hoc vnicum studium tuum studere vni, hæc fidelis sapientia scire Ludouicum, & nescire teipsum.

Ita tamen studes Ludouico Domino, vt simul studeas Ludouico Magistro, discis à Ludouico quod doceas, & sub eodem Magistro gaudes te habere collegam sapientiam! Non antecedis ergo nutus Ludouici sed sequeris, non præfers lucem sed accipis; agnoscis Ludouicum solem esse, te stylum; accendit ille diem Gallicum tu ostendis, designat horas tu indicas; percurrit orbem, tu assistis; perlustrat vicina hemisphæria comitaris; fidelis sanè stylus qui cum diem illustrare posset, mauult ostendere; mauult vmbra esse quam radius, atque ex tot splendoribus solis sui, nihil assumit sibi nisi stylum vmbræ, & vmbram styli.

Denique vt fides inter pericula & mortes, & sanguinem crescit; ita & fidelitas tua, toties parata sanguinem pro Rege fundere vt tu sæpè purpuratus, & plusquam semel Cardinalis appellari possis; verum vt fides damnis crescit, tu quoque creuisti periculis, & dum Ludouicus ascendit vltra victorias, Tu fidelis Minister vltra inuidiam, & supra pericula euasisti.

EIDEM CARDINALI DVCI, MYSTERIVM POLITICVM.

HOc Tu ipse Mysterium es, CARDINALIS EMINENTISSIME; aspicit Te Anglia nec agnoscit, legit te Germania nec intelligit, studet tibi Italia, nec te capit, explorat te Hispania, nec detegit, meditatur Europa Te, & te nescit: Mysterium es.

Pates omnibus & lates, sentiris & nesciris, occultus & publicus, negotiosus & vacuus, absens & præsens, otiari vidêris vbi es, negotiaris vbi non es; moues Europam, & quiescis, exerces omnia ingenia, & ludis: Mysterium es.

Permitte vt te legam quia liber publicus es; non attingam eos mysterij gradus qui latent, euoluam eos tantum quos experientia publicos fecit vt paterent; nec tamen omnes numerabo, quia omnem calculum su-

perant præter tuum: imo neque tu ipſe omnes noſti, quia Tu ipſe te totum non capis.

Primus myſterij gradus infimus eſt, & ſupremus; cœpiſti vbi alij ante te Miniſtri Regij deſierunt, rudimentum ingenij tui eſt quidquid in aliis fuit ſummum; collegiſti ſparſas per ſingulos ſapientiæ diuitias, & inde cœpiſti diues eſſe; debes illis primum gradum ſapientiæ tuæ, debent illi incrementum ſuæ, viuunt in te ſinguli ſed minores te; vigent in te omnes ſed tantum pars tui; apparet in te omnis antiqua ſapientia, & tantum eſt baſis nouæ; non rejicis ſuperiorum ætatum ſapientiam cuius DIVES LOCVS ES, ſed eam primum gradum feciſti vnde poſſes aſſurgere: Myſterium es.

Inde progreſſus eò aſſurgis quo alij nunquam aſpirarunt; eò euehis ſapientiam quo illa nunquam aſcenderat; dubium tamen eſt an præeat illa Tibi, an Tu illi; præire videris, & illa ſequi, ſi tamen non præit ſapientia quomodo aſcendis ſapienter? ſimul ire vos puto, aut viciſſim præire; duceris & ducis, illuſtras ſapientiam, & illa prælucet; doces illam & diſcis ab illâ; mutua doctrina eſt & alterna diſciplina; Itis tamen & vias nouas detegitis quas ipſa ſapientia neſciebat; idcirco noua eſt ſapientia tua quia nunquam fuit antiqua; idcirco eſt tua quia nunquam fuit aliena: Myſterium es.

Hic ſecundus myſterij tui gradus ſupra alios ſapientes; tertius ferè eſt ſupra te ipſum: parum eſt tibi ſuperaſſe alios niſi vincas teipſum, euadis vltra Te victor tui, excedis hodiernam ſapientiam, cras ſuperaddis nouam: creſcit illa in dies, non inuenis finem ſapiendi, quia non inuenis finem Tui: exeris vires ingenij tui, excogitas noua principia ſapiendi, ex illis deducis alia, eò fœcundior quo plura parturis; exhauris omnia nec exhauris te, maior omnibus & ſemper te minor; quæris aliquid poſt omnia, & occurris tibi, quæris teipſum vltra te, & dum attigiſti fines rerum nondum attigiſti limites Tui: Myſterium es.

Siſte tamen aliquando, RICHELI, excedis omnes, excedis teipſum; eò aſcendiſti quò neque iuêre Maiores, nec ſequentur poſteri; ſi pergis aſcendere, periculum eſt ne cum exceſſeris omnia non poſſis te ſequi: Myſterium es.

Et ſiſtis, & deſcendis ad opus, ſpecularis vt agas, quieſcis vt moueas, moues vt quieſcas; inde illa conſilia formidata hoſtibus Galliæ, & amata Gallis; anteuertis hoſtium conſilia quia ingenia noſti, metiris ingenia quia excedis; ſcis eò progredi poſſe, ſcis non poſſe excedere; impedis ne eò veniant ſi exceſſum times: expectas dum venerint ſi progreſſum rides; ſic eludis inſidias quia detegis, ſic euitas pericula quia emendas, ſic ſupplantas facienda quia prior facis: Myſterium es.

Ita tamen detegis aliena conſilia vt occultes tua, ſumis ea ex rebus ſu-

turis, ne hostes videant, sectaris vias quas ignorant, aggrederis quâ parte non expectant; miranıur hostes ignorari à se consilia tua, reuelari sua, impedîri se ne agant, retineri ne currant, inuadi ne impetant, supplantari ne decipiant, superari ne vincant; miratur hostis pati se ea mala quæ parabat nobis, armari in se suos, quos armauerat contra nos; diuidi Prouincias suas, qui nostras diuiserat, vinci se vbique, qui vbique triumphabat; atque hæc fieri consiliis tuis: Mysterium es.

Neque hic finis Mysterij rui, septimus eò subtilior est quò apertior; exeris partem vnam sapientiæ, & alias supprimis, ostendis digitum, & subducis manum, apparet effectus, & causa nescitur, sentitur plaga, nec videtur dextera, magnum est quod ostendis, sed maius quod tegis: Mysterium es.

Quod admirabilius est partiris sapientiam temporibus, occupas iam vnam partem, mox alteram, diuidis eam negotiis, nunc sublimiter, nunc populariter sapis; aptas eam Nationibus, aliter sapis Hispanis, aliter Italis; atque hoc fallit hostes tuos, putant videri à se sapientiam Gallicam, vident Germanicam; spectant popularem, & ignorant sublimem, credunt esse totam, & particula est: Mysterium es.

Vt subtilius sapias mutas partes sapientiæ, nec mutas sapientiam, turbas ordinem sapiendi non artem; ostendis eandem partem, & eandem tegis; educis eandem & apparet altera; eadem est, & diuersa, vna & multiplex, occulta & publica, particula est, & tota penè Europa hac particula sapit: Mysterium es.

IVDICIVM EVROPÆ,

DE MORBO CARDINALIS DVCIS RICHELII.

LABORAVIT tecum Gallia & penè Europa, CARDINALIS EMINENTISSIME, publicus fuit morbus tuus, senserunt rumorem brachij tui omnes manus, & vno abscessu omnis penè orbis intumuit.

Sed non idem de te omnium sensus fuit, doluerunt tecum omnes boni; extulêre caput vitia laborante virtute, apparuerunt in te amores & odia populorum, sperauit victoriam hostis si brachium Galliæ defecisset; inchoarant de te homines malæ fidei tragœdiam, feciſti comœdiam dum læto exitu actores fefelliſti.

Placet percurrere affectus Nationum, & conualescenti tibi exhibere fabulam quam Tu ipse feciſti.

Primus affectus Galliæ fuit; hæc si res gestas aspiceret amabat

authorem, si res futuras dolebat esse mortalem: quis aiebat retinebit fortunam Galliæ cui Richelius trabs erat, & Cardo ne caderet? quis prosequetur victorias nostras, & reparabit iacturas? quis euoluet eas artes quibus Europam implicuit? quis anteuertet hostium consilia ne priores sapiant? quis præoccupabit agenda vt desit quod agant? quis inuitabit populos ad libertatem? quis ostendet quid possint? quis adiuuabit vt posse velint? quis eadem fide exequetur imperia Regia? quis æquali sapientia Minister erit Galliæ, & Magister Europæ?

Longe alius erat de Te hostium sensus, ex iis qui boni sunt optabant te citò beatum ne tu eos miseros efficeres; iidem precabantur tibi æternitatem ne tu totum hoc seculum Gallicum faceres; qui minus boni erant, paulo asperius de te sentiebant; hic vouebat vt diu male haberes, & gloriabatur vouêre se bene; ille vnius Prouinciæ iactura mortem tuam emeret, ne tu plures Prouincias superares.

Fallor dolebant de Te etiam hostes tui; laudabant te exteri populi etiam subinuiti, fatebatur Hispania ægrotasse tecum sapientiam, Italia industriam, Germania fortitudinem, Anglia fidelitatem: magna vis est, & mira virtutis, extorquet etiam ab hostibus laudes sui; nec verius elogium esse potest quam quod ab hostibus venit; non assentatur hostis dum laudat, nec mentitur dum id tantum dicit quod extorquet veritas.

Hic erat de Te Europæ sensus, Richeli, exercuisti populorum iudicia dum exercêris; probasti Te Cardinem Galliæ dum nutans omnia succussisti: agnouimus Te solem ex Eclipsi, & Tu quàm salubre sydus esses, nunquam probasti melius quam dum æger fuisti.

Omitto aliorum lætitias vt explicem gaudia Ludouici; triumphauit gaudio Ludouicus te conualescente, quo bene valente toties triumphauit; non iucundior ei nuntius accidisset; recuperatæ alicuius Prouinciæ quam valetudinis tuæ, in quâ tot recuperandæ Prouinciæ vertebantur; visere te non vidêre voluit Ludouicus, & ardens amore tui, occurrit vltro valetudini tuæ, quam venientem expectare non potuit. Quam suaues illi amplexus Regij? aperire poterant sinum vlceris si nondum patuisset; quam glorioſæ laudes illæ Regiæ, & publicæ! quam fidelis illa responsio tua, recusaturum te vitam nisi vt eam Ludouico consecrares: nec ingrata vox illa militaris inter amplexus vestros, benè valete ambo, & nostris ensibus cætera permittite.

Restitutus ergo es RICHELI non tam tibi quam Regi; reuixit Gallia te valente, quæ te ægrotante laborabat; gratulantur tibi omnes boni, gratulantur nobis hostes etiam irati, & gaudent de te etiam qui te timent.

Id vnum precamur omnes, parce tibi, & nobis RICHELI, age lentius vt diutius agas, moderare vires ingenij tui; vrere parte tui; & non te toto; satis est particula vna sapientiæ tuæ, vt per eam omnis Europa sapiat.

EMINENTISSIMI PRINCIPIS ECCLESIÆ
CARDINALIS DVCIS

ARMANDI RICHELII,

TESTAMENTVM CHRISTIANVM.

CAtholicvs fide, Cardinalis dignitate, Minister Regius munere, reddo rationes publicas vitæ meæ, & conscientiam explico coram Sole, vt legi ab omnibus possit quod Sol ostendit.

De fide mea id testor, ideirco purpuratum me credidi vt fidem tuerer; obsignassem eam libenter meo sanguine, & maluissem hac secunda purpurâ rubêre quam primâ; hanc volui esse cardinem vitæ meæ, hanc secutus sum Ducem etiam cæcam; nec tamen in me cæca penitus fuit, eò ferè ingenio attigi quò fides præiuit, sciui penè quod credidi; nec tamen credidi quia sciui; pluris feci cæcam fidem quam oculatam sapientiam, & plus ignoranti mihi credidi quam videnti.

Quid fecerim pro fide diuina testari potest fides humana; abstuli hæresi trecentas arces, ne esset rebellis; auerti aliena auxilia ne esset infidelis, eripui arma ne esset hostis, emendaui mores vt fidem corrigerem, conciliaui animos Regi vt Deo subjicerem, erudiui conscientias, tentaui libertatem; eò redegi hæresin vt quæ vim timebat cogi iam velit.

Nec minus extra Galliam Catholicus fui; prius egi cum fœderatis de Religione Germaniæ quam de libertate; vtriusque me Patronum professus sum, excepi Ecclesias à lege armorum, docui politicum esse bellum non Ecclesiasticum; si quid detrimenti passa est Religio, ille non intulit qui prohibuit.

Cardinalis amaui Ecclesiam Romanam vt matrem, & Gallicanam vt filiam; illius alumnus, huius Patronus, illius iura, huius priuilegia tueri volui; sciebam quid Gallia deberet Romæ, quid Roma Galliæ, mutuus est amor, & alterna beneficia; seruiui vtrique dum seruiui vni, & quidquid addidi Galliæ, addidi Romæ.

Nec nocet Aula Ecclesiæ, nec Ecclesia Aulæ, neutra decolorat alteram quia vtraque est purpurata: administraui Galliam vt Ecclesiam, seruiui Ecclesiæ dum seruiui Galliæ: ij duo Cardines vitæ meæ Ecclesia & Gallia, Deus & Ludouicus; imo nec duo poli, quorum vnum in altero semper vidi; noluisset me Gallia ministrum si peccassem in Ecclesiam, noluisset me Ecclesia Cardinalem si peccassem in Galliam.

De me

De me miniſtro id tertium teſtor, volui miniſterium meum Chriſtianum eſſe & politicum; conciliaui vtrumque, quia me Miniſtrum putaui Regis & Dei; ſciebam Regem Galliæ eſſe Ludouicum, & Regem Ludouici eſſe Deum; imitari volui Prouidentiam Dei quia Regnum Galliæ eſt Regnum Prouidentiæ; exploraui quò præiret Deus, huc ſequi volui; neque anteceſſi nutum Ludouici ſed obſeruaui; neque attuli lucem ſed accepi: inde illa felicitas mea ſub vtraque fortunâ; neutra cæca fuit quia Deus vtrique præluxit; neutra temeraria quia proſpetam dedit Deus, & correxit aduerſam.

Hæc gemina virtus miniſterij mei, fides erga Deum & fidelitas erga Ludouicum: de vtrâque id aſſerere poſſum, nihil prætuli Ludouico niſi Deum; vtrique ſtudui, vtrumque ſciui, & penè vtrique credidi: hæc duplex regula vitæ meæ Deus reuelans, & Ludouicus imperans; agnoui vtrumque vt Dominum & Magiſtrum; didici ab vtroque quod docêrem, atque vt eſſem Miniſter orbis, priùs fui diſcipulus Dei, & Ludouici.

Vt fidelis eſſem Ludouico imitari volui iuſtitiam Ludouici; de qua id teſtari audeo, penè offendi alias virtutes ne offenderem iuſtitiam; timeri volui vt amaretur Ludouicus; ſeuerus in paucos fui, vt eſſem omnibus bonus; nullius tamen hoſtem me putaui niſi eſſet hoſtis Ludouici; amaui iuſtitiam non vindictam; nihil egi niſi iuſtum quia Ludouicus nihil imperauit niſi rectum.

De cæteris virtutibus id vnum dico; amaui omnes quia omnium miniſtrum me credidi; didici omnes vel docui; & dum Ludouicus virtutes omnes facit regias, feci omnes purpuratas; ob eam cauſam Eminentiſſimus eſſe non renui, vt virtutes extollerem; idcirco Cardinalem me putaui vt eas fulcirem; propterea aulam non fugi vt eas in aulam inducerem; inde illa ſanctitas vtriuſque aulæ, prima Regia, altera Eccleſiaſtica, vtraque aula virtutum fuit.

Hæc de virtutibus; de honoribus id profiteor, admiſi dignitates non ambiui; mereri eas volui prius quam aſſequi; nec tamen poſt meritum honores admiſiſſem, niſi vt honorarem Ludouicum; honorificum eſt Soli coronari radiis, pertinet ad maieſtatem oceani deriuari in fontes nec imminui: Idcirco Dux, Par, & Cardinalis eſſe non recuſaui, vt ſciret orbis qualis & quantus eſt Ludouicus, cuius radius, & riuus fuit Richelius.

Et nunc eos honorum titulos æquè depono libenter, atque gero: tam facile morior Cardinalis quam homo; ſciui ſub purpura mortalem fuiſſe me, quia ſciui me eſſe hominem; aſſueui æternitati intra tempus, atque vt mortem fallerem mori cœpi adhuc viuus; captus ſiniſtro brachio dex-

trum obtuli morti & vulneri; circumductus gestatorio ferculo, assueui feretro quasi lecto; destitutus vsu dexteræ, deosculor dexteram Dei; vidi me per partes mori, & didici morirotus.

Er nunc viuus, & moribundus testor sub Ludouico Christianissimo fuisse me ministrum in omnibus Christianum.

EIVSDEM TESTAMENTVM POLITICVM.

ABITVRVS è vita vera dico eo momento quo nemo mentitur; vicinus æternitati quasi æternus loquor: Audi posteritas verba penè vltra vitam prolata, & vera; lege testamentum penè vltra tempus scriptum ne fallat, penè intra æternitatem, ne pereat.

Electus in primarium Regis mei Ministrum, id primum intendi vt Regem meum facerem Regum primum; volui Christianissimum esse & Porenrissimum; volui primogenitum esse Ecclesiæ, & Europæ; volui esse iustum vt sua orbi restitueret, & orbem sibi.

Hæc prima mea cogitatio Maiestas Regis, altera magnitudo Regni: inuêni Galliam minorem seipsa; decreuerant omnia præter linguam; hæc quoque excedebat Galliam, & erar Gallica: populi olim pars Galliæ negabant se esse nostros linguâ nostra; Galli erant & hostes Gallorum; armabatur Gallia in seipsam; vtebatur hostis nobis in nos ipsos; & victus & victor Gallus erat; idem fortis in alienam gloriam, & perniciem suam.

Hic igitur ministerij mei scopus, restituere Galliæ limires quos natura præfixit, reddere Gallis fratres suos, addere Galliam Galliæ, & linguam linguæ; confundere Galliam cum Francia, & vbicunque fuit antiqua Gallia, ibi restaurare nouam.

Tria se opponebant votis meis; obsistebat Gallia ipsa hostis sui; obstabant hostes Galliæ, ne Gallos haberent æquales sibi, vel maiores; obstabant finitimi populi, idcirco amici externæ potentiæ, quia non poterant esse hostes.

Vt perrumperem hos obices, conciliaui Galliam sibi, ne intra se hostis esset; occupaui hostes domi, ne bellum gererent foris: ostendi sociis libertatem, & coëgi aliquos, etiam inuitos, esse liberos.

Duo mala male habebant Galliam, hæresis, & libertas; emendauit vtrumque malum Ludouicus armis suis, & consiliis meis.

Primum malum adeo excreuerat, vt intra vnum regnum censerentur

plura regna; tolerata à Regibus Religio, legitimum Regem vix tolerabat; ex ducentis arcibus securitatis, totidem effecerat propugnacula rebellionis: intra centum vrbes, centum conflarat respublicas; intra Rupellam incluserat rebellionem & seipsam: inde imperabar mari, inde nectebat fœdera cum hostibus Galliæ; inde partiebatur authoritatem Regiam, & ne vni Regi parêret, pluribus dominis seruiebar.

Aggressus sum hoc monstrum quod alij ante me Ministri irritare metuebant; expugnauit Rupellam Ludouicus, & intra vrbem vnam omnia elementa vicit; recepit trecentas arces anno vno, & singulis ferè diebus triumphauit: intra Galliam superauit alterum Regnum, & bis Regem se fecit; & ne quis de pietate causæ dubitaret, pugnauit armis Ludouicus, & Deus miraculis.

Alterum Galliæ malum erat libertas, amabatur Regia dignitas non potestas; timebantur subditi, & peccabant vt timeri possent; emebantur obsequia quæ gratis debebantur: redimebantur auro offensiones suppliciis dignæ; attribuebantur pensiones ne quis rebellis esset; libertas erat conscientiarum, & necessitas criminum; leniebatur malum muneribus, & crescebat lenitate.

Vt mederer huic malo volui amari Ludouicum Pium, & timeri Iustum; volui imperium esse penes vnum, & penes omnes obsequium; volui deberi amorem Regi, non emi; volui aurum virtutis præmium esse non sceleris: volui fidelitatem necessariam esse, non liberam; volui obedientiam ocularam esse, ex parte imperantis, cæcam ex parte subditi.

Post erectam maiestatem Galliæ deprimenda erat maiestas externa, quæ tot annis Galliam depressérat: duæ res fundabant hanc maiestatem externam, consilij grauitas, & Regni potestas.

Adeò sanctum erat maiestatis exrernæ consilium, vt illud virtutes omnes componere crederentur; præsidebat Religio consultationibus vt eas consecraret; assistebat sapientia vt illas erudiret; comitabatur fidelitas, vt eas tegeret, & tunc tantum reuelabantur facienda cum erant facta.

Perturbaui externam sapientiam dum arcana detexi; reuelaui mysteria quæ nondum texerant, euulgaui consilia quæ nondum ceperant, præoccupaui agenda ne inciperent; obieci res factas ne faciendas decernerent; supplantaui consilia dum materiam subtraxi: docui artem sapiendi, quam hostes nesciebant; mirati sunt doceri se à Gallia, quam ipsi semper docuerant.

Alterum externæ Maiestatis fundamentum erat potentia; hæc maiestas oriri intra fines suos videbat solem & occidere; hæc eos mundos inuenerat quos Alexander cogitabat; hæc tribus orbis partibus quartam partem, & veteri mundo addiderat nouum: Ex eo orbe nouo tantùm metallorum exportabat, vt rarius ferè aurum esset vbi nascitur, quam

vbi venditur: eo auro emebat Prouincias, aut obligabat; amabant populi hoc metallum, vel timebant; eo primùm amicos, deinde socios mercabatur; nulla ferè Societas erat, cui non commodaret, quod deinde repeteret.

Nullibi tamen studiosius miscebat hoc venenum quam intra Galliam; eo auro corrumpebatur fides subditorum, tentabatur fides Nobilium, sollicitabatur amicitia hæreticorum; & quorum displicebat fides, eorum emebatur fidelitas; vænalis erat magna Galliæ pars: hæc si empta esset, vænalis erat Europa.

Vt mederer huic alteri malo, diuisi hanc externam potentiam ne semper crescceret: interrupi commercia, ne semper emeret; ingressus sum Partiam ipsam, & inueni fortiorem foris esse quam domi: emi ipse vrbes aliquas, mercatus sum Prouincias; vici quod non potuit emi; & nunc auctior Gallia bona parte sui, ostendit quid acquisierit, & quid hostis amiserit. Nec Galliam tantùm auctiorem feci, sed affines adiuui: deserebant Galliam socij, quia eos Gallia deserebat; fiebant amici hostium, ne serui essent; emebantur promissis, onerabantur titulis, & omnis hæc amicitia honesta seruitus erat.

Ostendi Europæ libertatem dum ostendi Regem, fortem vt amicos protegeret, iustum ne aliena retineret; amicum vt gratis beneficus esse vellet; ostendi Italiæ Galliam tueri velle quod dedit non repetere; ostendi Germaniæ liberam esse posse, si neutra esse vellet; ostendi Electoribus quis eligi posset, & quis eligi nollet; ostendi Protestantibus placêre eorum libertatem non fidem; obtuli Angliæ amicitiam si amari vellet, & amare; obtuli Lusitaniæ portum intra Galliam, & Galliæ portum intra Lusitaniam.

Sic correxi timorem orbis dum ostendi quid timeret; sic docui superari posse quod victum est; sic obtuli libertatem gratuitam, dum ostendi Ludouicum Patronum Europæ esse velle, non Dominum.

Perge LVDOVICE vt cœpisti, absolue victorias quas inchoasti; ostendi quo progredi posses, & vbi desinere; ostendi aliena nunc regna, & quondam tua: ostendi quid debeas Europæ, quid illa Tibi; quid possis repetere, quid illa reddere: quid sit alienum, & quid tuum.

Accipe LVDOVICE hunc librum quem Tu ipse dictasti; habes in priore parte artem belli quam ex Te desumpsi; habes in altera parte Ideam Pacis quam ex te didici; habes in tertia parte exemplar Regis quod ex Te Rege descripsi: habes vbique artem Ministri Politici, quem Tu ipse formasti.

ARMANDI RICHELII

CARDINALIS DVCIS

EPITAPHIVM SORBONICVM.

STA VIATOR, ET LEGE.

HIC jacet ARMANDVS RICHELIVS, *Cardinalis Dux:*
Abi Viator in vno nomine Epitaphium legisti,
Redi viator, audi aliquid minus quam legisti.
Hic oriundus à Regibus, aut pro Regibus ortus fuit:
Futuræ Magnitudinis signa adhuc Puer dedit:
Et paruus ætate iam erat sapientiæ DIVES LOCVS,
Alumnus Sorbonæ impleuit eam ingenio, eâ tota non plenus:
Propugnauit in ea Theses, breui ipse mundi Thesis futurus:
Romam profectus Paulum V. ex Papa Prophetam fecit.
Ostendit se qualis erat, & visus est qualis esset futurus:
Redux exhibuit Romam Galliæ, qui Galliam exhibuerat Romæ.
Henricus Magnus appellabat Præsulem suum, ideſt magnum:
Et facturus erat si vixisset, qualem fecit LVDOVICVS:
Electus in Ministrum Regium, inde incepit vbi alij desierunt:
Superauit antiquam sapientiam, dum ei addidit nouam:
Superauit seipsum maior aliis, & semper se maior:
Nemo sub eo bis errauit, vix ipse errauit semel:
Idcirco geminata habuit organa cerebri, vt bis sapiens esset:
Sapere docuit volentem Galliam, & Europam nolentem:
Magister Europæ, dum docuit nouam artem sapiendi:
Fecit seculum sapientiæ, Ludouicus iustitiæ:
Primum illi bellum cum hæreticis fuit: inde incipere debuit Cardinalis,
Alterum bellum pro Gallia, contra Galliam gessit:
Tertio bello fecit maiorem Galliam, & minorem Hispaniam:
Post tot victorias superari à morte vix potuit:
Aggressa est hominem per partes, non ausa totum aggredi:
Decepta tamen est, inuenit immortalem dum perimit:
Scilicet dum toties moritur, immortalem se fecit ante mortem.
Quid moraris Viator, interiit Richelij vita, non sapientia:
Viuit intra Sorbonam, intra quam nihil totum moritur:
Reparauit ruentem, & facere voluit DIVITEM LOCVM:

Recusauit opes Sorbona ne sapientiæ nocèrent.

ABI VIATOR, ET PARA TE MORTI.

Quæ Richelio non pepercit, non parcet tibi.

EMINENTISSIMO PRINCPI ECCLESIÆ CARDINALI ET ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSI ALPHONSO LVDOVICO DV PLESSIS DE RICHELIEV.

ELOGIVM.

OBTEMPERO modestiæ tuæ, CARDINALIS EMINENTISSIME, abstineo laudibus tuis, & ne te offendam non Te laudo; non affero Eminentissimi fratris testimonium, cuius ingenium, cum penè humano sit maius, fatetur tamen Te etiam in hac parte natu esse maiorem: Non appello Romanam curiam, cuius hoc oraculum fuit, post audita oracula tua, dignum Te esse vna Claue Petri, fratrem altera; & vtrumque gemina. Non commemoro recusatas à te dignitates, & ministeria etiam Regia: hæc omitto & plura; hæc etiam pauca dixi te inuito.

Vnum est quod tacente me, & nolente Te, Lugdunum clamat, & laudat: substitisti Lugduni grassante peste; non fugisti vrbem cum vrbs ipsa se fugeret: lustrabas quotidie ciuitatem penè vacuam, & teipsa plenam; & dum vnus omnia exerces munia, diu solus Lugdunum effecisti.

Impleuisti omnes boni Pastoris numeros; nulla ouis periit ignota Pastori; numerasti gregem tuum & pauisti; nihil aliud aspexit Pons nouus per aliquot menses, nisi euntes ad te miserias nostras, & redeuntes Eleemysynas tuas; nulla ouis interiit fame, etiam dum periret peste.

Neque obtulisti tua tantum, sed te ipsum; mirati sunt afflati lue adiri se abs te eo tempore quo vitabantur à suis: singulare facinus est quod commemoro, dignum Carolo Mediolanensi, & Alphonso Lugdunensi; ingressus es tugurium in quo duo viri Religiosi, & cum illis pestis inquilina erat; non expauisti morbi præsentiam, cuius aspectum alij timuissent; credidit vterque vir Religiosus illapsum Angelum, & erat si solum animum aspexissent: affatus es vtrumque iis verbis quæ sanitatem afferre poterant, nisi mori maluissent: excepit idem locus verba vitæ, & anhelitus mortis; expiasti peccata vtriusque quæ iam pestis deleuerat; vterque ouibus tuis vitam suam consecrarat, tu vtrique tuam: cuius Eminen-

tiam peſtis venerata, ex eo tempore languêre cœpit, & tecum vrbs tota periclitata, tecum euaſiſſe ſe credidit.

Audacior effecta lues dum vrbi parcit, domum ipſam Paſtoris aggreſſa eſt; nec tu eam timuiſti domi, qui eam foris prouocaras; non aula Paſtorem lædere, abſceſſit denique, & gregi parcere coacta eſt, & Paſtori.

LVGDVNI ET MASSILIAE DE ALPHONSO RICHELIO, SVB NOMINE ARISTI, AMABILIS PVGNA.

ECLOGA.

PVGNAT *Lugdunum de te, & Maſſilia pugnat,*
Vtra magis ſit Ariſte tua: & dum pugnat vtrimque
Neutra minùs, plus neutra tua eſt: amat vtraque totum,
Vtramque, & tu totus amas.

Me, Lugdunum inquit, non te meus ardet Ariſtus;
Nec tuus hic Paſtor, nec tu Paſtoris ouile;
Huic ouis eſt meus ipſe leo, ſub voce Magiſtrâ
Dedidicit rugire ferox, & amore regente,
Iam didicit balare Leo; quæ ſigna fauoris
Expectare potes? totum ſe Paſtor ouili
Præbuit, & ne aliquod ſperes à duite donum,
Nil vltra quod donet habet; mihi ſanguis Ariſti
Ægrotæ medicina fuit, mihi purpura veſtis,
Et veſtis Paſtoris amor; ſi totus Ariſtus
Eſt meus, vnde aliquam ſperes Maſſilia partem?
Nec partes admittit amor.

Lugdunum Soror, & charæ minus æqua Sorori,
Cur Solem vis eſſe tuum, ſi publicus orbis
Eſt oculus; cur non fiat communis Ariſtus
Si commune bonum eſt? quid non opponeret orbis
Si vellem retinere mare? & tua flumina currunt,
Et quidquid commune bonum eſt, excurrere debet;
Ne fiat proprium; currat communis Ariſtus,
Ille tuus, ſit & ille meus; ſat amoris vtrique;

Sat lucis sol diues habet; si pergis obesse,
Incipiam fieri ipsa nocens; priuabere iure,
Partiri si iura negas; remorabor Aristum
Ne possit tuus esse redux; tentabo coronis,
Imperium donabo maris; si munera nolet,
VICTOREM *dabo; vincetur* VICTORIS *amore,*
Victus erit, victorque meus.
O pugnam elogiis dignam! sic æmula signa
Solstitij pugnant, vter amplius ignis ametur,
Quis solem plùs ignis amet; si vincere posset
Alteruter, reliquis solem subduceret astris,
Et fieret sol puncti hospes; sed publicus orbis
Arbiter, inuisit puncta, & postquam oscula fixit,
Zodiaci per signa redit, fictasque figuras,
Et veras sub sole facit; nisi iustus amores
Diuideret, pars vna orbis splendore periret,
Altera pars tenebris; dum menstrua signa pererrat,
Æqualem facit hospitiis æqualibus annum,
Dumque amat, est communis amor.
Et Tu ignes partire tuos æqualis Aristæ;
Nec te Lugdunum, nec te Massilia totum
Possideat; sat lucis habes, & amoris vtrique;
Zodiaci percurre vias, & publicus orbi
Da populis, quibusque tuis de Te esse beatos
Et radiis lucére tuis.

EMINENTISSIMO PRINCIPI
ECCLESIÆ CARDINALI
IVLIO MAZARINO,
ANAGRAMMA.
MASARINI.
ARS ANIMI.
ELOGIVM.

ARs artium est scire quid possint humana ingenia, & quid velint flectere illa quam in partem velis, ità moderari vt tecum velint: dominum esse libertatis alienæ & suæ; & dum alij dominantur in corpora esse rectorem animorum. Nosti

Nosti hanc artem vel ex nomine tuo, MAZARINE: calles principia huius artis quasi inuentor, exerces illam quasi author; idcirco habes illam pro nomine, quia in aliis disciplina, in te doctrina, & penè natura est.

Placet explicare artem verbis quam tu explicas factis; proponam ipsum tibi vt sis spectator tui; vtar principiis artis tuæ vt pingam te similem tui; describet seipsam ars tua; idem eris pictor, & imago; idem eris ars, & artifex tui.

Primum artis tuæ principium est, nosse ingenia; efformasti intra te caracteres animorum, residunt intra te Italus & Germanus, Hispanus & Gallus; nulla natio apud te peregrina est, fecisti omnes domesticas; viuunt intra te infinitæ animorum imagines, nec se confundunt; habitant intra te dissimiles populi nec se excludunt; extra te hostes, intra te amici, extra te bellum gerunt, intra te pacem colunt; placet hospitium singulis quia placet hospes; scis placere ingeniis quia scis artem ingeniorum.

Atque hoc est alterum principium artis tuæ, aptare se ingeniis, & placêre; aliter agis cum Italis, aliter cum Germanis, aliter cum Gallis; adhibes maiestatem Romanam cum Romanis, grauitatem cum Venetis, venustatem cum Florentinis, elegantiam cum Neapolitanis; agis prudenter cum Mediolanensibus, magnificè cum Genuensibus; popularem te putant omnes populi dum in Te se vident.

Longè aliter te habes cum Hispanis, assumis maiestatem oris quam natiuam habes; pronuntias oracula, loqueris mysteria, reuelas arcana; mirantur Hispani eminentem sapientiam, & credunt suam; nec putant te ita sapere posse, nisi Hispanus esses.

Hispanus es adscita prudentia, & Gallus natiuâ; duo te Gallum efficiunt, propensio indolis tuæ erga Galliam, & propensio Galliæ erga indolem tuam; elegisses Galliam in Patriam, si eligere potuisses antequam esses; elegisset te Gallia in alumnum si eligi possent in natos nondum nati; amasti Galliam statim atque amare potuisti; creuit ille amor crescente Te; inde illa officia tua erga Galliam, antequam officia gereres; ministrasti diu pro Gallia antequam eligereris in Ministrum; fuisti manus Richelio dum ille brachio laboraret; & nunc repræsentas illum rediuiuum, & Gallico anagrammate penè ipse Armandus es.

Iules Mazarin, *Ie suis l'Armand.*

Vt aptes te ingeniis excedere debes ingenia; atque hoc est tertium principium artis tuæ: deprehendis ingenia si astuta, peruadis si solida, percellis si subtilia, scrutaris si lateant, excurris vltra si pateant, ascendis supra si emineant; penetras dum aspicis, examinas dum alloqueris; ponderas dum audis; scis vbi deficiant, vides quò pertingant; inuenis terminos si habeant, præfigis si non habeant; metiris ingenia vt aptes te ingeniis, nec metiri posses nisi excederes.

Nec tantum excedere debes alios vt aptes te aliis, sed teipsum vt aptes te tibi; atque hoc est quartum principium artis tuæ; fieri debes maior te, & te minor; debes assurgere vltra te, debes descendere infra te; debes æquare te summis, debes aptare te paruis; nec potes aptare te aliis, nisi aptes te tibi; nec scire artem alieni ingenij, nisi scias artem animi tui. Ars es alieni ingenij, ARS ES ANIMI TVI.

EMINENTISSIMO CARDINALI IVLIO MAZARINO,

NOVA POLITICA.

NOVVM Politicæ genus quod ignorauit antiqua ætas, & ignorat nostra; quod omnes Politici quærunt, & omnes nesciunt; quod ille solus nouit qui inuênit; hæc est Politica tua CARDINALIS EMINENTISSIME, idcirco noua quia incognita aliis, & nota tibi.

Placet explorare rem ignotam; dicam de Te quod Europa dicit, nec te dicam; percurram omnes politicas nec inueniam tuam; imo inueniam dum dicam esse nouam; cognoscam, dum dicam esse incognitam, & dum probabo illam esse quam omnes nesciunt, illam sciam.

Expetiti voluit Anglus ille politicus politicam tuam, certastis diu vter pluta abjiceret, vter plura refelleret; enumerastis bella præterita, & ostendistis futura; dixistis antiquas victorias, & antiquas iacturas; quas vrbes & Prouincias intra Galliam Anglus repetit, & quas amiserit; quid fecerit dum esset Galliæ Cliens, quid precauerit ne esset amplius Cliens; quid possit Anglia si iungatur hostibus Galliæ, quid posset Gallia si iungatur æmulis Angliæ; quid si Anglia se adiungat Gallis hæreticis, quid si Gallia addatur Anglis Catholicis; quam pauca timenda à Rege iuuene, quam pauciora à Rege exule: denique contentionum hic exitus fuit; euoluit Anglus politicam suam, nec explicuit tuam; exhausit artes suas nec didicit tuas: abrupit certamen politicum dum vinci timet; & quod bellum minabatur Galliæ indixit Hispaniæ.

Percurro alias politicas quæ te nesciunt, & quas tu nosti; decennium est cum Hispania meditatur politicam tuam, nec illam attigit; tentauit illam Germania, & nondum intelligit; admiratur illam Italia, & adhuc nescit; quod admirabilius est, videt politicam tuam Gallia, & illam ignorat; videt artificem & nescit artem, videt effecta non causas; sentit beneficia, nec satis agnoscit authorem.

Vt tegas politicam tuam, sumis illam ex rebus futuris quas omnes

neſciunt, non ex præteritis quas omnes norunt; vides ineunte anno annum totum; vides intra annum decennium; ex ea ſcientia digeris conſilia, diſponis facienda, & penè facis futura; nec tantum vides annos noſtros ſed cernis externos; expendis ingenia hominum, & penè metiris; exploras arbitria & penè penetras; examinas vires hoſtium, enumeras opes, ſcis quid ſinguli poſſint, & penè quid velint; atque hæc dum vides, eludis conſilia hoſtium dum detegis; anteuertis facienda dum prior facis; ſupplantas inſidias dum in hoſtem vertis; mirantur hoſtes falli ſe artibus ſuis, & penè ſuperari à ſeipſis.

Hæc eſt politica tua ſoli perſpecta tibi, atque Regi; nouit ille ſapientiam tuam, cui tu ſapis; & tu ab illo habes vnde ſapere poſſis: ac velut primarius ille ſolis adminiſter, & Phoſphorus haurit à ſole vnde præluceat Soli, ſic tu à Rege tuo accipis lucem & reddis; luces illi & luces ab illo, & luces radiis Regiis, vt luceas tuis.

Dixi politicam tuam dum illam non dixi; probaui eſſe nouam dum probaui incognitam, oſtendi eſſe incognitam aliis, & ſoli notam Regi, & Tibi.

TROIS DEVISES SVR LE MESME SVIET.

I.

Le Nil, duquel on ne ſçait pas la ſource.

Parte ſui meliore latet.

EPIGRAMMA.

PARTE SVI MELIORE LATENT *miracula Nili;*
Naſcitur, & nondum Patria prima patet.
Et Tu parte tui neſcis meliore videri;
Facta patent orbi publica, cauſa latet.

II.

Vne Grenade à demy ouuerte.

Nobiliora latent.

EPIGRAMMA.

QVot grana oſtentat, tot ſydera punica malus;
Sydera ſub granis NOBILIORA LATENT.
Magna licet pateant de Te, maiora teguntur;
Dum te aperis, intus nobiliora tegis.

III.

Vn Ver à ſoye.

Ars pretioſa latet.

EPIGRAMMA.

ARS PRETIOSA LATET, *quâ bombix viſcera voluat,*
Deque ſuo textor ſerica fila neat.
Ars pretioſa latet, qua Tu hoſti retia texis;
Et pacem, & nobis ſerica fila facis.

EMINENTISSIMO CARDINALI, ET PRINCIPI ECCLESIÆ IVLIO MAZARINO, ELOGIVM. VICTORI INVIDIÆ.

VICTORIARVM vltima victoria eſt ſuperaſſe inuidiam; primus Eminentiæ gradus eſt facere inuidiam ſui; alter & ſuperior ſcire inuidiam pati; ſupremus & vltimus eò aſcendiſſe quò inuidia nec audet ſequi, nec poteſt.

Eò aſcendiſti, CARDINALIS EMINENTISSIME, fecit initio virtus tua inuidiam ſui; ſciuiſti illam pati dum te illa ferre non poſſet; & nunc eò extuliſti merita tua, quò inuidia ſequi non poteſt niſi per laudes.

Illuſtre Elogij genus laudari ab ipſa inuidiâ vel inuitâ; audire retractantes ſe linguas, & fatentes eam famam dignam eſſe elogiis, quam onerarant probris; nemo negabit eas laudes eſſe veras quas inuidia aſſerit; fallere poteſt hoſtis dum accuſat, nunquam fefellit dum laudat.

Nolo dicere quid de te mentiretur inuidia, malo dicere quâ Tu illam arte viciſti; obieciſti fabulis Hiſtoriam magnarum rerum; & refutaſti iniurias non verbis ſed factis: illuſtre defenſionis genus tueri ſe fortibus factis, & nobilis Apologia eſt innocens vita.

Placet admirari vitam miniſterij tui, & fines intueri quos tu ipſe præfixiſti tibi; primus miniſterij tui ſcopus fuit, finire bellum quod tu inueniſti non feciſti, & pacem ſtabilire quam ſemper propoſitam habuiſti; ignorat myſterium politicæ tuæ quiſquis de hoc myſterio dubitat; eæ ipſæ conditiones quibus impeditam à te pacem mentiebatur inuidia, rationes erant ſanciendæ pacis ſi eas admiſiſſet hoſtis qui nunc eas requirit: Quid ais inuidia? vter pacem noluit, qui rationes pacis propoſuit, an qui reiecit? iuſtas fuiſſe probat ipſe hoſtis, dum illas nunc expetit.

Alter miniſterij tui ſcopus fuit ſupplere annos Regis dum minor erat, & probare omnibus Maieſtatem Regiam nunquam iuuenem eſſe, & regnum in ætate immaturâ poſſe eſſe maturum; quam glorioſe id præſtiteris teſtatur Europa, & experitur: nemo eſt extra Galliam Rege maior, nemo intra Galliam qui non ſit minor, nemo eſt primus niſi vnus, nemo ſecundus & tertius qui non ſit ſubditus; nemo ciuis eſt hoſtis; nulla vrbs eſt intra Galliam quæ non ſit Gallica, & multæ extra Galliam ſunt Gallicæ.

Tertius miniſterij tui ſcopus fuit extendere regnum, & reddere Galliæ limites quos natura ipſa donarat: promouiſti opus, & abſoluiſſes niſi inuidia obſtitiſſet; ſed interrupit illa conſilium tuum, non corrupit: addidiſti Regno centum arces aut vrbes; addet cæteras pax publica quam meditaris, aut bellum euincet quod nunc geris.

Poſt tantas præclarè res geſtas, nihil arrogas tibi ex tot victoriis niſi nomen fidelis miniſtri, & Mercurij vices, non iouis; exploraſti ſemper mentem Regis, obſeruaſti nutus, & fortiter executus es motus: agnoſcis Ludouicum Solem eſſe te radium, pendet à ſole radius, & lucet aliena luce non ſua; & tu pendêre te agnoſcis à Rege, & luces accepta luce non tibi ſed Regi.

Molliuit inuidiam modeſtia tua, vicit fidelitas, & clementia triumphauit; nullas vnquam iniurias vltus es niſi Regias; peperciſti inuidis tuis dum ipſi vix parcerent; ſcilicet difficile parcit qui læſit, facilius ignoſcit qui læſus eſt; & tu aliquando lædi voluiſti vt poſſes ignoſcere; atque hæc eſt eminentia magnæ mentis, & poſſe & velle parcere: nulla metamorphoſis nobilior eſt quam ex hoſtibus amicos, ex inuidis facere laudatores: Laudat Te ſuperata Inuidia, MAZARINE, & fatetur falſum eſſe quod dixerat, dum affirmat verum eſſe quod laudat.

DEVX DEVISES SVR L'ENVIE.

I.

Vn Soleil faiſant de grandes ombres en ſon leuer.

Spargit longas dum naſcitur vmbras.

EPIGRAMMA.

SOl oriens LONGAS SPARGIT DVM NASCITVR VMBRAS:
Inuidiam quiuis nobilis ortus habet.

II.

Le Soleil ne faiſant quaſi plus d'ombre en ſon Auge.

Vmbras vix ſpargit in Auge.

EPIGRAMMA.

Prouectus sublime VMBRAS VIX SPARGIT IN AVGE,
Nec te audet, nec te liuor adire potest.

EMINENTISSIMI CARDINALIS IVLII MAZARINI, IMAGO VITÆ.

IVLIVS MAZARINVS ortu Romanus, origine Siculus, nullis nominibus Gallus appellari potest: fuderunt sanguinem suum illustres Proaui pro causa Gallica intra Siciliam; fudit nuper generosus Nepos intra Galliam, sæpè ipse per annos viginti vitam exposuit pro salute Regni, & diu ante gessit purpuram Gallicam, quam Romanam.

Vt paternum erga Ludouicum animum gereret, vices gessit Patrini; vt necessariam Regni curam susciperet vnus ex sex Consiliariis necessariis fuit; credidit illi Ludouicus voluntates vltimas, & si diutius vixisset, credidisset publicas: imitata Ludouicum Regina primarium Regni Ministrum esse voluit, atque vt necessarium probaret, etiam inuitum retinuit.

Qua felicitate Ministerium obierit probant plurium annorum res secundæ, quâ fide, testantur paucorum annorum res aduersæ; totis octo annis crescebant victoriæ crescente Ludouico; numerari poterant anni Regij, à captis vrbibus, & captæ vrbes à Regiis annis: iam auctior sextâ sui parte Gallia recuperabat sua, & restitui curabat aliena; decrescebat interea hostis, & felicitas nostra damnum illi, & iactura erat.

Interrupit cursum prosperitatis nostræ per hostes domesticos hostis externus; diuisit familiam Regiam vt diuideret Galliam; armauit Prouincias in seipsas; fecit hostes ex ciuibus, & ciues ex hostibus; atque vt tegeret artes suas, damnabat Ministerium vt accusaret Regnum; ipse interea auxiliaris & hostis adiuuabat clades nostras, vt restauraret suas.

Nulla est virtus quam interea fidelis Minister non adhibuerit ad auxilium Regni, & sui; adhibuit sapientiam, præuidit res futuras, antecepit pericula, & obuiam iuit malis venturis; adhibuit fortitudinem dum capiti suo nihil timuit, etiam vænali; adhibuit prudentiam dum exiuit è regno, & fidelitatem dum rediit; exiuit vt odia publica secum exportaret, rediuit vt probaret reditu suo quinam essent hostes priuati, & quinam publici.

Quam neceſſarius fuerit hic reditus, probant hoſtes dum illum improbant; interea ceſſauit bellum domeſticum & ciuile: nemo ciuis eſt hoſtis, nemo hoſtis eſt ciuis, nulla vrbs intra Galliam eſt quæ non ſit Gallica; nulla teſſera niſi amica; nulla funda niſi Regia; nemo intra Galliam eſt primus niſi vnus, nemo eſt extra Galliam Ludouico maior, nemo intra Galliam qui non ſit minor.

DEVISE.

Vne Eſtoile qui ſemble tomber.
Dum radiat cecidiſſe putant.

EPIGRAMMA.

DVM RADIAT CECIDISSE PVTANT; *ſcintillat imago*
Syderis, & ſydus creditur vmbra cadens.
Tu quoque fulgebas dum Te cecidiſſe putabant,
Intereà ſi quid decidit, vmbra fuit.

MYSTERIVM PACIS,

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM IVLIVM MAZARINVM.

MYSTERIVM Pax erat antequam eam efficeres, CARDINALIS EMINENTISSIME, & poſtquam illam fecisti adhuc myſterium eſt: ſentimus illam, & neſcimus; tenemus & dubitamus; adeo operoſum erat negotium Pacis, vt penè negemus factum quod deſperabamus faciendum.

Deſperabamus citram iraculum, & Tu eius miraculi adminiſter perſuaſiſti pacem Regi etiam victori, & docuiſti optimum genus vincendi eſſe, imponere modum victoriis: ſcilicet non æquè in bello atque in ludo fortuna ſe gerit, qui vincit ludo nihil amittit, & penès victum rotum diſpendium eſt; at in bello vincuntur populi dum vincunt, exhauriunt vires alienas, & ſuas; & dum inter pares certatur æqualis penè iactura eſt victoris & victi; agnoſcit iacturas ſuas Gallia etiam victrix, videt ſe exhauſtam victoriis, & fatetur penè ſe victam eſſe dum vincit; optimum igitur victoriæ genus eſt vincere victoriam ipſam, & ceſſare à bello victorem.

Decennium eſt cum meditabaris hanc pacem, nec citius capi hæc Troïa potuit; tentaſti Monaſterij negotium Pacis, ſed adhuc expertus immaturum, diuiſiſti rem arduam, & partem aggreſſus quæ matura erat,

feciſti pacem Germaniæ & Galliæ, olim facturas Europæ: ſic præluſiſti Paci parte altera Pacis; ſic partitus difficultatem nunc denique abſoluiſti diuiſum opus, quod totum ſimul abſolui non poterat: atque hæc eſt pars prima Myſterij.

Admirandum planè Myſterium Pacis, ſed admirabilior adhuc modus myſterij: duo homines examinant iura Regnorum, & Regum; duo capita capiunt orbem terrarum; duo Miniſtri Regij conſultant de orbe quaſi orbis adminiſtri: nec plura ingenia adhibenda erant: ſcilicet ingeniorum quoddam bellum eſt, nec tantùm armorum, & ſæpè ingeniis acrius pugnatur quam armis: difficilis eſt idem ſenſus à pluribus, ſapiunt diuerſa dum ſapere volunt, & ne nihil dixiſſe videantur dicere idem nolunt, etiam verum; tuentur deinde quæ dixerunt, & dum pro ſententiâ pugnant, nocent paci priuatæ, & publicæ: at duo ingenia facilius conueniunt, propinqua ſunt quæ parum diſtant, & facile accedunt ad vnum quæ vno numero differunt.

At qualis & quam myſticus ſilentij modus! duo Miniſtri ſciunt myſterium Regis ſui, & ſenſim illud reuelant, vt ſenſim conſentiant; nec vterque totum ante ſciuit, quàm vterque conſenſit: nemo alterius arcanum ſciuit, nemo coniecit: mirabile planè, & nouum ſilentium! duo homines quotidie ſpectabiles ſe omnibus exhibent, nemo intereà agnouit ex vultu quid ſentirent, nemo ex verbis quid dicerent: Spectatores colloquij & penè auditores, id neſciunt quod penè audiunt; ſubtiles aulici coniectores rerum futurarum ignorant hodieque non futura ſed præterita, nec dicenda ſed dicta: nec paucorum dierum ſilentium fuit ſed plurium menſium: toto eo tempore ignorauit orbis quid agitaretur de orbe: atque hic ſilentij modus adhibendus erat; infectum eſſet etiamnunc negotium Pacis, niſi fuiſſet ignotum.

Nec minus admirabilis fuit vtriuſque Miniſtri mutua vrbanitas, & vtriuſque Aulæ familiaris beneuolentia; dixiſſes eandem aulam eſſe, & eandem familiam; crederes omnes Hiſpanos Gallos, & Gallos Hiſpanos niſi accentus falleret: hic quoque tam eleganter fingebatur, vt natiuus videretur etiam fictus; nec verboſa tantùm amicitia fuit; certatum eſt inuicem mutuis donis, & epulis: biberunt Gallicè Hiſpani, & Galli Hiſpanicè: inter hæc amoris argumenta, aut nunquam fuiſſe hoſtes, aut nunquam futuros diceres.

Fouebat amicitiam æqualitas, æqualitatem amicitia; id vnum ambiebat vterque Miniſter, ne alter aut minor eſſet aut maior; omnia inter vtrumque paria, niſi vnitas, hæc quoque ex paribus conflata paritas erat: ipſe locus colloquij vt eſſet æqualis inſula erat partim Gallica, partim Hiſpanica; tentoria æqualia, par apparatus, ſedes ad colloquium ita diſpoſitæ, vt neutra eſſet ſecunda, vtraque prima: ingreſſus æqualis, par exitus:

exitus: colloquium cum nisi alternum esse non posset, sorte non arte primum fuit: æmulati eandem æqualitatem Aulici certabant inter se quis secundas obtineret non primas; & dum nemo vult esse maior omnes erant æquales.

Neque hæc æqualitas maiestatem imminuit, sed illam auxit; apparebat in vtroque Ministro Rex vterque, & vultus & gestus, & sermo supplebat absentes Reges, & exhibebat; sic ageret, aiebant omnes, vterque Rex præsens, sic sentiret, sic loqueretur, sic vellet: Ornabant eam maiestatem Aulici quibus elegantior elegantia ipsa non erat; reuerebantur Hispani Gallos, & Galli Hispanos; placebat vtriusque maiestas aliena & sua; imo neutra erat aliena, confundebatur vtraque, & confusio ipsa majestas erat.

Audiuit eam maiestatem Europa & amauit: credidit duobus Ministris quasi duobus arbitris iura & iniurias suas; nemo vlli hostis esse voluit sine alterutro Rege: nemo satis potentem se credidit, si vterque Rex hostis esset; nemo sequi recusauit quò vterque iret: sic inita est inter duos Reges pax libera, inter cæteros necessaria: O rem miraculo similem! duo homines intra breuem insulam totam administrant Europam.

Clausit negotium Paeis coniugij Regij negotium, & vtrumque negotium mysterium fuit; destinati sunt in cœlo coniuges antequam nati, ambo æquales meritis, ambo annis pares, ambo amarunt se inuicem antequam amare scirent; ambo inter arma amarunt imagines suas, & nunc ideirco Pacem amant, vt se inuicem diligant: taceo cætera amoris mysteria, vnum illud tacêre non debeo: Mysterium esse debuit negotium Pacis vt esset sacrum; Mysterium est negotium coniugij dum est Sacramentum.

AD EMINENTISSIMVM CARDINALEM MAZARINVM, FVTVRA POST PACEM.

MEDITARIS futura dum nos studemus præteritis, & admiramur præsentia, CARDINALIS EMINENTISSIME, iam intra Te sunt facta quæ nos expectamus fâcienda; anteuertis euentus futuros, præoccupas lapsura tempora, fluxêre apud Te anni venturi, vides initia rerum & fines, vides exitum currentis seculi, & ortum futuri.

Ne augêre res videat, produco experientiam testem præsentis tem-

poris, & vadem futuri: decennium est cum vidisti hunc annum; iam feceras ab eo tempore quod videmus nunc fieri; iam scripseras articulos Pacis quos hic annus descripsit; iam veneras Aquas sextias; iam Massiliam, iam Arausionem cogitabas; exequitur hic annus antiqua consilia; iterum facis quod ante iam feceras; annosum est quod apparet nouum; & annus nobis sexagesimus, intra Te est septuagesimus.

Illustris enimuero sapientia, & politicæ doctrinæ eminentissimus gradus, sapere experientia futuri temporis, antequam tempus sapiat, & venturos annos erudire dum alij eruditur præteritis; hæc est Politica tua, CARDINALIS EMINENTISSIME, proponis Regi futurarum rerum consilia, & expectas imperia; ostendis quid possit, & exploras quid velit; exequeris deinde nutus Regios, neque aliud arrogas tibi ex victoriis Regiis, nisi obsequium fidelis Ministri, & prudentis meritum.

O si licêret introspicere animum tuum! quales futurarum rerum Ideas intra Te intuêrer! audacter dico viderem illustria facinora, facienda olim, & iam facta; viderem FVTVRA POST PACEM, & narrare si scirem quæ vidi, dum alij scribunt historiam præteriti temporis, scriberem historiam futuri; & scribi potest futurarum rerum historia, quam Tu intra te facis.

Permitte vt ex innumeris futurarum rerum Ideis quas intra Te geris paucas reuelem, & dicam aliqua futura post Pacem; erit hæc pars altera mystetij Pacis, erit mysterium mysterij, nec tamen erit merum vaticinium, sed historia rei faciendæ, & iam intra Te factæ.

Prima post Ideam Pacis Idea, est Idea Religionis & fidei: nec vera esse potest fides nisi sit vna; nec Deus ipse verus nisi esset vnus; destruit veritatem fidei qui illam diuidit, & totum Deum negat qui totum non credit: pugnarent inter se Numina si essent plura, nec bello abstinerent populi quamdiu sunt diuersa credituri: Stare diu Pax Regni non poterit, si desit Pax fidei? magnum argumentum vnius fidei sunt Reges Christianissimis, idem omnes hactenus crediderunt; fuere inter Reges aliqui minus sancti, nulli fuere impij: Cur recusent credere Christiani, quod credunt Reges Christianissimi? ne fallantur, aut fallant sunt omnes Thaumaturgi.

Taceo lapsa è cœlo Lilia, Autiflammam, & plenam miraculis Ampullam; hæreditarium est Regibus Galliæ miraculum, insanabilium Strumarum remedium, non alia arte quam vera fide; succedunt Reges huic miraculo dum succedunt Sceptro; & Ludouicus Decimus-Quartus quinquaginta Regum hæres est, & mille miraculorum.

Altera mentis tuæ Idea est Majestas Regni; auxisti illam bello, auxisti Pace, quam Tu adeo glorioſam feciſti vt appellari poſſit Pax Auguſta & Iulia; cæteræ Paces Gallicæ penè fuerunt iacturæ; hæc Pax nihil ademit Galliæ, & multum addidit: reſtituti ſunt Galliæ antiqui limites; Pyrene & Rhenus ſunt fines Gallici, creuit Gallia magna parte ſui; nunquam maior vnico Regi paruit, nec maior vnquam Ludouico Rex fuit: hæc fuit induſtria tua MAZARINE tractare de Pace victorem; vicit hoſtes & bellum Ludouicus dum pugnauit; vicit victoriam ipſam, & pretium victoriæ AVGVSTAM TERESIAM.

At hæc iam ſunt penè præterita, & maiora ſunt poſt Pacem futura, cognita Tibi & nobis adhuc ignota; ſcimus publicos Pacis articulos, ignoramus arcanos; ſcimus coniugij Regij promiſſam dotem, neſcimus ſperatam; ſcimus conditiones præteriti temporis non futuri: neſcimus quid eueniret ſi hoc accideret; hæc ſcientia tua eſt, MAZARINE, præparas cauſas vt agant, & iuuas effectus vt fiant; nec mirum eſt ſi prænoſcis futura, qui illa intra te facis antequam fiant.

Tertia mentis tuæ cogitatio eſt felicitas Regni poſt Pacem futura; fabula penè eſt ſeculum aureum, hiſtoria erit ſub Ludouico Rege & Te Miniſtro; reſtitues Galliæ opes antiquas & adjicies nouas; exhauſit nos bellum triginta annorum, vicimus hoſtes, & penè victi ſumus dum vicimus; ditabit victores & victos libertas commercij, & Tu huic libertati iam intra Te prouidiſti; nulla penè regio eſt opportunior commerciis quam Gallia, coronatur vtroque mari vt exportet opes Gallicas, & importet externas; plenum eſt mare nauibus alienis, & nautis Gallicis; noſtra eſſet pars magna orbis ſi nauigaſſemus nobis non aliis.

Quarta magnæ mentis Idea eſt reparatio publicæ æquitatis; corrupit hanc virtutem tempotum malignitas, creuêre lites inter arma quæ ceſſare debuerant; ſæpè exegit debitor quod creditori debebatur; ſæpè pecunia forum corrupit, & forum pecuniam: deterior adhuc eſt ſtatus juſtitiæ vindicis, peccatur à ſceleratis impunè, quia flagitia tolerantur; creuit inter arma inſolentia, armantur ſcelera vt timeantur, & inermis iuſtitia eos timet à quibus timeri debuerat; pars tamen aurei ſeculi eſt iuſtitia, fortunatum eſſe non poteſt niſi ſit iuſtum, nec iuſtum eſſe poteſt niſi reddatur iuſtitiæ libella vt examinet iuta, & gladius vt puniat flagitia.

Quinta poſt Pacem cogitatio eſt delectus ſeuerior Magiſtratuum qui res publicas gerunt; eligatur in illis virtus magis quam pecunia aut natura; nemo ſit hæres muneris niſi ſit hæres virtutis; nunquam ſcelus benè ſeruiuit; facile decipit Regem qui Deum fallit, nemo eſt bonus alteri, ſi eſt malus ſibi.

Hæc ſunt futura poſt Pacem, & iam intra Te facta CARDINALIS

EMINENTISSIME, hæc pars aliqua consiliorum tuorum; cætera intra te latent, & intra Regem: ignosce Pictori non satis erudito vt diuinet arcana, nec satis eloquenti vt explicet; hæc certè culpa mea est sed non tota, pars aliqua tua est qui dum omnem artem excedis, omnem opprimis.

EMINENTISSIMO CARDINALI IVLIO MAZARINO, AEGROTANTI.

OPTAT VALETVDINEM CORPORIS EX REMISSIONE INGENII.

VIx aliud est quod possimus optare tibi præter valetudinem corporis, CARDINALIS EMINENTISSIME, vicisti inuidiam dum vicisti fortunam; vicisti quidquid extra te vinci potest; procurasti pacem Europæ vel inuitæ; id vnum superest vt vincas te ipsum, & pacem procures intra te: Scilicet intra te est domesticum bellum, & hostis tui tu ipse es: cessa pugnare tecum, & fruere pace quam procurasti aliis; laborat Gallia te ægrotante; publica est inualetudo tua, & pax Europæ integra esse non potest, si desit tua.

At vnde illa inualetudo corporum in magnis viris? similes esse oporteret motricibus cœlorum intelligentiis primarios regnorum administros, nec minus operosum est mouere regnum quam cœlum; at præsides illi cœlorum genij imprimunt motum cœlestibus sphæris, nec mutant locum; diuidunt subiectis elementis influxus astrorum, nec sentiant; partiuntur ætates & annos nec senescunt; fallor, sentirent impressiones cœlorum si carne constarent; mouerentur dum mouent, & dum partiuntur annos, ipsi senescerent.

Hæc origo inualetudinis tuæ, CARDINALIS EMINENTISSIME, inæquale est immortali animo mortale corpus, minus est ingenti hospite nobile licet hospitium; nec tolerat ingentes animi curas debilis caro, nec sensus satis spirituum magnæ menti sufficiunt, nec caput quamuis capax totum ingenium capit: agitat se intra hospitium generosus animus & penè egreditur; retinere vult abeuntem corpus aut sequi; inde ille organorum conatus, & labor, & dolor; obnituntur interea dolori animosa membra, & pugnant vt dolorem excutiant; excussus dolor ad pedes defluit, & dum vlterius ire non potest, ibi aliquamdiu sistit.

Permitte vt dicam aliquid de vtraque hac parte tui, de viribus ingenij & doloribus corporis: verum quis explicet capacitatem mentis tuæ nisi Tu ipse: imo neque Tu explicare te totum potes, qui te totum non capis; vides magnitudinem mentis tuæ non vides finem; vides mensuras non metas; vltra te tendis capacior te; supra te assurgis eminentior te; quæris te extra te; & postquam te inueniſti vlterius pergis, sic semper anteriot & semper sequax, nunquam te apprehendis dum semper excedis; non ita effugiunt res cæteræ extra te; apprehendis illas, & anteuertis; sequuntur te negotia non tu illa; maius negotium tibi tu ipse es; experiris te nec te totum metiris; adhuc nescis limites tui, & dum attigisti fines alienos, non attigisti tuos.

Quis igitur dicat quo ire ingenio possis, imo quis dicat quo iueris? adeo mirabilis est Historia ministerij tui, vt superet omne ingenium præter tuum: experiri te voluit vtraque fortuna, & tu ingenio vtramque vicisti: mutasti vtriusque vices, & neutra mutauit te; stetisti voluente se rota, & fuisti penè rota rotæ, & fortuna fortunæ; quod admirabilius est, rexisti eodem ingenio fortunam Galliæ & penè Europæ, & regni vtriusque administer omnium penè regnorum fortunas tractasti.

Placet distinguere triplicem Ministerij tui statum; primus decem annorum fuit, & plurium victoriatum; crescebant illæ crescentibus annis Regiis, & dum plures eodem anno crescerent vincebant annos Regios, & ab illis vincebantur; mirabantur hostes Galliæ vinci se à Rege infante, & metuebant annos viriles qui impuberes tolerare non poterant: at tu interea supplebas ætatem Regiam, addebas experientiam sapientiæ, & minores annos in puero iam exhibebas maiores; ostendebas Regi quid posset, proponebas quod eligeret, exequebaris quod vellet; pugnabatur consiliis tuis, & regiis auspiciis vincebatur; nec tu aliud ex tot victoriis arrogabas tibi, nisi laudem fidelis radij emanantis à Sole, & soli præeuntis.

Alter ministerij tui status turbulentus, nec minùs tibi glorioſus fuit; secessisti volens ex aula & regno, & tecum penè aulam & regnum traxisti; ibant ad te maiora negotia, & consilia ad Regem redibant; absens eras & præsens; extra aulam & intra illam; nec minus interea vtilis regno extra regnum, nectebas fœdera cum externis Principibus, & futuræ pacis fundamenta iaciebas; agnouit breui Gallia necessitatem tui, dum te diu carêre non potuit; probauit sapientem constantiam suam Regina Mater, dum te etiam absentem primarium Ministrum retinuit; probauit amorem Ludouicus dum amanter reuocauit; & tu probasti fidem erga Regem dum pro Gallia extra Galliam glorioſe laborasti; obstupuit ad reditum tuum inuidia, & quas in te virtutes oderat amare cœpit, aut timere.

Interruperant intereà victoriarum cursum tumultus ciuiles; pugnabant secum Prouinciæ, & Gallia victrix seipsam vincebat; at tu redux expulisti bellum extra Galliam, pugnasti intra fines hostium, renouasti antiquas victorias, & addidisti nouas; mirarus hostis mutatas tam citò fortunæ vices, expugnari arces suas, capi vrbes, periclitari Prouincias, decrescere regna, cogitare serio cœpit de pace quæ impedita fuerat; & tu amplexus occasionem quam sæpè quæsieras persuasisti pacem Regi, etiam victori; & nouo victoriæ genere fecisti vt vinceret victoriam ipsam, dum volens cessauit vincere, & maluit triumphos interrumpere quam augêre.

At quàm admirabilis illa Pax tentata diu, & tandem absoluta! mysterium adhuc est publicum & arcanum; sentimus illam omnes, & pauci capimus: Quis neget pacem illam maturæ sapientiæ opus esse, quam decem annorum consilia peperêre? quis neget mirabilem quam sub duobus Regibus duo capita conclusêre? quis neget vtilem esse, quæ Galliæ nihil abstulit, & arces, & vrbes, & Prouincias integras dedit: cæteræ paces superiorum ætatum penè à nobis emptæ, hæc penè à nobis vendita fuit; audeo dicere AVGVSTAM TERESIAM huius pacis pretium esse, malo dicere victoriæ ipsius esse victoriam; quid si addam sciri à nobis publicos pacis articulos, nesciri occultos: patebunt illi in dies, & glorioſæ pacis mysteria reuelabunt; quâ etiam in re apparet ingenium sapientiæ tuæ, obstruere poteras omnia ora si omniâ pacis arcana simul detexisses, mauis partiri illa annis venturis: & sic nouam pacem singulis ferè annis distribuis: tacete linguæ maleuolæ, nunquam sub Rege vno Gallia maior extitit; nunquam Rex maior Ludouico fuit.

Post eos pacis & belli labores quis quietem non caperet? quis câ pace quam aliis procurauit frui nollet? quis non sisteret prouectus ad summum? at Tu ibi non sistis, MAZARINE, præludium est ingenij tui quod aliis fastigium esset, extendis te vltra te; meditaris altiorem adhuc Galliæ fortunam, excogitas nouas victoriæ vias, & vltra fines gloriæ nouos gloriæ tramites quæris: ac velut præsides cœlestium sphærarum genij, nec quiescere orbem sibi creditum sinunt, neque ipsi quiescunt; ita tu maiora meditaris post magna? cum hoc tamen discrimine, remetiuntur orbes cœlestes idem iter, tu nouas gloriæ vias, & nouos victoriarum limites quæris post vltimos fines.

At quis explicet eas ingenij tui vias nisi tu ipse? ô si intueri liceret ideas mentis tuæ? viderem intra te digestos plurium ætatum successus & euentus; viderem annos futuros iam præsentes, viderem facienda iam intra te facta; viderem florere lilia vbi olim florebant; viderem antiquos Galliarum limites, & viderem nouos; viderem quid sentias te Angliâ, quid cogites de Hollandia, quid mediteris de Germaniâ, quid moliaris de

Europa ; viderem decrescentem lunam, & solem crescentem; viderem restitui fidem Romanam vbi olim erat, viderem eò inferri vbi non fuerat; viderem quid cogites de Italia, & quid cogitet de te Roma ; viderem plura, nec inuenirem fines ingenij tui, quos tu ipse non inuenis.

Ij sunt ingenij tui ludi, & labores corporis MAZARINE, ire eodem gressu non possunt corpus & animus; & tamen amant se inuicem, & vellet partem vnam sequi pars altera, & ire neutra vult sola; sed eunt ambo non æquis passibus; ludit ingenium tuum etiam dum excurrit, lustrat Prouincias, explorat regna, percurrit Europam, & Asiam; post tot itinera redux ad corpus fatigatum inuenit, & penè exhaustum: scilicet conatur ire cum animo, & dum sequi non potest se exhaurit: atque hæc est inualetudinis tuæ causa, MAZARINE, tolerare ingenium tuum corpus non potest, nisi tu ipse te adiuues.

Moderare igitur ludos ingenij tui, & labores corporis: nec tamen volumus vt sistas, sed vt lentius eas; exhausisset sol vires suas si tecum curreret; at ille æquali gressu per signa Zodiaci graditur, & per monstra: & Tu æquali gressu incedis nec minus celeri: Eget valetudine tua Gallia & Europa; & vtraque gratulatur restitutam Tibi partem sanitatis, & precatur totam: Ego felicem annum sexagesimum opto, & ab illo centesimum.

EMINENTIÆ TVÆ,

Addictissimus & humillimus seruus, PETRVS L'ABBE'.

EMINENTISSIMO CARDINALI PRINCIPI ECCLESIÆ IVLIO MAZARINO, VOTVM DIVTVRNÆ VITÆ.

PErmitte vt longos voueam tibi Nestoris annos;
Vna Tui Regno & Regi non sufficit ætas,
Optamus tria secla tibi; tot stamina vitæ
Fatidicæ heroi Pylio neuêre Sorores,
Et breuius meritis filum fuit; ille Pelasgis
Principibus belli socius, magnique Minister
Atridæ, pacem & bellum tractabat inermis:
Parebant Reges monitis; mittebat Achillem
Et reuocabat iter; magnisque Aiacibus Aiax,
Et Ducibus Ducis instar erat; sine Nestore Troia

Staret adhuc ; Priamuſque Aſiæ Regnator, & ingens
Gloria Dardanidum ; mendax eſt fabula Pallas,
Includenſque acies equus, inſidiæque Sinonis ;
Vendidit Antenor Patriam ; Æneaſque Penates,
Neſtor vtrumque emit ; Regnumque, Aſiamque Mycænas
Tranſtulit, & longæ vidit tria ſecula vitæ ;
Et meruit vix poſſe mori.
Hæc vmbra eſt, MASARINE TVI, *Tu Neſtore maior,*
Et geminis tuus eſt maior Lodoicus Atridis,
Nec magni Aiaces deſunt ; & maior Achilles,
Et centum Troianæ arces, & Pergama centum,
Conſiliis cecidere tuis ; ſi vincere pergis
Europæ iunges Aſiam ; nec inutile votum eſt ;
Imperium Francis quondam ſeruiuit eoum,
Et Francos noua luna timet ; nec vana Sibylla
Eois iterum promiſit lilia terris,
Et poterant ferri, ſi Flandria victa Damaſcus ;
Si Dunkerka Rhodus, Sidon Grauelina fuiſſet ;
Pacanda eſt Europa priùs, Regique marito,
Et Matri, & Francis vngendus Liliger hæres ;
Tunc belli ſocius Francis heroibus ibis,
Aiaceſque nouos, vetereſque videbis Achilles,
Et veterem Neſtor Troiam, & noua Pergama vinces,
Iam triplex ætate ſenex.

TROIS DEVISES SVR LES ARMES DE L'EMINENTISSIME CARDINAL MASARIN.

I.

Vne Hache Romaine droite.

Nullæ inflexére procellæ.

EPIGRAMMA.

Romanos faſces NVLLÆ INFLEXERE PROCELLÆ ;
Non Aquilo, & quidquid flaminis auſter habet.
Hoc animi eſt Emblema tui, ſtetit integra virtus,
Et dum nutaret Gallia ; Roma ſtetit.

II.

Vne Hache Romaine éleuant ſa pointe en l'air ſous vne bande.

Ne noceat ſublime micat.

EPI-

EPIGRAMMA.

NE NOCEAT SVBLIME MICAT *Romana ſecuris,*
Et timet vlciſci quos violare poteſt.
Fruſtra illam retinet ſublimis faſcia rectam:
Sponte ſua vt poſſet parcere, recta foret.

III.

Trois Eſtoiles.

Prudentia triplex.

EPIGRAMMA.

VNa aliis, *innata tibi eſt* PRVDENTIA TRIPLEX,
Et tota hæc virtus eſt MASARINE TVA,
Præluces Regno, & Regi, fideique Miniſter,
Vnica ſtella aliis, eſt tibi ſtella triplex.

NOBILISSIMI DOMINI
D. PAVLI MANCINII,
NEPOTIS CARDINALIS MAZARINI
EPITAPHIVM.

STA VIATOR:

VBI *nobilis iuuenis fortuna ſtetit:*
Hic eſt PAVLVS MANCINIVS;
Equeſtris turmæ leuioris Præfectus:
Origine Italus, animo & voto Francus fuit:
Non ſatis dixi,
Et Gallus eſt ſanguine quem pro Gallia fudit:
Nec minus eſt donare ſanguinem Galliæ, quam debére:
Ad Stampas cadere ſub ſe Equum vidit, nec cecidit:
Ad Lutetiam plumbea glande perfoſſus mori vix potuit:
Diu intra viſcera retinuit glandem, & mortem,
Superauerat illam, niſi inter inteſtina latuiſſet.
Inuiſit agrotantem LVDOVICVS, *& amauit:*
Ipſe id vnum innuebat oſtensâ ſanguinis purpurâ,
Mori ſe Nepotem Cardinalis pro Rege purpurati.

Obiit anno ætatis decimo-septimo.

Ostensus tantùm terris, si fata tulissent,
Qualis erat? florem maluit esse Deus.

EMINENTISSIMO CARDINALI ET PRINCIPI ECCLESIÆ FRANCISCO DE LA ROCHEFOVCAVLT,

EPISTOLA PHILOSOPHICA.

QVod Philosophamur hoc viuis, quod speculamur hoc agis, quod profitemur hoc sapis, CARDINALIS EMINENTISSIME, vita tua vera Philosophia est, quia idem semper putasti, viuere, & sapere: nemo ferè hoc seculo diutius quam tu sapuit, quia nemo sapere incepit prius: cœpisti sapere, cum cœpisti viuere: & vix addiscenda à te fuit sapientia, quia vix in te differt à naturâ; creuit illa tecum, & quæ præcedere vitam, non potuit, superauit ætatem, diu ante infulâ dignâ, & purpurâ, quam palleres sub illâ, & sub istâ ruberes: Hic est vitæ tuæ status priuatus, alter est publicus: amauit te adhuc Episcopum Claromontensem Henricus Magnus, optauit tibi purpuram Romanam, & dignum putauit qui occupares Cathedram; approbauit hoc iudicium Romanæ curiæ pars melior, maior probatura erat, si omnes Baronij aut Bellarmini fuissent; sentiebat vterque de Te quod tu de vtroque sentiebas; optabat vterque tibi eam dignitatem quam nolebat sibi; digni omnes sede Petri dum se arbitrantur indignos. Quanti æstimarit hoc paternum & Romanum judicium probauit Ludouicus, dum te primarium Ministrum Consiliis Regiis præesse voluit; præfuisti aliquamdiu, sic administrans Galliam quasi Ecclesiam; & breui consecrasses aulam, si sequi illam voluisses diutius, cum illa vellet te sequi: sed nimirum fugisti honores Gallicos, qui recusaras Romanos; neque ea est laboris fuga quem semper ambiisti; testis illa vox tua dum diœcesim Episcopus peragrares, sic ibat Abraham terras lustrans, & astra numerans. Et nunc præludis æternitati intra tempus; auspicaris vitam futuram; merêris aras quas aliis excitas; Illustras Patronam Parisiensium Genouefam, olim ipse inter Patronos futurus; interea implorat patrocinium tuum mea Philosophia, vel hoc nomine quia tua est, dum liberalitatis tuæ est alumna.

EIDEM EMINENTISSIMO CARDINALI FRANCISCO DE LA ROCHEFOVCAVLT, ELOGIVM LIBERALITATIS.

ALVMNVS liberalitatis tuæ, non facio arroganter si beneficia laudo quibus viuo, CARDINALIS EMINENTISSIME, id etiam homini erga Deum licet, adorare beneficia quæ exæquare non potest: Tecum nata est liberalitas, & vix in te differt à natura, tecum creuit sed maioribus augmentis quam ætas tua; iam magna erat in te cum puer esses, robusta cum adolescerem, mascula in viro; matura in te sene; adhuc integra est post tot annos; adhuc dives post effusas diuitias; adhuc plena postquam impleuit omnia; similis fonti qui post omnes effusiones sui adhuc seipso plenus est, breui exhauriendus si effunderet alienum; semper plenus quia effundit seipsum; hæc liberalitas magnum te Galliarum Eleemosynarium creauit, qui ante creationem iam talis eras; & nunc post abdicatum sponte officium adhuc talis es, sed hoc discrimine; præsidebas antè largitionibus Regiis, nunc præfectus es tuis; & dum elargiris tam multa, qualis semper fuisti, nunc etiam magnus rerum tuarum Eleemosynarius es. Quis numeret occultas Eleemosynas tuas? quas tu idcirco arcanas esse voluisti vt soli Deo paterent; id satis publicum ratus quod Deus videt: De publicis hoc vnum dico, nullus est ordo pauperum qui te non agnoscat vt Patrem, nulla domus Religiosa quæ te non amet vt protectorem: fundasti literarum seminaria, vt sapientia tuis stipendiis viueret; erexisti pauperibus Xenodochia, vt miseriarum hospes esses; extruxisti ægris insanabilibus Nosocomia, vt mortem ipsam cogeres viuere; ipsæ ædes tuæ dum omnibus egenis patent, quid aliud sunt quam charitatis domicilium? & dum quotidiana mendicis alimenta subministras, nonne habes quotidie domesticum & conuictorem Deum? nec clauditur limitibus Galliæ liberalitas tua; penetrauit in nouum orbem, quasi hic sit angustior, peruasit externas Prouincias, & dum vno in regno resides, omnium regnorum populárem te facis: illic solaris lacrymas quas non vidisti, emollis gemitus quos non audiisti, adiuuas egestatem quam ignorasti: mirantur externi homines amari se & ignotos esse, videri se ab absente, adiri à remoto; in-

ſtruuntur exemplis quorum authorem non vident, diſcunt credere ex fide tua, excitantur vt ament Deum in te, cui ſe vident amabiles propter Deum; ſed prouehitur altius largitas tua, dum erga ipſos Cœlites liberalis es; debet tibi aliquid Genouefa cui tantum debet Lutetia; reſtauraſti collabentis templi ruinas, reparaſti ſacraria, ornaſti aras; reddidiſti Abbatem Ordini, reſtituiſti diſciplinam Clauſtris, & tot ac tantis beneficiis Genouefam cumulaſti, vt quam Pariſienſes agnoſcunt Patronam, tu eius ferè Patronus appellari poſſis: Soli immortales Cœlites norunt quot illis altaria extruxeris, quot calyces conſecraris, quot donaria obtuleris; atque haud ſcio an ab alio libentius aras admittant, quam ab eo quem nunc ita ſpectant mortalem, vt olim immortalem dignum altaribus videant: Neque otiosè viuis inter ſanctorum Reliquias, olim ipſe ſacer futurus; honoras Cœlites, & honorem mereris; excitas altaria aliis & fundas tibi; attigiſti annos Genouefæ, & virtutes imitaris. Miratur Gallia Cardinalem octogenarium ire rectum ſub tot annis, agere Cardinalem ea ætate quâ alij vix agunt hominem; fulcire Eccleſiam dum alij ſunt fulciendi; ſcribere libros dum vix alij legunt; impugnare hæreſim vt eam ſepeliat, quam naſci vidit; præſidêre Gallicanis Synodis eo iudicio quo poterat toti Eccleſiæ præſidêre; domum ſuam perpetuam Synodum facere, in qua viri eruditi de virturibus deliberant, & poſt multa conſilia vincuntur à liberalitate tua, quæ plura exequitur quam illi conſulant.

Hæc laus aliqua liberalitatis tuæ, cuius & nos pars aliqua ſumus; indigna quidem beneficiis tuis, ſed non ingrata; idcirco laudamus beneficia quibus viuimus; amamus authorem, & gratias agimus non quales debemus ſed quales poſſumus.

INNOCENTII DECIMI SVMMI PONTIFICIS, ELOGIVM.

I.

DIGNVS eras Pontificia Tiara antequam gereres P. M. destinabaris honori supremo adhuc priuatus; fuêre qui de te dicerent, post aliquor annos hic Papa erit; feciſti vbique Prophetas tui, viſus es diu antè qualis eras futurus; antecessit vox populi vocem Dei; ſi vtraque tempora iungas ſuperabis annos Petri; antequam Petro ſuccederes, diu ante ſucceſſor fuiſti.

II.

PRÆPARARVNT te huic dignitari magna priuilegia naturæ, & maiora gratiæ; Columba, Oliua, Lilia gentiliriæ teſſeræ, nomen ipſum Pamphilij, virtus, ſcientia, experientia, deſtinarant te Sedi Romanæ antequam ſedêres; elegerunt te vota ante ſuffragia; agnouêre te oues nondum Paſtorem; coronatus es ante Tiaram; & penè antequam eſſes iam Papa eras.

III.

SANCTITATIS ſymbolum columba eſt penè ipſa ſancta; emiſſa à Noëmo libera eſſe noluit periclitante mundo: rediit ad arcam fidelis, reditura ad Eccleſiam; nec hoſpitari voluit intra mundum adhuc ſceleribus madidum: Altius ire cum columbâ placet, hæc diuini ſpiritus ſignum & penè ſigillum eſt; deuolauit ad Chriſtum Deo plena, incubuit Deo, & impreſſit Deum: Diuiniratis penè Vicaria eſt, & Tu Vicarius; obtulit Noëmo oleæ ramum, offert tibi Pamphilio ramum, & Innocenrio Deum.

IV.

DEBEBATVR temporibus noſtris olea tua vt pacem afferret Europæ vel inuitæ; hæc eſt temporum noſtrorum conditio, omnes pacem volunt, omnes nolunt; impedit eam victoria & iactura; nemo vult eſſe minor etiam victus; Procurarores Pacis examinant iura priuata, non publica; pugnant Miniſtri ne pugnent Domini; nec minus operoſum eſt conciliare ſeruos quam Dominos; deberur Pax oleæ tuæ, & Columbæ; vtraque repreſſit antiquum diluuium, & arcebit nouum.

V.

NIHIL habes inter tesſetatia ſymbola nobilius quam Lilia; venerunt olim è cœlo in Gallias, nec mutarunt originem dum tranſierunt ad te: ne fruſtra ſit hæc communitas florum, gentilitia habes Lilia Gallica, habeant te Lilia Gentilitium; pars magna tui Gallica eſt, talis eſſe debet pars magna tui: ama flores è cœlo lapſos, ama Lilia Innocentius, quæ amaſti Pamphilius.

VI.

PAMPHILIVS amabile nomen præluſit Innocentio dum Innocentem te fecit; amaſti ſemper omnes, amabilis omnibus; feciſti delicias tuas genus humanum, & te generis humani delicium; nec mirum ſi te elegit orbis in Paſtorem, quem iam amor Paſtorem fecerat; pauiſti orbem Pamphilius, & nondum Innocentius; mutaſti nomen non officium; imo neque mutaſti nomen, nemo poteſt eſſe Innocentius niſi ſit Pamphilius.

VII.

FVNDARVNT hunc amorem indoles & virtus, ſi tamen indoles à virtute differt; attuliſti tecum ſemina virtutis; auxiſti ea cum indole; creuit tecum innocentia, & nulli minus nocuêre vitia quam tibi; talem oportebat eligi Pontificem qui ante conſecrationem ſacer, & ante ſanctiſſimi nomen iam ſanctus eſſet.

VIII.

NEc minor eſſe debet Pontificis ſcientia quam probitas; ſcire orbem debet vt orbem regat, & Vicarius diuinæ potentiæ, debet penè eſſe Vicarius ſcientiæ; hæc eſt ſcientia tua, Innocenti ſapientiſſime; didiciſti antiquas diſciplinas, addidiſti nouas; ſcis jus vtrumque quaſi inuenetis, & poſſes inuenire vtrumque ſi nullum eſſet; ſcis illuſtrare vnum altero; ſcis emendare vbi fallit, ſcis ſupplere vbi deficit: ſcis interprerari vbi obſcurum, ſcis conciliare vbi contrarium, ſcis facere, vbi nullum; euoluiſti totam ſapientiam quaſi Rotam: diu auditor Rotæ diu Magiſter fuiſti: audiuit illa te adhuc Pamphilium, nunc audit Innocentium.

IX.

NEc ſterilis ſapientia tua ſed negotioſa fuit quaſi Rota; rexiſti diu orbem conſiliis tuis antequam regeres imperiis; circuiuit Europam experientiæ tuæ ſalutaris Rota; vidiſti Galliam, luſtraſti Hiſpaniam, expertus es ingenia, didiciſti mores, fuiſti Auditor orbis, fuit orbis Auditor tui: exploraſti oues nondum Paſtor, & futurus Paſtor populorum feciſti Te omnium regnorum popularem.

X.

DENIQVE ascendisti per omnes gradus ad supremum; proximus eras Tiaræ cum attigisti; Innocens eras ante Innocentium, nonus ante decimum; addita est tibi authoritas non dignitas, & penè declaratus es Papa non factus.

XI.

TALIS debebatur orbi Pontifex qui repræsentaret omnes, & vnus esset; talis eras adhuc Pamphilius, talis nunc es Innocentius; apparet in te antiqua Roma, & videtur noua, viuunt in te nouem Innocentij, & gaudent esse pars decimi; reuiuiscunt in Te Vrbani, Clementes, Pauli, Pij; erant omnes amici in Te Pamphilio, nunc sunt Collegæ in Innocentio.

LIBER QVINTVS.
ELOGIA ILLVSTRIA.

ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. PETRO SEGVIER,
GALLIARVM CANCELLARIO.

ELOGIVM GENTILITIVM.

INVENI artem laudandi Te, & tacendi de Te, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME; abſtinebo laudibus tuis, & illas dicam; laudabo te etiam nolentem laudari; offendam modeſtiam tuam, & illam non lædam, obſequar tibi, & morem non geram, & Tu laudari voles dum laudes prohibes.

Ad laudem tuam pertinent Maiores tui; interiit eorum vita non fama; vixiſti in illis omnibus ſed non totus; viuunt in te omnes ſed tantum pars Tui; antecedunt merita tua, & ſequuntur; Maiores ſunt & minores te, nec dedignantur minores eſſe, vt ſint Maiores tui.

Nec laudari igitur poſſunt ſine te quia ſunt portio tui: nec tu eorum laudes odiſſe potes, quibus hoc ex parte debes vt laudabilis ſis: laudat te eorum gloria, & tu illis gloriam addis; creſcunt ex te, et eſcis ex illis; mutua laus veſtra eſt, & alternum elogium inuicem eſtis.

Nec tamen enumero omnes Maiores tuos, ne plures ætates enumerem; intra hoc vltimum ſeculum tot floruêre anteceſſores tui, vt ex Seguieriis Conſiliariis, ſi ſimul viuerent, Senatus integer, ex iiſdem ſupplicum libellorum Magiſtris Conſilium publicum ſub te capite; ex om-

nibus Zodiacus Iuſtitiæ conflari poſſet ſub Te ſole.

Auus tuus PETRVS SEGVIER, Regius in Curia Aduocatus Iulij III. ſummi Pontificis, & Henrici II. cauſam ſic egit, vt vtriuſque Patronus, vtriuſque Cliens, pro vtroque vicerit, dum neuter vicit: mirata eſt Gallia in eodem oratore vigentem antiquam eloquentiam, & naſcentem nouam; debet illi antiqua Eloquentia quod non perierit, debet illi noua quod cum eo nata ſit; Electus in Præſidem Henrico II. & Carolo IX. gratioſus fuit: perſuaſerat vtrique magna ſi longius vixiſſent, additurus triumphos ſi addere annos potuiſſet; ipſe dum mori Reges videt quæſiuit Dominum qui mori neſciret: addixit ſe totum Deo dum librum edidit de rudimentis cognitionis Dei & ſui: probauit ſe eruditum dum de Deo magna ſcripſit, probauit ſe humilem dum rudimenta appellauit, probauit ſe pium dum eam ſcientiam liberis teſtamento reliquit; inde illa SEGVIERIIS familiaris Pietas, quia hæreditaria, inde illa domeſtica Sapientia, quia Gentilitia.

Ex iis liberis primus ita expreſſit Patrem, vt diu penè cum Patre confuſus ſit: ex Conſiliario Præſes diu Parentem repræſentauit in Senatu; amabatur in Patre filius, in filio Pater, ſpectabatur abſens, loquebatur mutus, audiebatur rediuiuus, numerabantur duo, & erant vnus: pretioſa fraus, innocens mendacium ſic imitari Patrem vt eſſe videaris, ſic lucêre vt dubitetur vter Sol, aut imago ſit Solis.

Alter liberorum PETRVS SEGVIER, ex Conſiliario Prætor, ex Prætore Præſes Curiæ, Maieſtatem Senatus ita ſuſtinuit vt ipſe penè eſſet inſtar Senatus; ſæpe ad Reges Senatus nomine verba fecit, quaſi publica Senatus lingua; ſæpe pro Curia pugnauit quaſi Curiæ dextera: diſſidebant Senatus Gallicani de dignitate, ipſe Maieſtatem Curiæ Pariſienſis ſic defendit vt primarios aliorum Senatuum Præſides ſubiecerit poſtremis Pariſienſibus, docueritque & Lutetiam eſſe vrbium maximam, & Senatum vrbi eſſe æqualem: Nec eſt obſcurum illud Seguierij Elogium, Senator amauit Senatum æquè ac domum; Præſes adminiſtrauit rem publicam pari fide ac ſuam; nec oblitus eſt ſe eſſe iudicem dum egit Patrem.

Tertius fluminum & ſaltuum Regiorum Præfectus aptauit vitam officiis, & inde collegit ſanctitatem; arbitratus ſe fontem eſſe debere dum aquis regiis præeſt, inuitabat omnes vt ex ſe haurirent tanquam ex fonte; nemo abiuiſſet ab eo pauper ſi omnes ditare potuiſſet; dixiſſes Præfectum eſſe miſeriarum non fluminum; deleuiſſet omnes ſi deleri aquis potuiſſent; ex Præfectura ſaltuum collegit amorem ſolitudinis, viuebat extra Aulam inquilinus Aulæ, publicus erat & ſolitarius; inueniebat Deum in Rege, Cœlum in Aula, ſolitudinem in turba, prælibabat æternitatem intra tempus, & mortalis adhuc vitam auſpicabatur immortalem.

Quartus Eccleſiæ Pariſienſis Decanus, & primi Conclauis Senator Clericus, diuiſit ſe duobus officiis, nec officia confudit; ſociauit pietatem Iuſtitiæ vt ſociaret virtutes; egit Senatorem in templo dum Curiam adminiſtrauit quaſi Eccleſiam; egit Sacerdotem in Senatu dum Senatum mutauit in templum; vtrobique pius & iuſtus, Senator & Sacerdos, arbiter & iudex; vtrobique diuerſus, & tamen vnus: vt ſcias pretium hominis, audi qualis non fuerit, non fuit Abbas, non fuit Epiſcopus, id totum non fuit quia eſſe recuſauit, imo id totum fuit dum eſſe noluit, ſcilicet hæc vera magnitudo eſt velle humilia, & mereri ſumma.

Quintus Antonius Seguier per omnes Togæ gradus aſcendit ad ſummum, tunc dignus ſupremo Magiſtraru cum exerceret infimum; ex Patrono publico Aduocatus Regius, ex illo Conſiliarius, ex Conſiliario ſupplicum libellorum Magiſter, ex eo Præſes in Senatu totum Themidis cœlum adeò glorioſe decurrit, vt nulli debeat incrementa ſua niſi ſibi: Æſtimator magnus meritorum Henricus magnus accerſitum ad ſe laudauit his verbis: Et tu, inquit, eâdem arte Regem poſſides quâ ego Regnum, ego enſe meo, tu meritis tuis: ſic laudatum legauit ad Venetos, idcirco vices Regias ei committens quia dignum inuenerat quem compararet ſibi: miratæ ſunt Venetiæ in vno capite omnium virtutes Nationum, & magnitudinem Henrici veneraræ ſunt in dignitate legati: temperauit eam Maieſtatem amore pauperum, ex quibus eos maxime amauit in quibus nihil erat amabile præter Deum. Parum habuit ſolari præſentes abſentibus, niſi proſpiceret; audiuit eorum gemitus qui gemere adhuc non poterant; deterſit eorum lacrymas qui flere adhuc neſciebant; impediuit eorum interitum qui nondum vitam ingreſſi erant; prouidit exponendis Infantibus matres, patrocinium viduis, aſylum puellis; fundauit domos futuris etiam miſeriis profuturas; nec plura de eo homine cuius elogium miſeriæ ipſæ prædicant, ſcilicet fecit eas eloquentes cum fecit felices.

Sextus fuit Ioannes Seguier Cancellarij Pater, hic ſtetit in gradu vertente ſe rotâ, runc immobilis cum nutaret fortuna; probauit fidem erga patriam dum ſeruiuit iratæ; probauit amorẽ erga Reges cum amauit minus felices; ſecutus eſt Henricum III. penè fugientem; adhæſit Henrico IV. cùm ſperare nihil ab eo poterat niſi periculorum Societatem: arbitratus ibi exilium eſſe vbi Regem non videret, carêre ſponte voluit Pariſienſi Præturâ, quia Pariſij carebant Rege: Henricus cum diuidere ſuis nihil adhuc niſi pericula poſſet præfecit eum S. Dionyſio, vt inde Pariſios regeret, nec ſpes Regem fefellit, exul Pariſiis Seguierius Pariſios rexit; dixit ius ciuibus vbi ciues non erant; euocauit ad ſe Lutetiam cum eam adire non poſſet; conciliauit Patriam Regi; adiunxit Henrico Galliam dum adiunxit Lutetiam, & dum induxit in vrbem triumphantem Regem,

ipſe pars aliqua triumphi fuit : nihil deerat vitæ tam glorioſæ niſi corona ciuica, meruit illam dum mortem obiuit pro Patria ; ſucceſſerat bello peſtis, quam idem extinguere voluit qui bellum exrinxerat; afflauit eum peſtis halitu mortis, & odore immortalitatis, obiit Prætor Lutetiæ, & ſæpe Parer Patriæ.

Hi ſunt Maiores tui, CANCELLARIE ILLVSTRISSIME, non parum ad prolis laudem pertiner naſci ex bono ſemine tranſit in liberos cum ſanguine imago Patris, & licet omnis ſanguis concolor ſit, ſæpè ramen in eo imagines apparent diſcolores: ſucceſſiſti Maioribus iuſtis vt iuſtus eſſes, domeſticam habes iuſtitiam quam alij habent accerſiram; cœpiſti bonus eſſe antequam eſſes, & poſtquam exritiſti ferè neceſſariò es bonus: dum es Seguierius.

Ita ramen ſuccedis magnis Maioribus vt illis ſis maior, debes illis primum gradum magnitudinis tuæ, debenr illi tibi ſupremum ſuæ, viuunt inrra re omnes ſed non implent re, collegiſti ſparſas per ſingulos virtures, & inde cœpiſti maior eſſe.

Nec plura de re quia prohibes plura; inuêni tamen artem laudandi te, & racendi dere, dixi alienas laudes & dixi tuas; dicam tuas, nec alienas cum ceſſabis prohibere.

ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. CAROLI DE CREQVY,
DVCIS, PARIS, ET MARESCALLI GALLIÆ.

ELOGIVM FVNEBRE.

STA VIATOR.

AD ſonitum ruinæ, & mirare, vel time.
Tormento bellico CREQVIVS *occubuit; minori telo non poterat:*
Eminus mors peremit, non auſa è propinquo ferire;
Priori ictu pulueren excitauit, vt inſidias tegeret,
Altero globo peremit, dum caueri ictus non poteſt;
Abruptum eſt corpus in membra, ne integrum mori non poſſet;
Quod colligi potuit hic jacet, magnitudo cladis vbique eſt:
Nec tamen incautum mors oppreſſit,
Ea die æternitati ſtuduerat;

Ante horam ſacramentis ſe munierat, ne imparatus obiret;
Horam alteram non ſubtraxit æternitati, dum impendit Regi;
Sed audi aliquid prodigio ſimile, vel miraculo:
Appenſam è collo crucem fatalis globus impreſſit cordi;
Senſit cor admotm ſibi Deum, & amauit;
Emendauit amores humanos hic amor vltimus,
Clauſit vitam in vulneribus propriis, & in vulneribus Chriſtis
Reperiri vltrà in terris cor ereptum non potuit;
Duæ res ſurſum extulerant, crux quam attigit, amor quo arſit;
Poſtquam attigerat Deum tegi humo non debuit:
Nec ignotus æternitatem ingreſſus eſt;
Ad quam tot opes præmiſerat:
Vt feſtiue beneficus eſſet
Præmittere ſe aiebat ad cœlum diuitias, ne illic pauper eſſet.

ABI VIATOR.

Et prouide æternitati.

REDI VIATOR.

Et diſce qualis Crequius fuit dum vixit;
Centum heroum nepos, omnium virtutes ſuas fecit,
Gentilitio clamore bellico dignus.

A Crequy, Crequy le grand Baron, nul ne s'y frotte;

Domeſticis titulis Ducem, Parem, & Mareſcallum addidit:
Comeſtabilis de Leſdiguieres Gener,
Comes omnium pugnarum merebatur honores ſtabilis Comitis;
Nulla eſt Prouincia Galliæ vbi non pugnarit, & vicerit;
Apud Subalpinos eo propugnante Verruca vna non periit;
Eo impugnante Verruca vna non ſtetit:
Legatus extraordinarius apud Romanum Pontificem,
Oſtendit Romæ quid Roma poſſet ſi Gallia protegeret;
Quid non poſſet, ſi Gallia deſereret:

ABI VIATOR, ET LVGE.

Vir ille quem Roma ſuſpexit
Apud Bremam interiit.

PROSOPOPEIA BREMÆ, AD MARESCALLVM CREQVIVM.

BREMA *meis famosa malis, mea funera ploro*
Dum funus deploro tuum; tecum inclyta starem,
Staret adhuc si vita Tibi: fugisset Iberus
Præsentem Crequium, qui sæpe ad nominis vmbram
Palluit, & fugit quem non aspexerat hostem:
Armatæ facilis seruasset mœnia Bremæ,
Qui nuper Verrucæ hostem defendit inermi;
Et nunc vincendi limes Brema esset Iberis,
Et via vincendi Francis; sed ô aspera fata!
Fata tibi, dira atque mihi! mors inuida laudis,
Absentem Crequium immaturo funere mersit,
Et funus me mergit idem: mallem esse Mapale
Exiguum, vel qualis eram sine nomine vicus,
Et soli notus pecori, quam Martia Brema,
Aut soror, aut hostis nimium vicina Casali;
Magna mihi fortuna nocet, clarescо ruina,
Et damnis sum nota meis; seruire duobus
Impellar Dominis, captiua vtrique futura,
Et neutri mansura cliens, dum victus vterque
Et victor succedet Herus; sic semper egena
Alternas mutabo vices, vt præda prioris
Et Domini sim præda noui; sic carnis egenum os
Mussantes rodunt catuli, retrahuntque, trahuntque,
Hic prædam nunc fauce rapit, nunc eripit alter,
Mutat præda vagas fauces, nec vulnera mutat;
Iamque ossi vacuo solus vix nidor adhæret,
Ipse etiam mordetur odos; hæc fabula Bremæ est.

ILLVSTRISSIMI HEROIS IOANNIS TOERASII, GALLIÆ MARESCALLI, EPITAPHIVM.

STA VIATOR VBI TOERASIVS STETIT.

Hic eas virtutes habuit, quas in heroïbus antiquitas finxit;
Et quod in illis fabula, in hoc historia est.
Fecerant eæ virtutes Regi amabilem, quia fecerant similem,
Præfectus Rœanæ Insulæ virtutem instar arcis esse docuit,
Dum vrbem sine mœnibus, & arcem sine arce defendit:
Victus est ad Rœam duplex exercitus nauium & hominum;
Mirata Anglia victam se à nullo penè milite,
Desperauit Rupellam in Rœa, & Galliam in Rupellâ:
Datus Casali propugnator, Spinolam hostem habuit, non victorem;
Ille vrbes capere docuerat, nisi docuisset iste seruare:
Dum vincere vterque vult, & neuter potest;
Casale vtrique diuisum est, vt vterque vinceret:
Inter inducias Spinola mori maluit, vt inuictus obiret;
Maior Toërasio futurus, si eum vicisset,
Nec tamen minor dum post mortem victus est.
Post eas victorias Marescallus à Rege creatus,
Dum gloriam vincit, non vicit inuidiam;
Extulit tamen hæc inuidia Toërasium non depressit;
Stetit in gradu vertente se rotâ;
Et probauit amorem Patriæ, dum seruiuit irata;
Nec inutilis fuit Galliæ, dum iuberetur esse:
Euocatus Romam meruit admirationem vrbis, & Vrbanis
Repræsentauit Romæ Camillos, Scipiones, Marcellos;
Et spectasse omnes in vno Roma credidit.
Restitutus gratiæ Regiæ, & militiæ:
Victurus omnia sperabatur sub Principe VICTORE;
Inuidit mors homini, cui fortuna inuiderat;
Transfixit incautum inglorio vulnere quem armatum timebat:
Id vnum peccauit vir magnanimus,

Procedere ad vulnera nudus non debuit;
At hæc heroum fiducia est, nihil timere.

ABI VIATOR.

Et mortem ne time, sed caue,
Et ne tè illa fallat, illam falle.

EPISTOLA VRBANI VIII.

SVMMI PONTIFICIS

AD ILLVSTRISSIMVM TOERASIVM,

POST SERVATAM RÆAM.

VRBANI *generosus amor fortissime fili,*
Virtutis fama alta tuæ, & par dextera famæ
Digna est in laudes cui Musa Vrbana laboret,
Et Patriæ modulentur Apes.
Fumantem Anglorum Romano ex Tybride Classem
Vidimus, impleuit Capitolia nostra sonorus
Flammarum crepitus, vicina per æquora late
Stridet adhuc cladis murmur, clamatque Britannos
Ad Ræam cecidisse reos: Tua dextera fili
Vicit, Io vicit, diuina & Regia tela
In manibus tonuere tuis; communibus armis
Contemptas Petri claues, & Regia iura
Vltus es; & fortis Regi tutela fuisti,
Defensorque Petro: sed non hoc Anglica Classis
Sperabat, dum fæta viris, armisque superba,
Iactabat veteres titulos, & lilia quondam
Sub Dominis captiua Rosis; & nunc quoque florum
Delapsam cælo triadem violare parabat,
Partirique sibi; sed nescit vulnera Cælum,
Nec patitur segmenta Trias: temeraria Classis
In puncto periit dum Regnum, & lilia tentat.
Vidimus infirmas crebris assultibus arces
Pulsari; raros homines morbusque, famesque
Fecerat, at Tu vnus morbumque, Anglumque, famemque
Vicisti, & triplex in laudem proficit hostis.
Vidimus infestis acies concurrere signis,
Incubuere Anglis Franci, totidemque leones

Vt

Vt pardos pepulere Anglos; Toëraſius inſtar
Fulminis, vrgendo punctim, caſimque metendo
Obuia quæque rapit; fugiuntque, caduntque Britanni,
Et breuior patet ora fuga.
Ergo age cùm noſtris accreſcat laurea vittis,
Quæ fidei accreſcit, LODOICI applaudo triumphis,
Et meritis dilecte tuis; tua gloria, fili
Viuet, io viuet, dum Muſa Vrbana vigebit,
Et memori obſcuram celebrabit carmine Ream.
Sperabant Angli Regna, inuenére ſepulcra,
Ad Ream periere rei; cepere ſepulti
Quam non ceperunt viui; digna Inſula nomen
Sortiri melius, iuſta eſt quæ lilia ſeruat,
Et quam Toëraſius ſeruat, Toëraſia terra eſt.

ILLVSTRISSIMI POTENTISSIMIQVE DOMINI

CAROLI DE NEVFVILLE,

DOMINI D'HALINCOVRT,

MARCHIONIS DE VILLEROY,

LVGDVNENSIVM PRO-REGIS.

ELOGIVM FVNEBRE.

CAROLVS de Neufville magni Villaregij filius, vt totum Patrem exprimeret vnigenitus fuit; anno 1567. natus, anno 1642. mortuus, ſuperioris ſeculi & præſentis virtutes ita coniunxit, vt vir duorum ſeculorum appellari poſſit.

Vt Regiis miniſteriis innutriretur alumnus Regum fuit; idem illi ſapiendi Magiſter & Patet, idem quatuor Regibus Miniſter extitit; hac tantum in parte non ſatis Secretorum Regiorum tenax, dum omnem ſapiendi artem communem filio fecit: inde illa Halincurtij ſapientia quæ nunquam errauit, etiam dum ettor publicus fuit; inde ille Regum fauor, à Carolo IX. ſuſceptore Carolus appellatus eſt; ſucceſſoribus Regibus catus idem nomen plurimis debet.

Ne Gallice tantum ſapiens eſſet, miſſus in Italiam ſapientiam Italicam ſic didicit vt Gallicam non corruperit; omnium vrbium hoſpes ex ſingulis optima quæque collegit, & ſe ſapientiæ Italicæ theſaurum fecit; neque aptior Legatus extraordinarius ad Clementem VIII. ordinarius

ad Paulum V. Honorarius ad omnes Italiæ Principes destinari potuit quam qui vbique hospes, & vbique popularis esse videbatur; proprerea Venetos conciliauit Pontifici quia Romanus & Venetus; Henrico magno statuam Equestrem Romæ erexit, & Romam Gallicam fecit; Sfortiæ & Vrsino Regiorum Ordinum torquem tradidit; vt illic Equites crearet vbi Regem erexerat: denique ita publicus, priuatusque rem gessit, vt quod Pater erat Galliæ, hic penè esset Italiæ.

Fortitudinem adiecit sapientiæ, Palladem imitatus quæ intus sapiens, & foris armata est: sub Marescallo Matignionio Gallicum vexillum protulit, & dum illud hostili sanguine cruentauit, tunc maxime candidum fecit: Montem Acutum sub Duce Mayenio cepit, & signa victoriæ ad Regem tulit; sub Duce Ioyeusio cataphractæ Equestri turmæ sic præfuit, vt meruerit habere propriam, dum sic regit alienam; sub his bellorum Magistris euasit ipse Magister Bellandi; nullum per ea tempora bellum gestum est in quo Mars ipse aut Mercurius non fuerit; omnium certaminum particeps, omnium victoriarum pars fuit.

Sed præcipuum ei bellum cum hæreticis fuit: Pontœsiam duobus exercitibus dedere recusauit vt seruarer fidei, seruaturus diutius nisi glans ferrea fregisset animos ciuium dum fregit brachium Ducis, & fecit Martyrem manum; amauit eam manum Henricus Magnus & regendam Pontœsiam Catholicus ei tradidit, qui eam seruarat Catholicam.

Sed angustior erat Pontœsia tantæ virtuti; debebatur Lugduno Prorex Villaregius qui Lugdunum efficeret regiam vrbem: Et verò vt erat magnificus armauit Lugdunum propugnaculis ad securitatem, ornauit publicis monimentis ad maiestatem, instruxit amœnis ambulacris ad voluptatem, totamque vrbem sic immutauit, vt Neouillam de suo nomine appellare posset, nisi maluisset mutare vetustatem vrbis quam nomen: nemo ingreditur Lugdunum nisi per eius beneficia; ambulamus inter eius monimenta, viuimus inter decora; vbique prostant tesseraria Halincurtij insignia, quia vbique exrant benefacta.

Neque ibi stetit magnificentia hominis; liberalitatem suam sacram esse voluit vt æterna esset; nullum reliquit templum vbi aureas preces non fuderit; nullum penè alrare quod tesserariis crucibus non ornarit: Monialibus à Carmelo dictis Monasterium ac templum extruxit, vbi etiam sepeliri voluit, vt quiesceret in beneficiis suis.

Ibi sepulcrum posuit sibi adhuc viuus, & diu ante mortem mori didicit: superstat imago sepulcro; imo sola imago sepulcro tegitur; imago ænea est quia animus imperterritus fuit; torquati Equitis insignia gerit, hæc decora meretur morruus, quæ decorauit viuus; aduoluit genua, & manibus supplicat, hic gestus est æternitatem ambientis.

Neque alia imago, aliud Archetypum fuit; præuidit diu ante aduen-

tum mortis, & ne rudis æternitati se sisteret, sæpe æternitatem animo voluit; denique armauit se Sacramentis Christianis, vt ante mortem sacer iam esset.

Sic armatus non expalluit ad nuntium mortis, quàm ipse prior nuntiauerat sibi; surrexit ea die quæ postrema illi fuit, quasi longum iter aggressurus; torquati Equitis cæruleam vittam induit, torquatus & concolor ad cœlum iturus: excepit aduentantes amicos, & docuit fidelem amicitiam nunquam mori; tractauit res publicas, & moriturus Proregem egit; scripsit ad Marchionem filium moribunda manu, & pene post mortem; commendauit Abbatibus vt familiam regerent quasi Ecclesiam; disposuit agenda post vitam, quasi adhuc post mortem victurus.

Monitus vt conscientiæ prouideret, accusaui illam, inquit, ne me illa accuset; inuitatus vt decumbens mortem expectaret, quid interest ait; sedens-ne an erectus moriare; rogatus pronuntiare nomen IESV, pronuntiauit, adorauit, amauit; denique eo vultu mortem aspexit quem illa non mutauit: impacto pede percussit terram, & collecto impetu ad æternitatem euolauit.

Abi Viator non est mortuus Halincurtius viuit in liberis, immortaliter victurus, si tales semper succedant hæredes.

ILLVSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO

D. CAROLO DE NEVFVILLE, LVGDVNENSIVM ARCHIEPISCOPO,

PRIMATI GALLIARVM ET PROREGI LVGDVNENSIVM, AMARI ET TIMERI.

ELOGIVM POLITICVM.

INVENISTI artem sociandi res duas quæ sociari vix possunt, amorem & timorem, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, excludere solet amorem timor, & timorem amor; ille ad rem amatam currit, hic fugit; ille apprehendit bonum, hic deserit; vterque alas habet, sed ille quibus veniat, hic quibus fugiat.

Mutauerunt in te naturam suam affectus gemini; in aliis oppositi in te amici sunt; distinguis vtrumque & confundis; amat te timor, & timet te amor; vterque in aliis diuersus, in te est simplex, & vnicus.

Ac facile quidem dictu est vnde nascatur amor, non ita facile est di-

cere vnde naſcatur timor; amabilem te facit indoles tua, amabilem affabilitas, amabiliorem beneficientia; hæc ego tria cum dixero, dicam vnde oriatur timor.

Et quidem indoles tua adeo bona eſt vt vix in te bonitas differat à natura; quam illuſtris laus illa bonitatis tuæ; nullum hominem eſſe, etiam malum cui bonus non fueris; nullum eſſe cui nocueris, etiam hoſti; nullum eſſe hoſtem tuum qui non ſit publicus, nullum eſſe publicum qui non ſit tuus.

Auget amotem tui affabilitas tua, communicas te omnibus, & nullite negas: alienum bonum es magis quam tuum; omnis hora tua publica eſt, & nulla domeſtica; conſuletis quaſi Athenæum, reſpondes quaſi oraculum, nemo excluditur à te etiam miſer, nemo antefertur etiam diues: audis omnes quaſi Echo publica, hac tantum in re diſpar, reſpondes interrogantibus dicenda non dicta.

Nec verboſa eſt tantum eloquentia tua, ſed benefica; placet dicere de te quod tu facere mauis quam dicere; nulla eſt calamitas publica quam non ſubleuaris, nulla priuata quam non minueris, nulla fortuna beata quam beatiorem non feceris: viuimus per te ſecurri inter ruinas publicas, & malorum inſpectores non participes, ſolis oculis infelices ſumus; inuident nobis vicinæ Prouinciæ felicitatem, & ſi liceret inuiderent authotem.

Dixi vnde naſcatut amot tui, dicam paucis vnde oriatur timor; ex Te Paſtore naſcitur & Prorege.

Blandum eſt Paſtoris nomen, ſed idem terrificum, ingenerat hoc nomen amorem & timotem; amant oues Paſtorem & timent; & pera & fiſtula, & pedum, & ſagum inſtrumenta ſunt amoris & timoris: amant oues hæc inſignia & illa timent; fallor totus Paſtor eſt amot, & amor eſt Paſtor; timent oues amorem dum timent Paſtorem, atque amor ille eſt timor.

Minus blandum eſt nomen Proregis, & forte in aliis Proregibus terribile eſt, ſed in Te amabile; vt mollires hoc nomen miſcuiſti Abbatem Proregi, & poſtea Præſulem; & nunc regis Lugdunum vt Epiſcopus non vt Præfectus; nec minuis timorem Proregis dum addis amorem Præſulis, nec confundis vtramque dignitatem, & vtramque diſtinguis.

Ac vide quàm hæc laus tua ſit vera non ficta; oblitus eſt iras ſuas ſub te Paſtore & Prorege Leo Lugdunenſis; rugiebat olim ſub aliis Proregibus & pene Regibus, & rugitum Lugduni audiebat Lutetia, & timebat Gallia: & nuper inter factiones ſi Lugdunum rugiiſſet, turbare poterat vniuerſam Galliam & excitare Europam: mutaſti in ouem leonem Lugdunenſem; ſiluit ſub te Paſtore & Prorege, & prouocatus licet minis & præmiis balare maluit quam rugire.

Fecit hoc amor tui & fecit timot; fecit hoc vterque affectus, & fecit

vnus ; inueniſti artem ſociandi amorem & timorem ; miſces vtrumque, & vterque ſe auget : amor eſt timor tui, & timor eſt amor, vterque multiplex, & vterque ſimplex.

DEVX DEVISES SVR LE MESME SVIET.

I.

Le confluent du Rhoſne & de la Saone.

Miſcentur in vnum.

EPIGRAMMA.

LEntus Arar, Rhodanuſque celer MISCENTVR IN VNVM:
Ille amor, hic timor eſt ; lentus hic, ille celer.

II.

Vn ſep de Vigne en Prouence perçant le corps d'vn Oliuier, faiſant du vin qui ſent l'huile, & l'Oliuier de l'huile ſentant le vin.

Mixtus vtrique ſapor.

EPIGRAMMA.

NAſcitur ex Baccho Pallas, de Pallade Bacchus:
Hæc amor, hic timor eſt, MIXTVS VTRIQVE SAPOR.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO CAMILLO DE NEVFVILLE, LVGDVNENSIVM ARCHIEPISCOPO AC PROREGI.

ANNVS NOVVS.

PRECAMVR Tibi fortunatum annum qui tot annos nobis fortunatos feciſti, ARCHIPRÆSVL, ET PROREX ILLVSTRISSIME, gratulamur annum quinquageſimum ſextum, & vouemus centeſimum ; cœpiſti penè cum hoc ſeculo noſter eſſe, & nos eſſe tui ; abſolue hoc ſeculum quod inchoaſti, nec te illud abſoluat ; imo ſupera ætates omnes, nec vllus annus ſit tibi vltimus niſi ſit æternus.

Ac vide quam sint publica vota nostra, optamus felicitatem publicam dum optamus tuam; vouemus ouibus quod vouemus Pastori: pendet ex salute tua felicitas nostra, nec tu vis esse felix nisi vt nos felices efficias.

Placet percurrere præteritos annos felices Lugduno te felice, fuêre pacifici inter arma, securi inter pericula, quieti inter factiones politicas, nec satis regias: stetit immotum Lugdunum dum Gallia moueretur, stetit fidele etiam tentatum de fide, retinuisti ne caderet, firmasti ne titubaret; animasti ne metueret; stetêre exemplo nostro finitimæ Prouinciæ, secuturæ Lugdunum quasi centrum quocunque se verteret.

Nolo dicere quò euasura res erat si Lugdunum vacillasset: malo dicere debere nos sapientiæ tuæ quod tunc steterimus cum Lutetia ipsa vix stetit; nimirum gubernabas Lugdunum eâdem fide qua frater tuus Ludouicum; & vterque sapienter monebat pugnandum semper esse pro Rege, nunquam de Rege.

Placet comparare felicitatem nostram cum sorte alienâ; dum exortes disciplinæ militaris Legiones in vicinis Prouinciis non tam exigerent hyemem quam vbique facerent; dum Prædones non milites, dum hostes non hospites, dum quæ damna non intulissent alienigenæ barbari, ea inferrent indigenæ Galli, dum omnia rapinis, cædibus, sacrilegiis miscerentur, sola malorum fama Lugdunum peruênit: spectauimus incendium è propinquo, & solus flammarum odor nos læsit; stetit Lugdunensis Prouincia sine damno, & penè sine periculo; transiuêre Lugduno milites, alibi hostes, apud nos hospites, alibi raptores, apud nos emptores; viguit commercium inter tumultus bellicos, & bellum quod cæteris Prouinciis nocuit, Lugduno vtile fuit: Cui debemus hanc felicitatem nostram nisi sapienti tibi, & felici?

Nec fortunatos tantum annos præstas Lugduno verùm etiam sacros: agis Gubernatorem & Præsulem; coniungis vtrumque munus non confundis; socias vtramque potestatem; adiuuas vnam altera, & vtramque consecras: atque vt verbo dicam repræsentas Lugduno Ambrosium patria Lugdunensem; egit ille Mediolani Episcopum adhuc Præfectus; egit Præfectum iam Episcopus, & tu exerces vtrumque munus, & Camilli nomen apud te sacrum simul, & politicum est.

Agit tibi gratias Lugdunum nouo Eucharistici genere, fatetur se esse in ære tuo, nec exire velle; agnoscit debere tibi quod non vult soluere; imo enumerat antiqua beneficia, & exoptat noua: idcirco precatur tibi felices annos, & multos; vt crescat felicitas nostra Te diu felice.

Nec plura audemus dicere ne erubescas ad laudes tuas: imo vt altius erubescas id precamur vt breui rubor tuus fiat purpura, & viola rosa.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. ABELI DE SERVIENT, COMITI DE LA ROCHE, MARCHIONI DE SABLE', ET BOISDAVPHIN, &c. MINISTRO POLITICO, ET REGII ÆRARII SVPREMO PRÆFECTO.

IMAGO VITÆ.

ASCENDISTI per omnes honorum gradus ad eum quem geris, VIR ILLVSTRISSIME, ex Procuratore Generali, Magister libellorum supplicum, ex illo variis in Prouinciis iuri dicundo Præpositus, ex illo legatus Regius, ex illo Præses primarius, ex illo à Secretis Regiis & mandatis: ex illis plenissimi iuris de Pace legatus; ex illo Minister Politicus; ex isto denique Regij Ærarij supremus Præfectus.

Nec ascendisti præcipiti saltu, sed emerito gressu; gradus fuit honor vnus ad alterum; prælusisti secundo dum gerebas primum; exercuisti quartum in tertio; sextum in quinto; meruisti octauum in septimo, & nonum in octauo: accessisti ad singula ministeria veteranus non nouus; penè iam gesseras antequam gereres: propterea superasti officia dum gessisti; neque adæquant ingenium tuum singula, neque implent vniuersa.

Placet relegere officia vitæ tuæ, & proponere tibi imaginem tui; miraberis te eundem & multiplicem, similem & diuersum, vnum in pluribus & plures in vno: expressit imaginem corporis tui ingeniosus sculptor, ego animum pingo, vter feliciori stylo iudex erit quicunque te nouit.

Procurator Generalis in Senatu Delphinatensi, fuisti asylum legum, iustitiæ propugnaculum, suasor rerum bonarum, & censor malarum: Nemo publice sceleratus fuit qui te censorem non senserit: nemo leges damnauit innocens, neminem leges damnarunt innocentem; nemo iustitiam contempsit impune, neminem iustitia oppressit inique, arbitra-

tus rationes Regias esse publicas, & publicas Regias, egisti Procuratorem Regis, Patronum Regni, & Patrem populi.

Alligari non debuit vni Prouinciæ vir omnibus aptus; minores erant res forenses ingenio tuo, & te ad res Politicas natura formauerat; admissus ad supplicum libellorum Magisterium statim dignum te probasti cui ardua quæque negotia committerentur, nec te implicatæ rerum difficultates terruerunt, illustrasti illas instar solis per Zodiaci monstra gradientis, & docuisti difficultates sæpè astra esse non monstra; vicisti aliquando ingenia vt monstra superares, & sæpe superasti difficultates vt ingenia vinceres; ita gessisti hoc alterum munus, vt non tam libellorum supplicum quam difficultatum Magister esse videreris.

Præpositus juri dicundo per Aquitaniam, difficilem Prouinciam adeò demerueras Regi, & Tibi, vt nec alium Principem vellet nisi Regem, neque alium judicem, nisi te Præsidem; & tu donatus à Rege gratuita dignitate Primarij Præsidis in Senatu Aquitanico, retinueras Prouinciam in officio si retinere officium voluisses: præueniisses seditiones futuras, non expectasses; parasses antidotum malis futuris, sanasses morbos nondum natos, & nouo genere medicinæ politicæ, ne orta rebellio inualescceret, feciisses ne otiri posset.

Missus à Rege trans Alpes, semel exercitui Gallico præpositus judex, semel atque iterum Legatus extraordinarius, repræsentasti Italiæ Maiestatem Gallicam, & gemino fœdere apud Secusium, & Cherascum penè iterum Alpes Gallicas, & Galliam feciisti transalpinam. Paucis attingo quæ tu multa & magna feciisti, & penè ea confundo quæ tu tam aptè distinxisti: Per te effectum est ne Mantuanus opprimi posset, & ne Sabaudus posset opprimere: spectauit Rex Christianissimus in illo societatem, in hoc affinitatem, diuisit se vtrique, erga hunc Ludouicus, erga illum iustus, erga vtrumque vterque fuit.

Per te Rhetia in libertatem vendicata laqueos seruitutis effugit: Per te Ratisbonensis negotiatio correxit intra Italiam quod intra Germaniam peccauerat; per te Casale neutrum esse voluit, vt esset liberum: per te Mantua Domino suo restituta est præter opinionem publicam & priuatam. Per te Pignerolium redditum est Sabaudo vt seruaretur fides publica, & receptum vt seruaretur arcana.

Dignus eras Secretis Regiis qui noueras secreta facere, & seruare: placet describere radios solis vt munus hoc tuum describam: nihil secretius est radiis solis, vident omnia & vix videntur, apparent & latent, per eos sentimus omnia, & vix ipsi sentiuntur; nihil subtilius iisdem radiis, perualdunt solidiratem cœlorum nec franguntur; permeant ignem nec exuruntur; percellunt aërem nec lædunturs immiscent se aquis nec merguntur; insinuant se terris nec obruuntur; nihil eisdem radiis efficacius, fœcundi

cundi sunt in terris, salubres in aquis, illustres in aëre, purpurei in igne, argentei in Stellis, discolores in Planetis, omniformes in gemmis; denique nihil eisdem radiis fidelius, pendent à Sole neque ab iis sol pendet, eunt ad imperium, redeunt ad nutum, adhæresunt Soli, & perirent nisi adhæresserent: talem oportet esse Ministrum à secretis & mandatis Regiis, & Tu talis fuisti.

Talem te esse oportebat vt plenissimi iuris de pace Legatus in Germaniam mitterêris; & breui probasti te esse radium solis, secretum vt tegeres arcana Gallica, subtilem vt explorares aliena, eloquentem vt persuaderes, efficacem vt ageres, fidelem ne fallere velles, sapientem ne falli posses.

Longum esset dicere quid cum Collegis Legatis feceris; placet ea secernere quæ solus fecisti; digressus à Germania in Hollandiam persuaseras Hollandis reciprocæ defensionis cum Gallia fœdus; euiceras ne aliam pacem vellent quam publicam, monueras si aliter facerent læsuros libertatem publicam, nec empturos priuatam; neque inane vaticinium fuit, dolent hodieque id euenisse quod prædixeras euenturum.

Regressus ex Hollandia conciliasti Germaniam cum seipsa, & Galliam cum Germania; atque id fecisti dum Gallia secum ipsa pugnat; & dum Lutetia obsidetur à seipsa; tunc temporis per te victrix fuit Gallia intra Germaniam dum vincitur à se intra seipsam: nec exiguus fuit Pacis Germanicæ fructus, per illam gemina Alsatia loqui Gallicè didicit, per illam Philisburgum, & Brisacum olim claues Germaniæ vt aperirent Galliam, nunc claues sunt Galliæ vt illam claudant, & recludant Germaniam.

Dum absens hæc geris designatus es Minister Politicus, & eras antequam esses, dum extra Galliam administrabas res Gallicas: nemo ad ministerium ascendit per altiores gradus, fuisti prius Minister Europæ vt esses Minister Galliæ, didicisti arcana Regnorum, & Legatus Regius; examinasti quid possent, explorasti quid vellent, distinxisti virtutes Nationum, collegisti mores Gentium, conflasti ex pluribus sapientiis vnam, & per hanc sapis sapientia omnium; atque inde fit vt si magnum aliquid cum externis populis pertractandum sit, si fœdus ineundum, si pax sancienda, omnes te statim appellent, omnes te optent quasi Ministrum Galliæ, & Legatum Europæ.

Post exercita tot ministeria vnum deerat Ærarij Regij Ministerium; & illud nunc geris; difficile sane ministerium, & te dignum; Præfectum esse ærarij non famulum, Dominum Auri non seruum, retinere decolores manus inter metalla, & pauperem esse posse inter diuitias; similem esse Soli qui aurum parit, & purus est, imitari terram quæ parturit argentum & reddit, æmulari ignem qui perficit metalla nec se inficit, in-

ſtar eſſe ſigilli, quod auro ſe implet vt Regem imprimat, & ſe exhaurit vt reſtituat; talem te miramur, & maiorem; ſcis ærarium Regium ſanguinem publicum eſſe, diſtribuis illum ſapienter non effundis; impendis bono publico, & reſtituis venis vnde fluxit; putas Regem ſatis diuitem eſſe ſi regnum ſit diues, & paupertatem publicam tunc tantum timendam doces, ſi priuati omnes ſint pauperes.

Non abdicaſti cætera officia dum iſtud geris, collegiſti omnia in vno, & Præfectus Ærarij omnes præfecturas in vnâ geris: Agis Procuratorem generalem dum procuras regium bonum & publicum; agis ſupplicum libellorum Magiſtrum dum libellos ſupplices admittis & expedis: Præpoſitus es iuri dicundo variis in Prouinciis dum protegis iura prouinciarum non opprimis; dicis ius exercitibus Regiis dum ſtipendia militi aſſignas non prædas; ſcribis mandata regia dum ſcribis aurea; adminiſtras pacem & bellum dum adminiſtras ærarium; denique omnium rerum miniſteria ſimul geris, dum aurum omnium rerum miniſtrum fidelis miniſter diſtribuis.

EIDEM ILLVSTRISSIMO DOMINO
D. ABELI DE SERVIENT;
VITA PRIVATA ET PVBLICA.

ILLVSTRE viuendi genus priuatum & publicum; vacuum & negotioſum, ſolitarium & aulicum, VIR ILLVSTRISSIME, vixerunt hanc vitam Politici antiqui & tu illam viuis; partiris te aulæ & ſolitudini; diuidis te vrbi & ruri, viuis duplicem vitam, & vnam efficis.

Capacis ingenij neceſſe eſt te eſſe quem totum Aula non capit; quem negotia totum non occupant, & quo omnes curæ minores ſunt; ſcilicet ſubdis tibi negotia non te illis, Dominus curarum es non ſeruus; commodas te rebus non donas, tradis te illis & retrahis, partiris ingenium tuum, & dum vna pars tui magnis in rebus laborat, altera penè vacua eſt, & ſolitaria.

Fallor nec vña pars tui otioſa eſt, nec tu ſolitarius es, etiam dum es ſolus; trahis tecum quocunque pergis totam politicæ rei doctrinam, ſequuntur te magnæ virtutes & ſcientiæ; latêre non potes quem omnia faciunt publicum: Non ſatis dixi, inuenis Aulam extra Aulam, & regna intuêris in ſymbolis; vides in Roſa Angliam, in Tulipa Hiſpaniam, in Imperiali Germaniam, in Lilio Galliam; & quod Lilium eſt floribus hoc vides Ludouicum eſſe Regibus: ex horto progreſſus in porticum metiris

in orbis mappa interualla regionum, examinas antiqua iura regnorum & noua; reuisis prouincias quas olim Legatus obiisti, & nouo Legationis genere percurris orbem terrarum & immotus manes.

Neque adhuc satis dixi, eruditi ingenij est scire præterita, prudentis intueri præsentia, sapientis meditari futura, hoc studium tuum est vacare futuris, & speculari facienda non facta: vis vt reuoluam aliquid ex iis quæ animo voluis, hac arte, inquis, terreri Aquila potest ne ad Alpes volet, hac arte impediri Leo si cum Leopardo pugnet; hac arte iniri pax stabilis si nemo vincere velit, & nemo vinci; hac arte ditari fiscus si populus diues, & regnum sit locuples: hac arte victrix esse potest Gallia si seipsam non vincat.

Plenus his meditationibus politicis, & redux in Aulam rogaris sententiam & effata dicis; respondes de legibus imperij quasi interpres, de factionibus Italicis quasi sequester, de mysteriis externis quasi mystes: loqueris de rebus futuris quasi de præsentibus, de agendis quasi iam actis, de negotiis alienis quasi de Gallicis; nec dicis tantùm res ipsas sed causas rerum, & initia & fines, & cursum & exitum: nihil à te quæritur quod non præuideris, nihil objicitur quod iam non solueris.

Ex Aula redis in hortum; nec Regiam deseris dum ad lilia redis ex liliis; sic misces priuatam vitam, & publicam, sic viuis aliis & tibi; nec illustrior vita esse potest quàm quæ omnibus est vtilis; vixêre hanc vitam Scipiones & Lælij, Ciceròes & Attici; viuis Meudoni inter statuas virorum illustrium, & tu aliquando inter statuas & imagines eris.

DEVISES SVR LE MESME SVIET D'VNE VIE PRIVEE ET PVBLIQVE.

I.

Les fontaines de Paris.

Quod bibimus de rure venit.

EPIGRAMMA.

QVOD BIBIMVS DE RVRE VENIT, *postquam alluit vrbem,*
Mobilis ad patrios vnda recurrit agros.
Tu quoque post Aulam, & fiscum, & mysteria regni,
Vnde nouus redeas ad noua rura redis.

II.

Le Nauire de la Ville de Paris.

Reditura perambulat orbem.

EPIGRAMMA.

VT gazas referat REDITVRA PERAMBVLAT ORBEM,
Et quas collegit diuidit orbis opes.
Regius est Nauis fiscus; Tu nauita fisci:
Diuidit allatas Te Duce Nauis opes.

III.

La Seine.

Exit nec deserit vrbem.

EPIGRAMMA.

QVam properare vides, EXIT NEC DESERIT VRBEM,
Et fluit, & semper mobilis vnda manet:
Tu quoque Meudonum repetis, nec deseris vrbem
Et procul, & præsens nobile flumen ades.

IV.

Vn Compas.

Centro pes alter adhæret.

EPIGRAMMA.

PEs alter graditur, CENTRO PES ALTER ADHÆRET,
Ni foret immotus non numeraret iter.
Tu quoque terrarum fines Legatus obisti,
Et centrum, & semper circulus Aula tibi est.

EIDEM ILLVSTRISSIMO DOMINO

D. ABELI DE SERVIENT,

POLITICA ET CHRISTIANA QVÆSTIO.

AN SOLITARIVS ANIMVS POSSIT ESSE SOLVS.

POLITICA & Christiana quæstio, an ingens & excelsus animus possit esse solus dum est solus. Te spectat hæc quæstio, VIR ILLVSTRISSIME, permitte vt de Te apud te disputem, an Meudoni sis solus etiam dum es solus: orator ero eruditæ causæ, tu judex, priuata controuersia erit, nemo nos audiet

niſi ſolitudo; fallor ſi ſolus eſſe non potes audient nos quicunque ſunt comites.

Videtur excelſus animus poſſe eſſe ſolus dum ſolus eſt, qui poteſt priuatus eſſe etiam dum publicus eſt; abeſſe poteſt ab vrbibus etiam intra vrbes, & ſubtrahere ſe multitudini etiam cùm eſt præſens: ſcilicet maior negotiis commodat ſe illis non ſe donat; nec totum ſe rebus impendit ſed partem ſui; atque hanc ita emittit à ſe, vt eandem retineat: igitur repetere ſe à negotiis poteſt, quibus tradidit ſe non vendidit; igitur dicere cum Philoſopho poteſt publicis curis, ite curæ placet vacare & ſolum eſſe, at vos non eſtis ſolæ.

Neque extra ſe tantum ſed intra ſe ipſum excelſus animus Dominus eſt; fecit illum Deus dominum ſui cum illum condidit; emancipauit dum liberum fecit; velle poteſt, & non velle; emittere actus ſuos & ſuſpendere, agere & ceſſare; & ne otioſus ſit dum otiatur, agit aliquid dum nihil agit, vtitur arbitrio dum vult non vti, & dum libere ceſſat tunc Dominum ſui ſe eſſe probat: poteſt igitur ſolus eſſe qui poteſt carêre cæteris rebus, & penè carêre ſe: admittere poteſt hoſpites curas, & illas ejicere, poteſt ſibi ipſi inquilinus eſſe, & ſui hoſpes.

Aliunde ingens & capax animus, nec ſolus eſſe poteſt nec vacuus; plenus eſt imaginibus rerum quas intra ſe pinxit; intra ſe vrbes & Prouincias & regna gerit, quæ luſtrauit; intra animum Germanus & Italus, Hiſpanus & Anglus, Suecus & Danus, Polonus & Moſchus bellum tractant & pacem: meditatur hæc omnia politicus animus, & penè exequitur: q is dicat eum animum eſſe ſolum cui mundus eſt ſocius.

Quod admirabilius eſt præſentes ſunt animo ſolitario res præteritæ; viuit quod præteriit, ſiſtit quod fluxit; illi omne tempus præſens, omnis dies hodiernus, omnis antiquitas nouitas eſt; habitant intra illum magni viri olim mortui nunc rediuiui declamant apud illum Ciceones, philoſophantur Platones, ſpeculantur Ariſtoteles; quis dicat eum animum eſſe ſolum, cui omnis ætas ſocia eſt, & comes omnis antiquitas.

Non ſatis dixi, exit extra ſe ingens animus, & ad res futuras ſe procul extendit; meditatur res olim venturas, diuinat, conjicit, conſulit & antequam fiant penè illas facit; atque hæc eſt ingentis animi nobilis occupatio ſtudêre rebus futuris, & adhuc nullis; intereſſe rebus faciendis quaſi iam factis; ſcire hiſtoriam temporis futuri, & penè ſcribere: eruditi ingenij eſt didiciſſe præterita, vulgaris ſcire præſentia: politicus & ſagax animus anteuertit annos venturos, viuit vitâ futura, & ſenex annis elapſis iuueneſcit lapſuris: Quis eum ſolum eſſe dicat cui homines olim futuri iam adſunt ſocij?

At hæc politica ſunt quæ ſequuntur Chriſtiana, ſolitarius, & pius animus retractat ætatem præteritam, & emendat; recognoſcit annos

elapsos, & meliores facit dum facit pios: neque ibi pietas sistit, assuescit morti olim morituras; experitur artem moriendi ne ibi erret, vbi nemini errare bis licet; atque vt mortem ludat incipit immortalis esse dum viuit: vt pergat vlterius auspicatur æternitatem intra tempus, ponit rudimenta vitæ venturæ, præmittit merita ad cœlum quibus coronetur, & felix olim futurus, præludit felicitati ne ad illam accedat ignarus.

Egi oratorem, & penè decepi te, VIR ILLVSTRISSIME, descripsi te, & de te tacui; laudaui etiam nolentem laudari, sumpsi ex te exempla sapiendi; neque aliud dixi quam quod tu facis: neque tamen omnia dixi, vincis eloquentiam factis, & minus est quod illa dicit quam quod tu agis.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

D. ARTHI DE LYONNE, EPISCOPI VAPINCENSIS, EPITAPHIVM.

STA VIATOR, ET LEGE.

Nouum Elogij genus
Dicere de eo quem laudas, qualis non fuerit;
Dominus Arthus de Lyonne,
Non fuit Episcopus Nemausensis,
Non fuit Episcopus Valentinus,
Non fuit Episcopus Massiliensis,
Non fuit Episcopus Baiocensis,
Non fuit Archiepiscopus Ebredunensis,
Id totum non fuit quia esse recusauit:
Fallar id totum fuit dum esse noluit;
Scilicet hæc vera dignitas est nolle honores & mereri.
Ex Consiliario Sacerdos
Consecrauit vitæ genus non mutauit;
Ante Sacerdotium pius, & penè sacer iam erat:
Admisit tandem Vapincenses insulas, sed inuitus;
Fleuit ne Episcopus esset;
Et tandiu esse noluit, quandiu fuit;
Retinuit tamen minores insulas, vt recusaret maiores.
Pastor amauit gregem, & sæpè pauit de suo;

Felix ouile id vnum timebat ne Pastorem amitteret:
Et sæpe insidias tetendit ne clam ausugeret.
Nulla vita innocentior, nulla tranquillior fuit:
Temperabat curas publicas priuatis studiis:
Excellens Mathematicus mundum æstimabat vt punctum,
Extendebat lineas vltra tempus,
Et pulchrum ex æternitate circulum faciebat:
Denique octogenarius vltimo puncto vitam clausit:
Quam piè obierit ex eo collige
Biennio ante obitum exuit insulas quas inuitus induerat:
Interea ante mortem mori didicit:
Et obiit ea morte quæ potest esse ars bene moriendi.
Adfuit Episcopo morienti successor Episcopus,
Et quæ omnes imitari possent vidisse se dicit:
Excepit Illustrissimus filius exeuntem vitam Parentis,
Et superstes in filio Pater viuit:

VIATOR ET DISCE MORI.

Mors neque ouibus parcit, nec Pastori:

Posuit filius Parenti, & ouis Pastori.

ILLVSTRISSIMI DOMINI D. NICOLAI DE BALLEVL, EPITAPHIVM.

STA VIATOR, ET LVGE IACTVRAM PVBLICAM SI ES PARS PVBLICI.

Hic jacet, VIR ILLVSTRISSIMVS D. NICOLAVS DE BALLEVL;
Præses Insulatus Senatus Parisiensis,
Alumnus Henrici Magni, & Ludouici Iusti,
Didicit ab illo præstare magna, ab hoc iusta:
Donatus ab illo dignitate Consiliarij, ab hoc Præsidis;
Quas dignitates non emerat, nulli vendidit:
Nemo ab illo damnatus est nisi reus,
Nemo iniuriam accepit, etiam inimicus:
Nemini inimicus fuit, etiam læsus:
Legatus trans Alpes penè illas iterum Gallicas reddidit:

Cancellarius Reginæ omnem ceram beneficam fecit,
Præpositus Ærario publico ditauit regnum, non domum;
Vrbanus Prætor populosam Lutetiam quasi familiam rexit;
Præfectus Nosocomio pauperes aluit quasi alumnos Dei;
Denique publico bono natus magis quam suo;
Pertæsus vitæ inter mortes ciuiles;
Mori voluit ne sub se Præside pax publica interiret.

ABI VIATOR.

Et luge plures Magistratus in vno periisse;
Obiit anno Domini 1652. Ætat. 63.

REDI VIATOR.

Viuit superstes in filio præside,
Pars erat Patris dum viueret,
Nunc totus est Pater.

ILLVSTRISSIMI DOMINI D. NICOLAI DE MESGRIGNY, EPITAPHIVM.

STA VIATOR.

IAcet sub hoc marmore vir magnus,
Sub quo marmor iacére debuit.
Dominus Nicolaus de Mesgrigny,
Non fuit Marchio, non fuit Præses,
Non fuit Abbas, non fuit Episcopus,
Id totum non fuit quia esse recusauit:
Fallor in Patre Marchio, in fratribus Eques, & Præses fuit;
In vno primarius, in altero insulatus, illustris in omnibus:
Ex Aduocato generali concionator Ecclesiasticus,
Consecrauit Eloquentiam non mutauit;
Populariis cum sublimia diceret, sublimis dum popularia;
Temperabat vtramque eloquentiam, & bis eloquens erat.
Nec facundior illi lingua quam vita,
Omnis eius viuendi ratio sermo eloquens fuit;
Canonicus primariæ Ecclesiæ Parisiensis,
Regularem vitam egit sine votis,

Inter

Inter diuitias pauper,
Inter æquales ſubditus,
Inter ſubditos penè æqualis vixit.
Tres prioratus pauperum vſibus admiſit non ſuis,
Recuſaturus titulos niſi fructus donare potuiſſet;
Reparauit ſacras ruinas, ornauit aras de ſuo;
Et tribus beneficiis quartum ipſe beneficium fuit.
Præpoſitus primario Noſocomio,
Confundens ſua cum Egenis,
Sæpè illos diuites, ſæpe ſe pauperem fecit;
Sectabantur illum pauperes quaſi honorarij aſſeclæ,
Quinquagenis quotidianam portionem diſtribuit,
Neque vnquam ſolus, aut ſine Deo cænauit.
Denique ne alios hæredes haberet quam pauperes,
Erogata egenis vtraque ſupellectili,
Vix lectulum reſeruauit ſibi in quo mori poſſet.
Obiit anno Domini 1652. Ætat. 37.
Dignus longiori vita niſi dignior fuiſſet æterna:
Meditabatur æternitatem intra tempus,
Præmiſerat ad illam res ſuas, & ſeipſum,
Idcirco mature peruénit quia celeriter iuit.

ABI VIATOR.

Et propera ad æternitatem
Nihil eſſe ſtabile poteſt ſub fugaci tempore.

ILLVSTRISSIMI DOMINI
D. PETRI LE GOVX
DE LA BERCHERE,
PRIMARII PRÆSIDIS IN SENATV DELPHINATENSI.
ELOGIVM FVNEBRE.

STA VIATOR.

T lacrymis publicis adde tuas,
Meretur vtraſque iactura publica.

Hîc jacet Illuſtriſſimus D. PETRVS LE GOVX DE LA BERCHERE:

Ignorat historiam Gallicam qui hanc familiam nescit;
Pars est historiæ Gallicæ nobilis domus,
Armata in Marchionibus, Ducibus, Mareschallis,
Togata in Consiliariis, Præsidibus, Cancellariis,
Insulata in Præsulibus, & Archiepiscopis,
Facere de suo potest illustrem historiam:
Nepos auorum illustrium domesticis virtutibus addidit suas;
Nec fuit minor magnis Maioribus.
Sapientia in illo Præses, & Præses ipse sapientiæ fuit;
In vtroque iure didicit Magistrum Pacium, & docuit;
Deduxit illum Patauio in Galliam,
Et vterque Romanam sapientiam Gallicam fecit:
Vno Senatu maior duorum Senatuum Princeps fuit;
Bis ad eum prima purpura venit,
Diuioni data, Gratianopoli reddita;
Iustum se probauit Ludouicus cum dedit,
Iustiorem cum reddidit.
Interea nec se exulem putauit extra Patriam,
Nec accusauit aduersam fortunam dum relegauit,
Nec laudauit prosperam dum restituit;
Æqualem vultum ostendit vtrique fortunæ;
Et dum Senatu caruit egit Præsidem sui;
Secutæ sunt omnes virtutes euntem, & omnes reducem:
Iustitiam amauit semper sed virginem,
Omnem eius partem castam esse voluit, nullam læsit:
Non facile iudicium est iustiorne fuerit, an clementior;
Nullam vindictam amauit nisi publicam;
Vnius rei immemor iniuriarum suarum,
Aiebat nihil diuinus esse quam posse parcere,
Nihil humanius esse quam velle.
Intra Senatum judex, extra Senatum Pater erat;
Nemo ab eo reiectus est, etiam miser,
Nemo excluſus domo etiam pauper,
Nemo ab eo recessit iratus,
Iis etiam placuit, quos aliquando damnauit:
Inuidit hominem æternitas tempori,
Et maturus erat meritis, non adhuc annis.
Obiit anno Domini 1653. Ætat. 52.
Admonitus rogari votis publicis longiorem vitam,
Respondit nihil videri sibi longum nisi esset æternum.

ABI VIATOR ET IRASCERE MORTI.
Parcere ei debuit, qui sæpe illi pepercerat.
REDI VIATOR.
Viuit superstes in liberis,
Et successor purpuræ frater, vix est alter.

ELOGIVM FVNEBRE
D. RENATI DE VOYER, D. D'ARGENSON.

IAcèret sub hoc marmore nouem seculorum gloriâ
Si mori posset.
Hæres erat gloriæ tam annosæ
D. RENATVS DE VOYER, D. D'ARGENSON.
Ex familia Vicecomitum de Paumy
Inter palmas natus,
Numerabat centum illustres Maiores, nec erat minor:
Primus inter suos togam armis præposuit;
Nec decoloravit vnam purpuram, dum addidit alteram;
Nullus est honor togæ quem non meruerit:
Ex Senatore supplicum libellorum Magister,
Ex illo Consiliarius politicus,
Ex vtroque variis in Prouinciis iuri dicundo præpositus,
Exhibuit vbique præsentem Regem, & suppleuit absentem:
Nec bello abstinuit vir togatus,
Sexdecim expeditionibus bellicis præfectus iudex,
Fecit vbique victurem exercitum dum fecit iustum,
Lotharingiæ persuasit vt vellet esse pars Galliæ,
Rheno vt vellet esse limes,
Alpibus vt vellent esse Gallicæ,
Taurinensibus induciis victoriam præparauit,
Glorioſus intra Mediolanum, etiam dum esset captiuus.
Tumultuanti Cataloniæ persuasit fœdus Gallicum,
Murmuranti Aquitaniæ dissuasit externum;
Vtilis Regi dum acquirit nouas Prouincias,
Fidelis dum conseruat antiquas.
Post tot vitas meditatus nouum vitæ genus,
Inauguratus Minister diuinus, qui fuerat Regius,

Consecrauit officia non mutauit;
Libellorum supplicum Magister fuit dum preces Deo obtulit,
Consiliarius dum animos ad pietatem instituit;
Iudex dum conscientias absoluit.
Carere diu tali Ministro Aula non potuit;
Destinatus est Venetias Legatus Regius,
Atque vt legatio illustrior esset,
Legato Parenti substitutus est Legatus filius.
Nec inani consilio additus est filius Patri morituro;
Vix ingressus erat Venetias priuatus,
Breui ingressurus publicus,
Eheu dum solennis illi paratur ingressus,
Oppressus morbo mutauit Legatum Regium in diuinum:
Fallor non mutauit mors legationem, sed diuisit,
Agit Pater legatum in cœlis, & filius Venetiis,
Senatus Patri pompam luctuosam,
Filio Regiam;
Vtrique legato ornauit publicam.

ELOGIVM FVNEBRE
D. IOSEPHI DV BERNET.

STA VIATOR.

IAcet sub hoc marmore magni viri exiguus cinis;
Hic est Illustrissimus D. IOSEPHVS DV BERNET,
Senatus Aquitanici Princeps.
Olim futurus Præses, adhuc puer præluſit Præsidi;
Inter coætaneos primus, & penè semper præses fuit:
Anno ætatis 20. Theses publicas de vtroque iure
Non tam sustinuit quam docuit;
Ita discipulus vt Magister dici posset.
Aduocatus Generalis cum per ætatem esse non posset;
Suppleuit annos maturâ eloquentiâ,
Dixit publicè, & suffragia extorsit ab inuitis:
Ex magno Consilio Præses apud Burdegalam,
Eloquentiæ Oratoriæ addidit Maiestatem Præsidis;
Sensit hanc eloquentiam tumultus Aginensis, & conticuit.
Apud Salyos Princeps Senatus,
Officio primus, primum se probauit ingenio;

Inde illa authoritas nulli secunda nisi Regi;
Inde inuidia creuit, vnde fauor nasci debuerat:
Iussus priuatam vitam agere apud Biturigas,
Negabat vllam virtutem pulchriorem esse quam exulem.
Reuocatus Burdegalam primarius Præses,
Diu seruauit patriam, etiam perire volentem;
Denique dum apud Lemouicas exulem Senatum colligit,
Euocatus est ad cœlestem Senatum quem nulla bis diuidit:
Nec imparatus iuit vir cœlo maturus,
Semel moriturus quotidie mori didicerat;
Stationes Iubilæi sic obiuit quasi iturus ad cœlum;
Et Sacramentis Christianis expiatus,
Egit iudicem sui, vt iudicem Deum præuerteret:

Obiit anno Ætat. 63.

ABI VIATOR.

Hic magni viri exiguus cinis
Olim magnum resurget in virum.

ELOGIVM FVNEBRE D. LVDOVICI GIRARD.

PERFVNCTVS *magnis honoribus,*
Superauit honores quos gessit,
Meruit quos non gessit,
Dignus sigillis Regiis quæ intra familiam geri vidit,
Ex Senatu Redonensi translatus ad Parisiensem,
Per vnam purpuram transiuit ad alteram,
Ex Senatore supplicum libellorum Magister,
Ex illo apud Pictauos, & Xantones iuri dicundo Præpositus;
Repræsentauit Regem duabus Prouinciis,
Et solus instar Senatus fuit.
Ad Rupellam ne diffluenti militi æs deesset,
Obærauit nomen suum, & suppleuit erarium;
Victus hac arte Soubisius præluſit vincendæ Rupellæ;
Author victoriæ Montmorancius, Girardus adiutor fuit.
Extincto fratre Regiarum rationum Procuratore generali;
Successit dignitati qui successerat meritis,
Arbitratus Regem esse diuitem cum regnum est dives;
Temperauit rationes regias & publicas,

Et sic egit Procuratorem Regium,
Vt non omitteret publicum.
Et se quoque credidit Procuratorem Dei,
Nec segnius curauit rationes diuinas quam regias:
Procuratus more Christiano vltimis Sacramentis:
Ex fisco regio translatus est ad cœlestes thesauros,
Illic futurus locuples vbi nullus est pauper.

ABI VIATOR.

Et da lacrymas magno cineri,
Publica iactura est cum vir magnus sit cinis.

ELOGIVM FVNEBRE
D. TALON, ADVOCATI GENERALIS.
STA VIATOR, ET AVDI.

ACET *sub hoc marmore, & adhuc loquitur,*
Magnus Gallicæ eloquentiæ Patronus Regius,
Hic est Illustrissimus DOMINVS TALON,
In Senatu Parisiensi Regiarum causarum generalis Patronus,
actor causarum publicus antequam Regius,
Meruit Patronus Regius esse dum fuit publicus:
Nec confudit vtrumque munus dum miscuit:
Patronus Regij iuris erat, & Pater publici:
Nemo eo actore Maiestatem regiam contempsit impunè,
Neminem Maiestas regia oppressit iniustè:
Ratus nihil æquale esse Regi nisi regnum,
Dicere se pro Rege putauit dum pro regno dicit:
Omnium iurium defensor,
Omnium iniuriarum actor,
Omnium bonarum rerum suasor,
Omnium malarum censor fuit.
Nec Regis tantum sed Aduocatum Dei se credidit:
Vtriusque cliens, vtriusque Patronus,
Protegebat regia iura diuinis, & diuina regiis:
Nemo Romanum forum & Gallicum sapientius miscuit,
Nemo vtrumque sapientius distinxit,
Certus infallibilem esse Cathedram Romanam, non rotam,
Credidit dogmata Cathedræ non examinauit,
Examinauit decreta Rotæ non credidit:

Nemo fidei Romanæ obseruantior,
Nemo libertatis Gallicanæ tenacior fuit.
Triginta annis egit Patronum Regium & publicum:
Vt vidit armari Lutetiam in seipsam,
Inter imperia Aulæ, & preces Lutetiæ medius,
Inter dissidia negotiator perpetuus,
Idem repræsentabat Senatum Regi, & Regem Senatui;
Idem rogabat Senatum ne opprimi vellet,
Idem orabat Regem ne vellet opprimere,
Et fecerat pacem si sæpe auditus,
Audiri adhuc postremò potuisset.
Denique siluit inter arma vox publica & Regia;
Dedit lacrymas ruinæ publicæ,
Daturus sanguinem si prodesse potuisset:
Intereà intumuit lacrymis magis quam aquis
Duorum annorum hydropisis
Extinxit hominis vitam non gloriam.
Obiit ann. ætat. Domini.
Nec tamen totus interiit
Viuit eloquentia Patris in filio;
In vxore constantia,
Apud Regem fidelitas,
Apud Senatum integritas,
Apud omnes fama.

ELOGIVM FVNEBRE
NOBILISSIMI EQVITIS
HENRICI DE LA VIEVVILLE.

STA VIATOR VBI EQVES GENEROSVS STETIT.

Hic est HENRICVS DE LA VIEVVILLE
Nobilis Eques Melitensis;
Formauerat illi corpus elegantia vt Aulæ placéret,
Nemo illum oderat etiam hostis
Nemo illi inuidebat etiam maiori,
Placebat nobilis indoles etiam inuidis:
Patri imprimis amabilis fuit,
Naturâ filius, penè consiliis Pater erat.

Splendorem generis probauit Melita dum Equitem fecit;
Nec vnum Equitem tantum illustris prosapia dedit;
Augére ordinem consanguinei possent, si omnes viuerent;
Nec indocta Equitis nobilitas fuit,
Ornauit illam politioribus literis, vt bis nobilis esset;
Lustrauit populos, collegit omnium virtutes non mores,
Didicit omnes Aulas, & perfectum Aulicum fecit:
Placére poterat externis Regibus
Nisi Ludouico placére maluisset.
Apollini similis intus eruditus, foris armatus erat;
Præfectus castrorum, imperij parcus,
Exempli prodigus fuit.
Erumpens hostis ex obsessis Stampis
Arbitratus militem, lasit Ducem;
Vulnerauit eminentiam pedis,
Non ausus ferire maiestatem capitis;
Achilli similis hac sola parte corporis mortalis fuit;
Sensit hoc vulnus omnis Aula,
Solus qui accepit vix sensit.
Ab eo vulnere mutatus in Aulicum cœlestem;
Placere cœpit æternitati qui placuerat tempori;
Monitus illam ex momento pendére,
Momenta singula æterna fecit, ne vllum periret;
Mœstus periisse sibi quidquid cœlo non dederat;
Correxit morbo sanitatem, & compensauit damna virtutibus;
Doctus cœlum vænale esse si quis doloribus emeret;
Inter acerbos cruciatus auidus patiendi,
Augeri petebat vires, vt dolor cresceret.
Denique creuit corrupti vulneris & amoris igne,
Exarsit, amauit, pœnituit,
Et ne quis de pœnitentiâ dubitaret, publicam fecit.

ABI VIATOR.

Et sapere disce ex nobili iuuene.

ELOGIVM

ELOGIVM FVNEBRE
D. FRANCISCI VAVTIER,
PRIMARII MEDICI REGII.

STA VIATOR VBI STETIT ILLVSTRIS MEDICVS.

IRATA mors quod illustres sibi prædas eriperet,
Perculit hominem ignoto morbo ne medicina sanaret:
Fuit diu primus Medicus antequam esset primarius;
Repræsentauit Aulæ antiquam medicinam & addidit nouam:
Creditus est cum eo redire Hippocrates, & Galenus,
Vtriusque discipulus, vtriusque Magister,
Inuénit aliquid quod Græciam latuit, & quod Roma nesciuit:
Addidit politicam Medicinæ, vt bis Medicus esset;
Sanauerat Reginam Matrem si Medico credidisset,
Erupit sæpe in has voces, Cur tibi Vauteri non credidi?
Timuére hunc Reginæ Medicum qui Reginam timebant:
Inclusus est carcere Regio, non quia nocuerat,
Sed ne nocéret,
Et reus sine crimine,
Luit pœnas culpæ futuræ, & nondum suæ;
In eo secessu meditatus nouam artem medicinæ;
Et Stellas & gemmas, & pene omnem naturam Medicam fecit;
Et debuit esse naturæ Medicus vt esset Regius.
Postulatus extra Galliam à Regina matre,
Exiuit vt iret, atque ideò non iuit quia exiuerat;
Mysterium fuit carcer, & libertas ænigma.
Expetitus à Ludouico Iusto moribundo,
Sanauerat morbum, si curare cœpisset:
Electus in Medicum primarium qui primus iam erat;
Breui ostendit in filio quid in Patre fecisset;
Seruauit vtrique vitam priuatam, & publicam,
Facturus immortales si arti natura respondisset:
Irata mors homini immortalitatem cogitanti,
Dum Regem balneo admouet nec reformidat solem;
Perculit obuium caput tot telis quot radiis;
Et ne ardor sanabilis esset, venenum febri admiscuit:

Senſit inſidias vir ſagax & curare neglexit;
Arbitratus ardorem pretioſum quem pro Rege conciperet;
Paſſus eſt Solem etiam ledentem ne Regem deſereret:
Nec impunè mors vicit, nec ſine certamine,
Superauerat illam niſi intra Meſenterium latuiſſet:
Ne imparatus æternum iter ſuſciperet,
Sacramentis Chriſtianis, & diuino Viatico auctus,
Decem dierum itinere ad æternitatem peruénit:

ABI VIATOR.

Et diſce nullum Aphoriſmum veriorem eſſe:
Morimur tempori, & naſcimur æternitati.

TVMVLVS

DVORVM AMANTIVM,

APVD LVGDVNVM ERECTVS.

IACENT *intra hunc tumulum duo Amantes,*
Et adhuc ſe amant;
Extincta eſt vtriuſque vita, non flamma;
Adhuc viuit ignis ſub cinere,
Erupturus foras niſi tegeretur hoc lapide:
Fluxerunt decem ætates cum amare cœperunt;
Perierunt mille anni, amor non periit;
Viuit adhuc & penè vrit,
Nec obruit illum lapis ſed tegit,
Ipſe intra hoc ſepulcrum quaſi intra ſacellum eſt.
Hoc primum amoris miraculum, audi alterum,
Iacent intra hunc tumulum duo amantes ſed virgines,
Inuénit coniugium caſtos & effecit;
Primo nuptiarum die vouerunt amorem ſed virginem;
Idem thalamus coniunxit vtrumque & diuiſit:
Coniugium fuit animorum, & diuortium corporum:
Nunc quoque idem mortuis thalamus eſt,
Idem coniugium cinerum & diuortium,
Iacent contigui coniuges, & impermixti;
Et quorum amores virgines fuére,
Virgines quoque ſunt cineres.
Extra vrbem conditi ſunt,
Minus ſecura eſt intra vrbes virginitas;

Ad ripam araris situs est tumulus,
Hic quoque fluuius virgineus est:
Nubit Arar Rhodano, & vterque coniux est castus;
Idem vtrique alueus est, & quasi thalamus,
Voluunt contiguas aquas, & impermixtas;
Intrant Oceanum conuges, & manent virgines:
Nec Herodis hic tumulus est, nec Herodiadis;
Adulterium vtriusque fuit non connubium,
Vterque ante obitum corruptus,
Integer esse non potest post cineres,
Nec Romani fuere hi duo amantes, neque Ethnici;
Sciri vellet Roma si esset patria;
Neque essent casti si essent Ethnici:
Ne quære quinam sint? latére voluerunt;
Declarant tamen nomen suum, dum dissimulant;
Christiani sunt coniuges, & virgines,
Nec ignoti esse vellent nisi essent Christiani:
Nec tam fidelis esset amor nisi esset coniugalis,
Nec tam diuturnus nisi esset purus.
Substitére Lugduni nobiles amoris exules,
Aduenæ Lugdunenses dum viuerent,
Post mortem indigenæ:
Aruernos fuisse hos amantes coniectura est.
Tenacis iudicij sunt Aruerni, & tenacis virtutis,
Aut amantes ipsi, aut eorum amor Aruernus est.
Facis Lugdunenses Moyrone dum ædibus donas,
Accipis ab illis nomen, & reddis,
Hospes es duorum amantium, & amas tertius,
Et solitudo olim duorum amantium,
Nunc est trium.

ILLVSTRISSIMO DOMINO D. IACOBO MOYRON, BARONI DE SAINT TRIVIER,

EX PRÆTORI LVGDVNENSI, ET SVPREMI CONSILII REGII CONSILIARIO.

DOMVS DVORVM AMANTIVM DOMINO

ELOGIVM.

FRVSTRA solitudinem, & latebras quæris, VIR ILLVSTRISSIME, nec latêre potes, nec esse solus, quia publicum oraculum es: trahis tecum quocunque pergis totam vtriusque iuris doctrinam, sequuntur te omnes scientiæ & virtutes, priuato tibi esse non licet, quem tot ornamenta faciunt publicum; nec duo amantes totum te possidêre possunt, qui amor es omnium, nec vllus locus est capax tui nisi sit publicus; frustra igitur vrbem fugis qui vrbem facis vbicunque es: ex quo secessisti in suburbium Lugdunense; aut suburbium intra vrbem, aut magna pars vrbis intra suburbium est.

Nec te Lugdunum tantum sed Aula ipsa quærit etiam latentem, amaris vbi es, desideraris vbi non es, æstimaris vbique; audiuit Rex qualis esses, & dignum putauit quem adhiberet omnibus Consiliis Regiis; nec capacior adhiberi potuit consiliis priuatis, nec sincerior politicis, nec innocentior ærariis; nullum est Consilium cuius non merearis esse arbiter, nullum ministerium cuius non possis esse Magister; fuisti hactenus oraculum publicum, potes nunc esse regium.

Captas tamen solitudinem quantùm potes, & illa te captat; reddis te tibi qui tandiu dedisti te aliis; oraculum priuatum esse vis, qui tandiu fuisti publicum; consulis te ipsum & respondes tibi; examinas rationes tuas qui toties examinasti alienas, statuis intra te tribunal iuridicum vbi testis & actor, & iudex tui, anteuertis diuinam sententiam dum te accusas, & absoluis; sic præparas te alteri vitæ intra istam, sic mortem fallis dum incipis æternus esse adhuc viuus.

Patere, Vir Illustrissime, vt adiungam me solitudini tuæ, non interpellabo silentium tuum dum silebo; si tamen loqui aliquando velis, loquar dum loquêris, dicam quod dices, agam quod ages. Sic eris solus

etiam me comite, sic erimus plures, & vnus, sic erimus duo amantes, sed tu amicus, ego seruus

Addictissimus PETRVS L'ABBE'.

ELOGIVM FVNEBRE
D. DE CHASTEAVNEVF,
REGII SIGILLI CVSTODIS.

NOVVM ELOGII GENVS FACTIS LAVDARE NON VERBIS.

STA VIATOR, ET LEGE.

ILLVSTRISSIMVS, Excellentissimusque Dominus Carolus de Laubespine, Marchio de Chasteauneuf, Baronum, Marchionum, & Præsidum sanguis, collegit omnia Maiorum decora, & fecit sua: natus anno 1580. & mortuus anno 1658. duarum ætarum Nestor fuit: anno 1602. Senator in Curia Parisiensi, & plusquam Senator fuit: anno 1606. Legatus in Hollandiam, anno 1609. ter in Belgium missus vtrobique de pace egit: anno 1617. Principes Regi, & Principibus Regem conciliauit: anno 1620. Legatus ad Imperatorem, & Principes Germaniæ docuit Germaniam liberam esse non posse nisi germana sit Galliæ: anno 1626. ad Principes Italiæ, ad Venetos, ad Rhetos, & Heluetios missus, ostendit Galliam populorum fœdera ambire non iura: anno 1629. Legatus in Angliam probauit tria regna stare diu non posse, si sint tria: Post lustraram variis legarionibus Europam, Turonum Prorex, & Regij sigilli custos creatus est: quam benec ho vtrumque munus gesserit, ex inuidia collige: anno 1633. exulare iussus inculisimæ docuit nullas virrutes nobiliores esse quam exules: anno 1643. restitutus est libertati publicæ, qui nunquam priuatâ caruit: anno 1650. redditus est sigillis Regiis: anno 1651. adhibitus est primario Ministerio. Anno 1653. secedere Leuuillam iussus abduxit secum virtutem ne solus iret: hæc semper illi intra Aulam, & extra illam comes fidelis fuit. Hæc denique anno 1653. clausit hominis vitam, & magnarum rerum historiam:

Legisti Viator vitam prosperis rebus, & aduersis permixtam: expertus

est vir magnus vtramque fortunam, & eodem vultu, mutata est sæpe illa, non ille; emendabat vtramque virtute, & Dominus semper non seruus; stetit erectus cadente fortuna, & rotam fefellit dum sola cecidit.

ABI VIATOR, ET TV QVOQVE
Fortunam virtute rege.

NOBILISSIMI HEROIS DOMINI CAHEVSACII,

LEVIORIS TVRMAE,

EMINENT. CARDINALIS ARMANDI RICHELII DVCTORIS.

EPITAPHIVM.

STA VIATOR, ET LVGE HANC MORTEM.

QVam Mars ipse fleret, si flere sciret.
Vt scias qualis hic fuerit, ex eo collige,
Fleuit eius mortem Cardinalis Richelius,
Fleri iis lacrymis gloria vellet, si mori posset.
Merebatur eas lacrymas hic heros,
Quem Anglus, Germanus, Hispanus lugèrent, nisi hostes essent.
Obsesso apud Ream Insulam Toëraso,
Scapharum 29. commeatum inuexit ea viâ,
Quæ solis piscibus patére potuit:
Iuit per omnia clausa, eadem arte ad Regem rediit:
Eádem auxiliaribus copiis dux viæ fuit;
Iturus per aërem, si maria defuissent:
Per aërem ferè venisse crediderunt Angli,
Dum eos ex D. Christophori insula momento expulit.
Nec minus illustre est quod adiungo,
Oppugnabantur omnia Elementa in vna Rupella,
Ipse vnum Elementum ex parte clausit,
Dum ad aggerem maritimum pugnans,
Instar aggeris alterius fuit.
Glorioſum est quod attexo,
Victoriæ quæ Casalis obsidionem soluit, pars magna fuit:
Electus à voluntariis ductor spontaneus,

Solo aſpectu & geſtu hoſtem terruit;
Et Toëraſium ſemel ad Ream,
Iterum ad Caſale victorem fecit.
Maius aliquid heros hic geſſit,
Leuioris turmæ Em. Card. Præfectus
Totidem heroës in Germaniam duxerat,
Si duxiſſet immortales:
Cum hac Equitum manu in Croatarum agmen irrumpens,
Tot facinora edidit vt Mars alter haberi poſſet, niſi cecidiſſet:
Numeroſo exercitu obſeſſus includi non potuit,
Signifero vexillum Aquilæ vulneratus eripuit,
Hoc trophæo ſe obuoluens, & moriens,
Heroïcam ſibi in Aquila Apotheoſin erexit:
Sic extinctus adhuc timebatur,
Mortuus pugnare creditus eſt,
Territi hoſtes hoc facinore victoriam noſtris ceſſere,
Rati pugnare ſe cum heroibus qui neſcirent mori,
Aut qui pugnarent mortui.
Iturus in hoſtem, Marchionem de Moüy amplexus,
Eamus inquit, & fidem Deo probemus, & Regi,
Iuére ambo, pugnarunt viui, & vicerunt mortui,
Miratus heroës Cardinalis Richelius,
Vtrique lacrymas amoris teſtes impendit.
Lugendus vterque heros ſed laudandus,
Hac morte vterque periit, qua moriuntur heroës.

ELOGIVM FVNEBRE D. PHILIPPI DE TORSI, D. DE LA TOVR,

ATREBATENSIVM GVBERNATORIS.

STA VIATOR ET IRASCERE MORTI.

VÆ non auſa heroëm palam aggredi,
Per inſidias occidit.
Hic per omnes militiæ gradus acceſſerat ad ſupremum,
Mareſcallus futurus qui Mars alter iam erat;

Missus trans Alpes ad Galliam olim Cisalpinam,
Mantuam Gallicam reddidit, & pene Cremonam:
Gubernator Casali datus,
Euertit casas obsidentis exercitus, & Casale seruauit.
Post seruatum Casale datus est seruando Atrebato,
Tradere se dixit Ludouicus glorioſam vrbem fideli Gubernatori,
Et fidelem Gubernatorem glorioſæ vrbi:
Vt ageret Gubernatorem Patrem egit, & iudicem:
Temperabat pœnas amore, & crimen puniebat non hominem,
Inde ille amor Gubernatoris quasi Patris,
Et metus quasi iudicis:
Imperij tenax si iussisset, abstinens ne iubéret,
Nullum imperium sterile sensit,
Nullum obsequium difficile.
Nemo seueriorem appellauit dum puniret,
Nemo molliorem dum parceret.
Vt subditos haberet homines, erat ipse subditus Deo,
Amabatur in illo Deus & timebatur,
Nemo imperantem spreuit, ne sperneret Deum.
His occupatum curis Apoplexia oppressit,
Non tamen imparatum:
Sæpe tales insidias mors heroïbus struit,
Dum palam non audet aggredi.

ABI VIATOR.

Et mortem falle, ne illa te fallat.

TVMVLVS
DOMINORVM DE BOVRLON.
STA VIATOR.

AD NOVVM TVMVLI GENVS,
DOMVS EST HIC LOCVS, NON TVMVLVS.

IACENT sub eo tres nobiles fratres,
Et iacebit olim tota fratrum familia.
Ij sunt,
D. Nicolaus Bourlon, Eques de Lyons, & de Chally,
D. Ioan. Bourlon, Actuarius primarius Curiæ Rationum,
D. Math. Bourlon, Rationum Magister, & Consil.

Neque

Neque hos fratres vita diuisit,
Nec mors diuidere potuit,
Idcirco eodem tumulo condi voluêre,
Vt quorum mores indiuidui fuêre,
Indiuisi sint cineres.
Primus ex illis sine liberis vixit,
Alter sine vxore,
Tertius decem liberos sustulit,
Ex lectissima coniuge D. Christina de Bally,
Nobilis D. de Bally, Præsidis Computorum filia.
Ij sunt liberi,
D. Nicolaus Bourlon, Consil. in Senatu Parisiensi,
D. Carol. Bourlon, Coadiutor Suessionensis,
D. Ioan. Bourlon, Consil. in Senatu Metensi,
D. Math. Bourlon, Rationum Magister.
Quintus Ordinis S. Augustini Regularis Canonicus,
Ex quinque filiabus tres Deo virginitatem vouerunt,
Vt scias omnes Paternæ concordiæ hæredes esse,
Tredecim sunt si numerum spectes,
Vnus si animum:
Fouet hanc concordiam annosæ virtutis Mater,
Viuunt omnes eodem spiritu matris,
Et decies viuit Mater in singulis.
Nec noua est hæc concordia quæ seculum videt,
Et erit semper noua dum erit æterna,
Fouebunt illam venturi nepotes,
Tamdiu hæredes illustris familiæ,
Quandiu hæredes paternæ concordiæ.
ABI VIATOR.
Et disce concordiam immortalitatis causam esse,
Mors ipsa nihil aliud est nisi vitæ discordia.

ELOGIVM FVNEBRE
DOMINI GASTONIS DE RANTY.
STA VIATOR AD NOBILEM TVMVLVM.

TACERET sub eo virtus si mori posset,
Audi qualis fuerit GASTO DE RANTY.
Nobilis sanguine, nobilior fuit virtute:

Nec apprehendi expertes molis,
Nec vulnerari expertes corporis,
Boëssatus spiritus erat, & tamen occubuit:
Quæsiuit mors vulneri locum, & inuênit
Oppressit hominem Apoplexia ne vulnus sentiret,
Obstruxit meatus sensuum, & spiritum intercepit.
Fallor non intercepit spiritum sed emisit:
Hospes corporis animus, & indigena cœli,
Indignatus obstrui sibi vias sensuum,
Penetrauit clausos aditus, & exiuit:
Et facilis fuit exitus dum caro non sentit:
Hac arte dum mors parabat fallere, mortem fefellit.
ABI VIATOR ET IMITARE SI POTES,
Boëssatus nomine spiritus erat,
Et poterat appellari virtus.
Mutauerat penè carnem in spiritum,
Et spiritum in virtutem,
Tu si spiritus esse non potes,
Esto virtus.

EPITAPHIVM
DOMINI IVLIANI BRODEAV,
ILLVSTRIS CAVSARVM PATRONI.

STA VIATOR,
VBI VIR ELOQVENS STETIT.

AD dicendum natus adhuc Infans eloquens erat,
Addidit artem naturæ & bis eloquens fuit,
Omnes scientias eloquentes fecit, dum didicit.
Admirare tamen modestiam hominis,
Interpres alterius esse maluit quam Magister,
Æquauit tamen aut vicit, dum vinci voluit.
Omnium causarum actor, omnium victor,
Nullam causam admisit nisi probabilem,
Nullam reliquit incertam, dum probauit,
Persuadebat vt actor, concludebat vt iudex,
Decreta dictare videbatur dum diceret.

Vna tamen est causa cui victus succubuit,
Causa mortis.
Sciebat Dei decretum esse, & vinci voluit.
ABI VIATOR.
Te quoque hoc decretum manet
Morieris.
REDI VIATOR.
Totus non interiit vir magnus,
Viuit pars hominis in libris, & pars in liberis.

EPITAPHIVM NOBILIS INFANTIS FRANCISCI FOVQVET.

HIC *jacet* FRANCISCVS FOVQVET,
Infans erat trium annorum si ætatem spectes,
Maior Infante si merita numeres:
Formauerat illum elegantia vt omnibus placeret,
Omnium oculorum Ocellus,
Omnium amorum amor erat,
Nihil in illo puerile nisi ætas,
Ipse fletus amabilis,
Ipse risus grauis,
Ipse gestus serius,
Ipse sermo maturus fuit.
Jam crescebat ad magna annis maior,
Iam repræsentabat annos venturos,
Iam spes domestica erat, & penè publica.
Ebeu quam citò interiit flos maturus!
At hæc maturarum rerum conditio est, citò mori.
Eripit se ex oculis perfecta virtus,
Et quidquid ad summum peruênit currit ad exitum:
Ostensus est puer tempori, & redditus æternitati,
Neque hæc æternitatis iniuria est,
Commodauerat illum Parentibus non dederat,
Postquam ostendit, quod suum erat repetiit:
Imo hoc æternitatis beneficium est,
Filium datura, sed non diu
Qualis futurus erat statim dedit.

ABI VIATOR ET LEGE HOC SYMBOLVM.

Hemerocallis.

Vix obiit quæ non vixit.

EPIGRAMMA.

VNa dies nasci videt, & videt vna perire,
Fallor vix obiit, cui neque vita fuit.

ELOGIVM FVNEBRE ILLVSTR. D. D'ANCIER.

STA VIATOR AD MONIMENTVM NVNQVAM CASVRVM.

Quæ alia monimenta deterit,
Hoc monimentum posteritas conseruabit.

DOMINVS Franc. Antonius Gaulthiot, Dominus d'Ancier, &c. cum hæredes morituros nollet, eos sibi hæredes adsciuit qui nunquam mori possent; Societatem Iesu ad bona vocauit, eruditam vt beneficium sciret, religiosam vt eam memoriam votiuam haberet, nunquam perituram, ne pretiosa hæreditas vnquam periret.

Vis nosse beneficæ in societatem voluntatis aliquam causam; Collegium instituendæ iuuentuti magnificum amplissimi Gubernatores Vesontionensis Ciuitatis extruxerant, deerat membrum aliquod vt totum ædificij corpus perficeret, templum deerat vt totum opus consecraret; successit opportune in partem sumptuum vir patriæ amantissimus, absolui Collegij extructionem ære suo voluit, vt liberalitatem suam publicam faceret; extrui templum imperauit vt opes suas consecraret; sacellum in eo templo sibi destinauit, vt publicas simul preces, & priuatas haberet.

Vnum vno in loco sacellum voluit, & plura vbique habebit, nam Societas toto pene orbe diffusa quot sacerdotes vbique & socios alet, tot piæ voluntatis alumnos esse credet: Imo vt semel dicam erit sacellum in quo votiuæ pro eo preces, templum erit in quo amicæ gratiarum actiones, gymnasium erit, in quo eruditæ ei persoluentur laudes.

Obsignauit breuiorem hominis vitam hoc vltimum facinus, desinere

illustrius vita non potuit; Romæ hoc testamentum scripsit; voluit in publico orbis theatro illustre facinus edi; longè à Patria sejunctus ei beneficus fuit, vt sciat patria quam ei cara fuerit, quam vt viuus & præsens suis consiliis, sic absens & moribundus suis beneficiis auxit; infirmâ valetudine firma, & sana mente eas tabulas scripsit, vt scias & piè illas ac sponte scripsisse.

Dicerem nobilitatem hominis nisi eam sparsæ toto Burgundiæ Comitatu affinitates scutis ac tesseris gentilitiis abunde loquerentur: vnum dico, hoc ipse Maioribus debet quod familiæ suæ splendorem ad eum transmiserint; hoc ei Maiores debebunt quod eum ille splendorem efficiet immortalem.

Dicitur & bellum in Palatinatu gessisse honorarius Eques, vbi etiam illic didicit artem homines vincendi, sed hanc postea artem homo mitis ingenij scire maluit quam exercêre: ne quid in homine nobilissimo elegantiarum requiras, nobiliter eruditus fuit: quantopere bonas artes amarit ex eo collige, nobile Gymnasium scientiis absoluit ex parte, & Magistros Gymnasij hæredes suos ex asse scripsit.

Abi Viator, & pro eo preces, vel ei laudes offer, qui tibi & tuis gymnasium & templum ornauit, gymnasium vbi laudes discas, templum vbi preces fundas.

ELOGIVM FVNEBRE
ILLVSTRIS. D. DE BRVILLART,
BARONIS DE COVRSAN.

STA VIATOR ET DISCE

QVALIS COVRSANVS FVERIT, EX EO QVOD NON FVIT.

DOMINVS BARO DE COVRSAN,
Non fuit legionum tribunus,
Non fuit castrorum Præfectus,
Non fuit ductor exercitus,
Id totum non fuit, quia esse recusauit.
Fallor id totum fuit dum esse noluit,
Legiones rexit sed sine Tribuni nomine,
Castris præfuit sed sine Præfecti munere;
Exercitum duxit sed sine Mareschalli dignitate.
Admisit onera titulorum reiecit titulos,
Timuit præesse militi, cum rapinæ timebantur,

Tunc præfuit dum nihil timebatur nisi hostis,
Cedebatur ei acies quasi alteri Marti,
Victoriam sperabat Miles, si Coursanus imperaret.
Nullum sub Henrico Magno bellum gestum est,
Vbi Coursanus non vicerit:
Adhuc fortitudo & conscientia Coursanij prouerbium est,
Palliati Coursanij aut vincere sciunt aut mori,
Conscientia Coursanij timet aurum, non ferrum.
Hæc cogitatio eum recreabat morientem,
Pugnaui, ne alieno ditescerem,
Vici Henrico Magno nec sum maior,
Vixi priuatus etiam dum fui publicus,
Hic circulus vitæ meæ Rex & Deus.

ABI VIATOR ET DISCE.

Neque armis notêre virtutem,
Neque arma virtuti.

ELOGIVM FVNEBRE

ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ

D. CAROLÆ DAMASCENÆ,

BARONISSAE DE COVRSAN.

STA VIATOR.

HIc jacet Mulier fortis
Alibi inuentu difficilis.

De Thyanges des Rois de Sicile, & de Damas.

Hæc est CAROLA DAMASCENA,
Nomen ipsum Maiestatem sapit.
Ex Regibus oriunda, omnes regias virtutes collegit in fœmina,
Inde illi omnia Regia præter fortunam,
Suppleuit illam virtute, & imperauit sine sceptro:
Fœminarum animos rexit quasi fœminis superior,
Nobilium Virorum duella composuit quasi viris maior,
Populatium lites diremit quasi judex,
Pluribus Prouinciis ius dixit quasi præses.
Nemo ab ea discessit nisi beneuolus,
Nemo abiisset pauper si omnes ditare potuisset,
Eos omnes censebat domesticos qui domo carebant,

Pietatem domeſticam habuit, & teſſerariam crucem,
Similis erat nobilis domus Religioſæ familiæ;
Seruabantur in ea vota ſine voto,
Et pietas ſine regulis regula erat,
Ipſa imperio & exemplo dux ad virtutem & comes erat,
His operibus intenta ibat ad virtutem contino curſu,
Et ire debebat ex domeſtico lemmate.

Armes de la Maiſon de Thyanges, vne Croix de Damas.

Deuiſe de la Maiſon de Courſans court ſans ceſſe.

ABI VIATOR

Et tu quoque ad æternitatem curre,
Sed ad illam non itur niſi per virtutes.

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. ANTONII DE GILBERTES,

ECCLESIÆ LVGDVNENSIS COMITIS, ET ARCHIDIACONI.

EPITAPHIVM.

Hic jacet D. ANTONIVS DE GILBERTES,
Eius Eccleſiæ Canonicus in qua omnes ſunt Comites,
Et Canonici aliqui Reges.
Accepit ab ea Societate ſplendorem,
Et ſplendorem dedit:
Virtutum Comes quas omnes poſſedit:
Humilitas in eo nobilis, honor humilis fuit,
Ex dignitatibus eas tantum admiſit, quas augere poſſet,
Recuſaſſe infulas dicitur, ne illis creſceret.
Ambiebant Magnates eius gratiam,
Ipſe nullius gratiam ambiebat,
Idcirco omnibus gratus, quia nihil egit ex gratiâ.
Nemo amicus eo melior, quia nemo conſtantior:
Amicum nunquam mutauit, etiam dum amari deſiit,
Spectabat in amico Deum qui ſemper eſt ſimilis.
Vt ſcias puritatem amoris,
Amabat pauperes in quibus nihil eſt amabile præter Deum,
Ex cœna quotidianum ferculum iis tranſmittebat,
Nec vnquam ſine Deo cœnauit:
Maiores tamen erant Eleemoſynæ priuatæ quam publicæ,
Id ſatis publicum dicebat quod Deus aſpiceret:

Maturus

Maturus erat æternitati, cui assueuerat adhuc viuus:
Tam facile ad eam migrauit vt mutasse hospitium diceres,
Imo neque hospitium mutauit,
Eo iuit quo ire consueuerat.
Et tu quoque Viator assuesce æternitati,
Nec ad illam hospes, sed hæres accede.

ELOGIVM FVNEBRE
ILLVSTRISSIMÆ DOMINÆ
D. GABRI. DE GADAGNE,
COMITISSAE DE CHEVRIERES.

STA VIATOR THESAVRVS HIC LATET,
MVLIER FORTIS DIVES THESAVRVS EST.

Talis est D. Gabr. de Gadagne, *Com. de Chevrierei,*
Nosti nobilitatem si es Gallus,
Mirare virtutem si pius,
Imitare si Christianus.
Hæc post Mariti & filij vnici funus,
Cœpit nihil amare nisi Deum,
Quæ priùs Deum amabat & filium:
Nullus vnquam filius materno amore dignior fuit:
Elegantia ei pro corpore, virtus pro indole erat,
Fecerant hæc omnia Regi amabilem, quia fecerant similem.
Nec dubium quin ea merita compensasset Ludouicus Iustus,
Quæ iam amauerat pius.
Anteuertit regia munera Deus,
Remunerari prior voluit qui prior amauerat,
Subtraxit Matri delicias, & fecit suas.
Tot lacrymas expressit Matri tanta iactura,
Vt nunquam gauisuram crederes:
Tot gaudia postea creauit, vt nunquam fleuisse diceres:
Centies de morte Isaaci sui Deo gratias egit:
In eo Sara generosior, risit illa oblato filio,
Hæc etiam risit ablato.
Celandum fuit Saræ sacrificium filij,
Hæc centies Isaacum immolauit.

Vt gratior victima esset filium immolabat, & Deum:
Vt haberet vbi immolaret extruxit templa de suo,
Tres religiosas domos fundauit:
Quartam ipsa præstabat vbicunque esset.
Singulos dies vnius horæ meditatio,
Singulas horas Dei amor consecrabat:
Sic nulla ei hora peribat,
Sic omne momentum æternitas erat.
Nec tantùm in animo Deus sed in manibus erat,
Quibus vel altaria, vel pauperes,
Et Deum in vtrisque vestiebat.
Abdebat se aliquando apud Moniales ab Annuntiatione dictas,
Ibi in asceticis muniis ita omnibus pralucebat,
Vt non tam Monasterij quam instituti fundatrix videretur:
Includi non debuit cœnobio quæ in seculo religiosa erat:
Singulis mensibus diem vnum,
Singulis annis octiduum ita Deo impendebat totum,
Vt temporis oblita frui æternitate videretur:
Et erat æternitas nisi tempus successisset.
Patres Societatis Iesu.
Contineri domo vnâ non poterat nobilis zelus,
Mittebat subinde ad subditos doctores salutis,
Non toleraſſet in subditis hæresin, quæ ignorantiam non ferebat,
Breui omnes vrbes hæresi carérent,
Si Dominos haberent tam Christianos.
Nec suos tantùm hic zelus, sed amplectebatur alienos:
Erga egenos propensior, diuitem se illis putabat non sibi,
Reddere se illis stipem aiebat non donare:
Inuisebat frequens Nosocomium, etiam infirmas:
Addixerat se eius ministerio si Confessarius permisisset:
Prohibita est ne paucis tantum egenis seruiret foris,
Quæ domi omnibus ministrabat.
Tot operibus charitatis intenta flebat otium suum:
Quasi efficacior esse charitas possit, quam dum omnes iuuat:
Excidit illi tamen aliquando vox illa:
Viginti anni sunt cum meis commodis non seruiui:
Quam purè seruiebat Deo, quæ non meminerat sui:
Vt puriorem adhuc amorem efficeret,
Quotidianas noxas quotidiana ferè confessione expiabat,
Breui maculas non haberent,
Si se toties Sol & astra purgarent.
Agebat annum ætatis quintum & sexagesimum,
Matura erat gloriæ, & satur vitæ,

Biennium erat cum anniuerſario funere ſibi parentabat;
Quinto ante obitum die deſignauit locum ſepulturæ;
Aptauit altaribus funebrem veſtem quam ipſa confecerat,
Nemo officioſior eſt quam quiſque ſibi;
Prudentis hoſpitis eſt luſtrare ante domum quàm incolere;
Et præmittere ſupellectilem, ne in vacuo habites.
Eam diem quæ præceſſit obitum ſic totam impendit Deo,
Vt dubites an pertineat ad hanc vitam vltima,
An ad alteram prima.
Ex tribus eius diei meditationibus tertia fuit amoris diuinis;
Non interrupit mors eum amorem ſed extendit,
Et ne vnquam ceſſaret æternum fecit;
Extremæ noctis ſopor penè extaſis fuit,
Circa auroram ſurrexit, orauit, amauit,
Aſpexit cœlum, ſalutauit naſcentem diem,
Et ſibi æternitatem.
Excitatis ad vltimum agonem domeſticis,
Stans & inambulans obiit:
Extinxit calorem vitæ grauis humor, non amorem;
Inter amica ſuſpiria ſpiritum exhalauit:
Semihoram vix occupauit hæc pugna,
Tam facile mortem vicit, quia mori didicerat,
Stans obiit vt fortem mulierem ſcias,
Inambulans peruenit ad æternitatem,
Ad eam ſemper perrexerat.
Sic tranſiit ad felicitatem quæ beata eſſe iam cœperat;
Sic ſeptima octidui die cœlitibus ſacri.
Auxit cœlitum numerum,
Digna iis altaribus quæ ſanctis erexerat:
Hæredem ſcripſit Illuſtriſſimum Marchionem de S. Chamond,
Amauit in eo paternas virtutes, & proprias,
Vt amor hæredem faceret, virtus fecerat filium.
Sepeliri voluit in templo Minoris Collegij Lugdunenſis S.I.
Vt quibus animæ curam tradiderat viua,
Is curam corporis traderet mortua:
Sed admirare dignam omnibus honoribus humilitatem.
Prohibuit pompam funebrem,
Ne honores admitteret mortua, quos viua contempſerat;
Quos etiam vt calcaret, ſepeliri in veſtibulo templi optauit,
Vt calcari ipſa ab omnibus poſſet:
Sed Collegium venerabitur ſemper vt fundatricem,
Et Societas vt beneficam Matrem;

Et quia Societas vbique terrarum socios habet,
Habebit hæc vbique terrarum filios:
Quia Lugduni habet alumnos.

ABI VIATOR INVENISTI MVLIEREM FORTEM.
Tu nisi es fortis, minor fœmina es.

ANTONII L'ABBE',
CANONICI SILVANECTENSIS,
ET PHILOSOPHI VESONTIONE MORTVI.
EPITAPHIVM.

HOc totum est quod vobis remitto, mœsti consanguinei, mortui fratris titulum & Epitaphium; cætera quæ interire potuerunt pestis absumpsit. Crudele malum pestis, ex quâ quidquid spiratur venenum est, quidquid emittitur telum, quidquid attrectatur contagium.

Funesta hæc lues Antonium Labbé fratrem meum sic afflixit, vt ex eo toto nihil reliquerit, nisi triste in hac charta Epitaphium, & in me seruato penè miraculum.

Ne quærite quis casus hoc infortunium inuexerit; malum fuit quod nec præuideri à sano, nec agnosci ab ægroto, nec sanari ab vllo potuit: Alia sunt quæ nec silere testis, nec celare frater debeo. Adfui ægrotanti testis infortunij, particeps doloris, conscientiæ arbiter, morum Magister, vbique frater; & testari possum, eam pestem quæ corpus corrupit, nec afflauisse animum, nec mores attigisse.

Eo biduo quod illi extremum fuit, accuratas conscientiæ rationes apud probatum Sacerdotem sic posuit, vt in re arcana optarit me habere testem, vbi alij reformidant iudicem. Id vbi non impetrauit, eo ferè momento quo extinctus est, postremos vitæ calculos apud me & fratrem & iudicem numerare voluit, de quibus id tacere non teneor, eos satis fuisse ad graue testimonium, vix satis ad leue iudicium.

Nec plura vt sacerdos, vt Magister eam semper in eo indolem probaui, quæ vt modice loquar ad nullam vel artem vel virtutem inepta erat, charitate certe, & pietate erga suos illustri fuit; constitutus in extremis Auunculi de se optime meriti, memoriam in fine vitæ retinuit, & æternam fecit.

Me quidem fratrem sic dilexit vt quamdiu me sibi, & pesti suæ vicinum habuit nihil sibi abesse crediderit: Et certe eum ego amorem re-

pendi vt nihil vnquam in eo niſi peſtem oderim ; à cuius etiam Societate, nec me peſtis, nec periculum mortis excluſit.

Denique & Sacerdos, & Magiſter, & frater, & teſtis id affirmare poſſum, eo in ſtatu vitam clauſiſſe qui etiam cum peſte amari poteſt. Amate eum ſtatum, mœſti conſanguinei, & deflete, ſed ea lege doloris, ne veſtris lacrymis hoc Epitaphium deleatis, quod illi ſolum à peſte ſeruatum eſt.

INTERITVS FRATRIS,

ET PRO SE A MORTE SERVATO.

CARMEN VOTIVVM.

PENDEAT *hoc carmen votiuæ anathema Thaliæ*
Ex aris Loyola tuis, ſeruataque vita
Authori grates rediuiuo carmine ſoluat.
Labbæum fratrem hùc longis meus ignis ab oris
Duxerat ; vt mores ſub me, Sophiamque Magiſtro
Diſceret ; heu ſortis male conſcia corda futuræ,
Et Sophiam peſtemque hauſit! Veſontia labes
In ciues graſſata ſuos tandem improba tela
Torſit in externos, & fratrem afflauit acerbo
Vlcere, ſic ſæpe externis quæ Patria non eſt,
Aut odiis aut peſte nocet : ſeceſſerat vrbe
Vt peſtem & mortem fugeret, ſed neſcius vrbem
Et ſecum peſtem traxit ; vel perfida rura
Sæpe ægris plus vrbe nocent : huic dum omnia deſunt,
Ne frater quoque deficeret ; præſentia morbi
Et fratris non lentus amor rus ire coëgit :
Hîc ego vt ignoto vidi tabeſcere morbo,
Et flamma paſci internâ, quot munera ſolus
Suſtinui ? Medici, & fratris, ſociique fidelis ;
Ars amor & medicamen erat ; ſed fortior arte
Vis morbi fuit, & tandem mens ſola medelæ
Apta erat ; hæc hominis pars prima, & neſcia lethi ;
Huic ego ſolicitus prouidi, huic vltima verba
Suggeſſi, & fratrem prope ſum comitatus euntem.
Hic mihi fons morbi, tractataque alea peſtis ;
Scilicet has inter curas, vigileſque labores :
Noxius irrepſit membris languentibus ardor,
Siue is amor, ſiue ignis erat ; quam peſtifer eſſet,

Jam nigræ, mox vda albæ vestigia linguæ
Prodebant nocui fuligo aut spuma veneni:
Hinc Medicis atque inde metus: iam publica iura
Interdicta mihi, tellusque & publicus aër
Priuatim tantum esse meus: sic cuncta timentur,
Tactusque, aspectusque mali, spirataque verba,
Ipsa etiam pestis prope formidatur imago.
Mons Charitum est, Nymphis sedes, & amata Lyæo,
Effugium tunc pestis erat, Nymphisque fugatis,
Et morbum metuente Deo: pars imminet vrbi
Pars altè laqueos & publica crimina spectat,
Pendere, & literis homines rarescere longis.
Hic medio mihi colle domus, domus arcta diei,
Et nocti tantùm, ac lento satis ampla sepulchro:
Sol veritus puræ ne lucida tela diei,
Labem aliis ex me traherent, vix luce malignâ
Scissuras antri, & radiis spargebat auaris.
Hic ego vt angusto clausum me carcere vidi,
Et solum in tenebris captiuáque aëris vmbra
Cum morbo superesse Deum: satis, ô satis inquam,
Si præsens mihi Numen ades, dum cætera desunt
O felix jactura hominum, pretiosaque rerum
Alea, cui lucrum Deus est, versuraque cælum;
Magne orbis Rector, rerum fortuna mearum,
E manibus suspensa tuis mea stamina pendent,
Diuide, volue, seca, placet esse volubile filum,
Dum digiti sint Parca tui: tamen altera fratrum
Si satis esse potest placando victima cælo,
Currat adhuc aucto subtemine longior ætas,
Criminibusque meis forfex hoc pignore parcat,
Vt redimam lapsos annis melioribus annos,
Dilatæ exemplum pœnæ: post vulnera cautus,
Post virgas melior: neu fallat debile votum
Te prædem LOYOLA *meum, parteque salutis*
Sponsorem esse volo, si tela nocentia pestis
Deuoto capiti placas, & Numinis iras,
Tum mihi nona tuas morietur victima ad aras,
Et memori virtus testata hoc carmine viuet.
Dixeram, & afflictæ paulatim assurgere vires,
Deleri grauidæ sensim vestigia linguæ,
Denique post obitum, ploratæque funera viuo,
Et memori grates votiuas carmine soluo.

LIBER SEXTVS.

ELOGIA HISTORICA LVGDVNI ANTIQVI.

LECTORI BENEVOLO.

HACTENVS ſcribendi Hiſtoriam triplex ferè methodus fuit ; prima explicandis rebus ſingulis & minutis ſic inhæret tota, vt multum Mercurij habeat, parum Apollinis : Altera in enarrandis rebus geſtis quid actum male, quid bene, accuſat, & laudat, & ſic agit teſtem vt exerceat iudicem : Tertia ex rebus præteritis futuras inſtruit, & venturi temporis penè Hiſtoriam facit, dum oſtendit facienda ex rebus factis. Addi fortaſſe poteſt quartum hiſtoriæ genus per Diſſertationes, & Epiſtolas Hiſtoricas quarum exordium aliquid eruditum habeat, epilogus aliquid Ethicum, pars media Hiſtoriam rei narret ſi certa eſt, probet ſi dubia, exornet ſi ſicca, & ſic Hiſtoricum agat vt miſceat Oratorem & Philoſophum ; atque vt ſit perfecta ex aliis ſumit vnde ſe perficiat ; hac quarta methodo Hiſtoriam veteris Lugduni Hiſtoriam ſcribo ; ſi placuerit hæc methodus, erit Hiſtoria prima ; ſi minus placuerit, erit ſola. Vale.

NOBILISSIMO POTENTISSIMOQVE DOMINO

D. NICOLAO DE NEVFVILLE,

DVCI DE VILLEROY, PARI,

ET MARESCALLO FRANCIÆ,

LVGDVNENSIVM GVBERNATORI, &c.

EXAMINATAM à multis, nec satis adhuc discussam de ortu Lugduni difficilem controuersiam, cur tibi offeram sub Philarchi nomine, non leues sunt causæ, Mareſcalle meritissime.

Scire debes ætatem eius vrbis cui præes, nec potes scire natales infantis, nisi scias parentes; agnoscere te vellet primus Parens Lugduni si viueret, nec tu succedere debes ignoto; ordinis quidam nexus inter vos est; neque ille esset antiquissimus, nisi tu illi succederes, nec tu esses centesimus Gubernator, nisi ille præcessisset.

Neque ordinis tantum, sed amoris & beneficiorum vobis cum Lugduno communitas est; debet illa fundatori suo quod sit antiquissima, debet tibi quod penè sit noua; tot ornamentis publicis ornauit illam illustrissimus Parens tuus, & tu tot addidisti Patri, vt Neapolis ex vestro nomine appellari possit.

Addo aliquid illustrius, debet Planco Lugdunum quod inter ciuiles Romanorum motus Iulia semper fuerit, & Augusta; Et tibi debet Lugdunum quod inter nuperas factiones Regia fuerit, non neutra, nec altera.

Scilicet Gubernator eras Ludouici, & Lugduni, & Prorex vigilantissimus frater tuus, eâdem fide gubernabat Lugdunum qua tu Ludouicum: stetit exemplo vestro fidelis Arar, & Rhodanus, & vicinæ Prouinciæ immobili Lugduno quasi centro, immotæ stetére, si centrum cecidisset, casuræ.

Dixi quid debeat tibi Lugdunum politica, dicam breui quid debeat Fratri Lugdunum sacra.

MAGNITVDINIS TVÆ,

Humillimus seruus PETRVS L'ABBE'.

DISSER-

DISSERTATIO PRIMA, DE ORTV LVGDVNI.

ROGASTI quod imperare poteras Philarche, vt scribam ad te de natalibus, & ortu Lugduni; scilicet interesse putas vt Lugdunum annos suos & parentes sciat; turpe est prolem esse, & nescire patrem; nec minus indecorum est percurrisse tot secula, & nescire numerum, dum ignoras primum.

Obtempero precibus, vel imperiis tuis, sed aliter quàm expectas, scribo originem Lugduni, & illam taceo; scio illam & ignoro; atque hoc ipsum persuadêre conabor tibi, scire te illam, dum tu illam nescis; nimirum hæc prima laus est antiquitatis carêre principiis, altera laus habere principia & nescire: hæc ego duo si persuasero dicam originem Lugduni dum illam non dicam.

PRIMA ANTIQVITAS NON HABERE PRINCIPIA AVT NESCIRE.

ASSVRGE mecum Philarche, & primam antiquitatis Ideam ex eo disce qui solus antiquissimus est; extitisse ante tempora, & fundare tempus; antiquissimum esse genere, & Maiores non habêre, Patrem esse & carêre Patre; hæc primæ intra Deum Personæ nobilitas est: semper genitum esse, & semper gigni filium esse, nec esse post patrem; nihil habere minus Patre nisi punctum originis, hoc Verbi diuini elogium est. Terminare eum amorem qui nunquam incepit; exhaurire eum qui nunquam desinit; ardorem esse duorum & ardere tertium, hic Tertiæ intra Deum Personæ caracter est.

Altiùs te euexi, Philarche, intra mundum te reuoco; incepit aliquando hic mundus, & nescit quam-primùm inceperit; finiuit primam æternitatem, & ignorat finem; inchoauit tempus & initij non meminit; id vnum nouit nihil præfuisse sibi nisi inanitatem sui.

Vis aliquid dicam de origine Oceani? nescit an sit pater fluuiorum an filius; crescit ex fluuiis, ex illo fluuij crescunt; plenus semper est, & se semper effundit; breui exhauriendus si effunderet alienum, semper plenus quia effundit seipsum: ignorat tamen vnde id acceperit quod semper effundit.

Ex fluuiis eos nobiles voco, quorum originem natura quæri maluit quàm inueniri; nobilior est Nilus quâ parte nescitur, quam quâ aspici-

tur; riui sunt quorum origo saltu transmittitur, nobiles fluuij in orbem currunt dum ex oceano in oceanum redeunt: propterea ignorant originem suam; quia difficile inuenitur principium vbi nihil est primum.

Vis ex fluminibus ad regna te & vrbes traducam? tam incerta est prima Francorum patria quam secunda certa; an ex Troianis venerint vt aliqui putant; an ex Germanis vt plures existimant; an potius Franci non vnius populi nomen sed plurium, ita appellati quod excusso Romanorum iugo in libertatem se vendicarint; quasi idem sit Francum esse & liberum, incerta res est; propterea antiqua est Francorum patria quia dubia.

Audio quid tacitus insusurres, quid nobilius Româ, & origo patet? hîc te expectabam, Philarche, nobilior esset origo Romæ si latêret; adhuc Romanos pudet originis suæ; idcirco consecrarunt Lupam ne dedecori esset; propterea fecêre Romulum Deum quem hominem non ferebant; atque vt dissimularent historiam fecêre fabulam.

Percurre vrbes, lustra familias, intuêre Solem & Lunam: ex vrbibus eæ antiquissimæ sunt quæ nunquam creuêre, ex familiis eæ maximæ quæ nesciunt se fuisse paruas: idcirco Sol antiquissimus est quia nihil aspexit se priùs; scilicet hæc vera antiquitas est non habuisse principium nascendi, aut nescire.

Atque hic est illustris ortus Lugduni, nescire originem suam, scit se aliquando natum, & olim casurum; nescit initium ortus sui, & ignorat exitum; media ætas est quidquid aspicit, ignorat extrema: nimirum hæc ætas Deorum est nescire infantiam & senectutem non timere: participat æternitatem Lugdunum dum nescit ortum suum, & ignorat occasum.

LVGDVNVM POST PLANCVM.

HACTENVS Oratorem egi, placet nunc dialecticum agere, & stricta manu loqui; problema est ortus Lugduni, vtrinque calculum verto, & dum neutram opinionem accuso, vtramque laudo.

Polybius Author illustris stylo & ferro, vt Annibalis in Italiam iter certiùs describeret, lustrauit oculis; Arar inquit, & Rhodanus ex arduis, & inaccessis montibus decurrentes insulam efficiunt, ei parti Ægypti similem quæ Delta vocatur, illac transiuit Annibal. Rogo te Philarche, cur oculatus testis describit insulam intra quam Lugdunum est, & de vrbe tacet? Deinde qui sunt ij montes ardui & inaccessi? an illi qui Lugduno incumbunt? at illi plus vallis quam collis habent; præterea quænam hæc insula Ægyptiaco Deltæ similis quod totam inferiorem Ægy-

ptum continer, an vrbis nomen est, an potius amplæ regionis? quam si Vegeso monte vbi Arar nascitur, & Alpibus vnde Rhodanus oritur delinees, & fluminis vtriusque confluuio definias, secundum Delta describes æquale primo; igitur ante Annibalem & Polybium Lugdunensis insula fuit, non Lugdunum. Titus-Liuius Author æqualis Romanæ maiestati, postero die, inquit profectus Annibal aduersâ Rhodani ripa mediterranea Galliæ petit; non quia rectior ad Alpes via esset, sed quantum à mari recessisset minus obuiam fore Romanum exercitum credens, cum quo priusquam in Italiam ventum forer, non erat in animo manus conserere; quartis castris ad insulam peruênir vbi Arar, & Rhodanus amnes diuersis ex Alpibus decurrenres agri aliquantum complexi confluunt in vnum, mediis campis insulæ nomen inditum. Iterùm te ad examen voco, Phylarche, magnus Author eundem locum describit vbi nunc Lugdunum est, & vrbis non meminir; igitur vrbs ante non fuit; deinde mediis campis insulæ nomen inditum, igitur vbi nunc Lugdunum est nihil runc nisi campus fuir.

Vis addam Plutarchum amabile nomen Apollini & Musis; Annibal, inquir, castra mouit, & per ripam Rhodani aduerso flumine profectus, paucis diebus peruenit ad locum quem insulam vocant Galli; ibique nunc Lugdunum est celeberrima Galliæ vrbs, quam longis postea temporibus Plancus condidit: igitur ante Plancum Lugdunum non erat, aut non est à Planco condirum.

Produco grauius testimonium, & maiorem virum, Iulius Cæsar homo est de quo meritò dubites melionne imperator an scriptor fuerit, hic de se vno historiam fecit, idem testis & historicus sui, idem scribenda fecit & scripsit, idem alios ferro superauit, & seipsum stylo, hic Galliam explorauir vniuersam, & Lugdunum nesciuit; hic Ararim & Rhodanum, & vtriusque confluentem aspexit, & Lugdunum non vidit; hic Cabillonem, Marisconem, Viennam, Massiliam, & impositas vtrique fluuio vrbes descripsit & Lugduni non meminit; igitur remporibus Cæsaris Lugdunum non fuir.

Teneo te Philarche non euades, Caietæ in Æde Saturni, nunc turris Rolandi est, marmori albo inscripta leguntur hæc verba.

L. Munatius. L. F. N. L. Pron. Plancus Cos.
Ex Rhetis edem Saturni fecit de manubiis,
Cos. Imp. Iter. VII. vir. Epul. Triumph.
Agros diuisit in Italia Beneuenti, in Galliam
Coloniam deduxit Lugdunum, & Rauricam.

Attende, Philarche, vim argumenti, deducere Coloniam Lugdunum est fundare Lugdunum; deinde tam fundauit Lugdunum quam Rauricam; igitur ante Plancum nec Raurica fuit, nec Lugdunum.

Audio te etiam tacentem, Philarche, numerare ſoles authoritates & ponderare rationes; affero vnam, & perſuadeo, intererat Galliæ ante Plancum nullum eſſe Lugdunum, fuit è re Romanorum temporibus Planci ædificare Lugdunum; igitur ante Plancum Lugdunum non fuit: Erat ante Plancum Vienna Galliæ quod poſteà Lugdunum fuit; erat Europæ centrum, Galliarum meditullium, domina Araris & Rhodani, Maſſiliæ ſoror, Emporium orbis: ſi Gallia vicinam vrbem Viennæ adiungeret præuidebat breui faciendum quod videt factum, ingentes duas vrbes vicinia non capit, aut fiet vna maior aut vtraque minor; æqualia diu eſſe non poſſunt quæ inuicem certant, quidquid ſuperatur fit minus, & quidquid vicinum eſt accedit ad vnum.

Premo argumentum, Romanos penè neceſſitas impulit ædificare Lugdunum; Allobroges nec amici Romanorum, neque hoſtes, dum Romani orbis victores, ſeipſos bellis ciuilibus vincunt, faciendum id putarunt Romanis, quod Romani fecerant Gallis; occaſione vſi Viennam occupant non alio iure quam armorum, & ne Viennenſes pœniteret mutaſſe dominos, ex municipio Romanorum Viennam conſtituunt Metropolim Allobrogum.

Diſſimulanda fuit Romanis ea iniuria quæ tunc impediri non poterat; ne tamen clientes ſuos deſpicere viderentur, imperant Planco vt nouam vrbem exulibus ædificet antiquâ meliorem; ſic illatam iniuriam diſſimulant, & emendant; ſic armantur in hoſtem ſine armis, ſic Lugdunum bellum ſine bello Allobrogibus intulit; ſi ante Plancum Lugdunum fuiſſet inuaſiſſent illud Allobroges nondum Romanum, & duabus vrbibus Viennâ, & Lugduno clauſiſſent Galliam Romæ, & aperuiſſent Romam Galliæ; igitur ante Plancum Lugdunum non fuit.

LVGDVNVM ANTE PLANCVM.

PARS SECVNDA.

PEnè aſſentiris, Philarche, & credis inexpugnabiles eſſe rationes quas tam facile eſt diſſlare quam cineres; Polybius Lugduni non meminit igitur Lugdunum non fuit, quale argumentum! Polybius hiſtoricum agit non Geographum, ſecutus eſt properantem Annibalem ipſe feſtinus, ideirco vrbium non meminit quia ad eas Annibal non diuertit; de Tito-Liuio, & Plutarcho idem dico, vterque iter Annibalis non obuias vrbes deſcribit; propterea neuter ibi morari debuit vbi exercitus Annibalis non ſtetit; poſſem addere vtrumque Lugduni meminiſſe dum meminit inſulæ; nimirum inſula nomen eſt non regionis tantum ſed vrbis; auxit vrbem Iucius Plan-

cus, & insulæ montem addidit; idcirco Lugdunum appellauit, ex se & monte.

Ad Cæsarem quam facilis responsio: Cæsar Lugdunum omisit, igitur ante Cæsarem Lugdunum non fuit, leue argumentum, nec Cæsareum; non extant apud Cæsarem, Nemausus, Druentia, Vigenum Antipolis, Brigantium, Auenio, Gernum, Valentia, Ruscinum, Vasio, Arausio, Aëria, Oxibium, Olbia, &c. quæ tamen apud Strabonem & Ptolomæum sunt nobiles vrbes; non ædificat arces & vrbes Cæsar dum meminit, neque euertit dum omittit; erant temporibus Cæsaris intra Galliam octingentæ vrbes, ex iis Cæsar octoginta vix nominat; erant quadringenti populi, ex iis Cæsar quadraginta vix laudat: scilicet eas ferè vrbes describit quas obsedit, eos ferè populos recenset quos amicos habuit, aut sensit hostes: nimirum scribit commentarios rerum suarum non Gallicarum, & Romanas victotias enumerat non vrbes Gallicas; sic descripsisset triumphatam Italiam Brennus, neque illustrius esset apud eum Mediolanum, quam apud Cæsarem Lugdunum.

Nec difficilior est contra Plancum defensio, deduxit Colonias Lugdunum & Rauricam, & neutram fundauit; deducebantur sæpe Coloniæ vbi vrbes iam erant; retinebantur antiqui Ciues, & addebantur noui: mutabantur leges non homines; qui vt pretiosius setuirent ornabantur nouis priuilegiis, & spoliabantur antiquis; mutauit statum Lugduni Plancus, nec fundauit Lugdunum.

Aliò te deduco, Philarche, quid si dicam Lugdunum trecentis ante Plancum annis à Iugdo Rege esse fundatum? ita affirmat Betosus; nec si aliquando fabulas admiscet quidquid asseuerat fabula est.

Addo grauioris authoritatis virum; Plutarchus eo libro quem de fluuiis & montibus scripsit, ait Momotum Principem in Gallia virum oraculo monitum vt ad confluentem Araris & Rhodani vrbem extrueret, eundem à coruis circumuolantibus edoctum, quo loco vrbs condenda esset; ab hoc augurio coruorum quos Celtæ Iugos vocant, & à monte quem Dunum appellant, Lugdunum nominarum esse.

Neque contraria loquitur Plutarchus, dum ait Lugdunum intra insulam conditum; teliquit Plancus antiquam vrbem in monte, alteram sub monte condidit; retinuit idem nomen ne augurium mutatet, nec mutauit locum vt seruaret oraculum: confecta res esset, si vnus Plutarchus esset non geminus, verus non falsus, atque hic esset illustris ortus Lugduni, oraculum, & augurium, gemini Parentes, & duæ origines.

Dubitare incipis, Philarche, & persuaderi velles Lugdunum Planco antiquius esse, vt tu esses antiquior, scilicet antiquitatem publicam arbitraris tuam, & te æternum putares, si patria tua sine ortu esset: affero aliquid fortius & te conuinco, Strabo Augusto & Planco penè coætâ-

neus, Lugdunum celebre orbis Emporium, Seneca opulentam ciuitatem, & ornamentum Prouinciarum vocat: Oro te, Philarche, quomodo Lugdunum orbis Emporium esse potuit si adhuc orbi ignota vrbs fuit? quis nuntiauit Europæ Lugdunenses nundinas si adhuc Lugdunum vix erat? quomodo tam celeriter duci arattum, attolli mœnia, ædificari ædes, muniri officinæ potuerunt? an simul Lugdunum nasci, & crescere, simul vrbs parua & adulta, simul obscura & publica esse potuit? vix ipsa nundinarum fama ire tam citò per Europam, & redire potuit; ipsæ aues si mercaturam facerent inuitari ad nundinas, & venire tam propere ex toto orbe non potuissent. Non ita res crescunt, Philarche, nihil magnum simul, & exiguum est, ad magnitudinem per gradus itur, & lentius adhuc adolescunt vrbes quam arbores.

De literarum studiis idem dico atque de nundinis: quis nuntiauit orbi Lugdunensem Aram? quis Athenas tam celeriter in Athenæum transtulit? quis prouocauit ingenia ad certamen? an simul doceri scientiæ, & addisci potuere? an iidem discipuli esse & Magistri? Musæ ipsæ priùs alumnæ fuêre quam Magistræ, nemo nascitur eruditus, si Mineruam excipias quæ ex cerebro Iouis prodiit intus erudita, & foris armata: floruêre temporibus Planci Athenæ Lugduni, igitur ante Plancum Athenæum fuit: inuênit intra insulam Druydes Plancus non induxit, debet illis sapientiam Gallia non Romanis, & diu ante sapuimus Gallicè quam Latinè.

LVGDVNI ORTVS PROBLEMA.

VIDES Philarche originem Lugduni controuersiam esse non historiam; neutra pars vincitur, neutra vincit; problema est ortus Lugduni, & primæ natiuitatis nostræ mater opinio est. Placet claudere Epistolam more Senecæ, & ne indonatus abeas hoc te symbolo dono. Quid interest, Philarche, quando Lugdunum inceperit, pluris refert quando desiturum sit; ex te ipso rem probo, quid interest quos Maiores habueris si es minor, quo ex sanguine fluxeris si es decolor, quo ex genere veneris si degeneras: mallem antecessores tuos minores esse, & te maiorem, mallem augeri in te quam decrescere, & nollem te Augustulum esse sed Augustum: Quid prodest scrutari cineres vnde venisti? Omnis cinis ab Adamo, atque hic à nihilo est: cur emendicas alienam nobilitatem, si cares propria? mallem te ex tuo diuitem esse; nemo bene triumphat alienâ gloriâ: cur exploras alienos cineres si tui fœtent? Nullus cinis principem olet; nemo Regem agnouit ex cinere: cur distinguis inter cineres? omnis cinis æqualis, & omnis san-

guis concolor est: Cur quæris originem sanguinis? periculum est ne in fonte fallaris, omnis princeps ab ignoto venit, & omnis plebeius à nobili est.

Ante bis mille annos Lugdunum non fuit, & tu ante seculum non eras: cur eò pergis vbi non eras? cur te ante te quæris? quo longius progrederis eo longius à te recedis, cinis eras antequam esses, si aliud quæris, ante cinerem eras nihil.

Crede mihi Philarche, stude rebus futuris non præteritis, minorem te præterita faciunt, & futura maiorem; decrescis ex præterito, crescis ex futuro; additur tibi quidquid aduenit, & quidquid præteriit, periit tibi: hæc nobilis disciplina est, studêre futuris; æternus non fuisti, fac te perpetuum, auspicare æternitatem intra tempus, incipe immortalis esse dum viuis, cœpisti aliquando, fac ne vnquam desinas, ego hîc cesso.

DISSERTATIO
DE ANTIQVO SITV LVGDVNI.

ILLVSTRISSIMO REVERENDISSIMOQVE DOMINO

D. CAMILLO DE NEVFVILLE,
ARCHIEPISCOPO LVGDVNENSIVM,
ET PROREGI MERITISSIMO.

QVOD eunti ad Mediolanensem Præfecturam Ambrosio commendauit Probus Romæ Præfectus, vade, age non vt judex sed vt Episcopus; id sine commendatione, & sponte facis, ARCHIPRÆSVL ILLVSTRISSIME, agis vt Antistes non vt judex, repræsentas Ambrosium Lugdunensem Lugduni, & partes Archipræsulis diu ante impleuisti quam Præsul esses.

Tria te geminâ dignitate dignum efficiunt, Nobilis indoles, eximia virtus, illustris eruditio; nec pauciores dotes exigit vtraque dignitas, nec potest optare plures.

Aque indoles quidem tua adeò nobilis & magnifica est, vt dicere verius quam ille possis, enumeraui populos gubernationi meæ commissos, nulla ouis ignota pastori, nulli pastor ignotus fui; nulla est miseria quam non subleuarim, nulla felicitas quam non auxerim: Ideirco me Prorege putaui vt haberem quibus bene facerem; alluunt Lugdunum duo

illustres fluuij, ego tertium flumen me esse putaui, vt Lugdunenses meos beneficiis alluerem, & sæpe omnes inuitaui vt ex me haurirent tanquam ex flumine.

Addidisti nobilitati indolis splendorem virtutis, vt bis nobilis esses; nulla tibi ex virtutibus deest, & tu nulli; nec facile iudicium est quænam in te virtus emineat, dum omnes sunt eminentes, olim futuræ Eminentissimæ; præcellere tamen videtur cæteris morum suauitas & affabilitas; hæc te omnibus amabilem facit, & tibi omnes amabiles; per hanc pates omnibus miseriis instar asyli, omnibus precibus instar templi, omnibus dubiis instar oraculi: per hanc neminem excludis & omnes allicis; per hanc quasi Echo Lugdunensis omnes audis, & omnes alloqueris.

Neque inerudita est virtus tua, vidit te Lugdunum Rhetorem, Lutetia Philosophum, Roma Theologum: iunxisti Gallicam sapientiam Romanæ, temperasti vnam alterâ, & collegisti magnarum nationum virtutes non errores: Inde illa excellens prudentia tua, non lenta nec præceps, non astuta nec incauta, non facilis vt fallatur, non infidelis vt fallat; inde illa facilitas in rebus agendis; vides initia rerum & progressus, vides ordinem & finem, vides circuitum rerum & centrum; & dum alij per lineas currunt iam attigisti punctum.

Eæ sunt dotes quæ te vtrique dignitati Proregis, & Archipræsulis parem efficiunt, & maiorem; sustines geminum onus, nec minor es; iungis vtrumque ministerium, nec confundis; consecras vnum altero; idem seruis Deo, & Regi; idem concilias vtriusque obsequium, & distinguis præceptum.

Atque hæc est causa cur tibi offeram geminum Lugduni situm sub Aristi nomine, idest virorum optimi. Fuit olim Lugdunum in monte, & sub monte, vterque situs est tuus, habes vtrobique ciues gubernator, & oues Pastor, ego vbique sum, si annuis,

MAGNITVDINIS TVÆ,

Addictissimus seruus PETRVS L'ABBE'.

DISSERTATIO SECVNDA, DE SITV LVGDVNI.

PRIMA PARS.

LVGDVNVM IN MONTE CONDITVM.

VIs scire, Aristæ, quod sciri vix potest, an in monte Lugdunum, an vbi nunc est, à Planco sit conditum; hæc quæstio ad alteram pertinet vbi condi debuerit, hæc aliam appellat quis sit optimus magnarum vrbium situs: hæc ego duo si probauero, quæstionem tuam ante soluam, quam eam attingam. Vide-

Videtur optimus vrbium ſitus in montibus eſſe, inde propiores cœlo ſumus vnde venimus: inde alloquimur Numen è propinquo, & fere aſpicimus; inde intuemur patriam olim futuram; inde imperamus Elementis, & cœli ciues penè iam ſumus; inde altiores ſumus rebus caducis etiam dum cadimus: qui plana camporum incolunt & depreſſa terrarum, minores ſunt rebus humanis & ſeipſis; calcant eos elementa quæ calcari debuerant, opprimit eos terra, & ferè iam tegit, & ſepeliendi olim, iam penè ſepulti ſunt.

Non dubitabis vt puto, eum ſitum optimum eſſe quem Deus elegit, placuêre ſempet montes Deo: hîc ſæpe audiri voluit, hîc videri, hîc ſæpe amicis conuiuia poſuit, hîc ſæpe ipſe conuiua fuit! hîc ſæpe templum habuit, & ſempet templi inſtar mons fuit: Vrbs illa nobilis Ieruſalem idcirco altera Dei patria fuit quia in montibus erat; deſcendebat ad illam Deus ab cœleſti Ieruſalem, gemina illi patria, & duplex Syon, & vterque mons erat; alibi Deus hoſpes hic municeps, alibi aduena, hic penè indigena fuit.

Ne Theologum agere me putes, addo Philoſophum ſed diuinum, ille in ea republicâ quæ homines beatos faceret, ſi faceret ciues, deſcribit vrbem tam ſimilem Hieroſolymæ, vt pinxiſſe videatur antiquam, non inueniſſe nouam; vt omittam cæteras vrbis leges, eam in montibus conſtituit: Illuc, inquit, difficile vitia penetrant quia humi reptant, illic virtutes libentet habitant deorum vicinæ, illic animus propior eſt origini ſuæ, illic auſpicatur æternitatem intra tempus, illic viuit Deo iudice & ſe teſte, illic inquilinus mundi eſt, & penè iam habitat extra mundum.

Vis addam Philoſopho politicum? impoſitæ montibus vrbes ipſo ſitu munitæ ſunt, mons illis agger & mutus, & propugnaculum eſt; ipſe aſcenſus hoſtem fatigat, vinci poteſt dum aſcendit, & antequam aſcendat iam penè victus eſt; atque hæc maximè vera erant cum ariete muri euerti ſolebant; obrui poterat ſaxis aſcendens Aries, quatiebatur antequam quateret, ridebantur hæc tormenta, & plus timebantur nudæ volucres quam armati arietes; at ſiræ in plano, & vallibus vrbes, ipſo ſitu ſunt debiles; adiri poſſunt à deambulante hoſte, ſuperari à currente, obrui à deſcendente; nihil vrbem tuetur niſi agget & murus, vterque facilis expugnatu dum facile attingi poteſt.

Ridebis puto ſi medicum agam, montes ipſo ſitu ſunt ſalubres, illic aër innocens & ſine veneno eſt; illic aqua vinum, illic vinum ambroſia, illic cibus manna, illic omnis herba medicina eſt; illuc adrepere morbus non audet vbi omnis homo medicus eſt; illuc mors non venit niſi vocata; illic tacite ſeneſcimus, illic centum anni ſunt iuuenes, illic moriendi penè libertas eſt; illic tunc incipit æternitas cum tempus diſplicet: in vallibus omne elementum peſtis, omnis natura morbus, & omnis morbus penè lethalis eſt.

Audio ad hiſtoriam me euocas, Ariſte, at hæc omnis ſacra & profana montibus fauet; in montibus ſeptem excitata eſt Roma quaſi vnus non ſufficeret; ab eo tempore adeò montes amarunt Romani, vt in illis palatia ædificarint aut templa; & ne vrbes incolis carerent, in illis homines ciues, & colonos collocarunt Deos. Quanti æſtimarint montes Galli ex eo colligere licet; clariſſimas quaſque vrbes denominarunt ex montibus; inde illa Gallorum virtus, ridebant pericula inter tonitrua nati, & mundo maiores negabant timendas mundi ruinas ſi caderet: inde intra Galliam fluuiorum ripæ, & maris oræ hoſpitia magis erant quam domicilia; illic propolæ habitabant, non incolæ; illic excipiebantur tabernis inſtitores quaſi hoſpites; illic ſiſtebantur peregrini mores ne in vrbes aſcenderent; grauiuſque metuebant ſibi Galli à peregrinis moribus quam ab hoſtibus.

Vides Ariſte ſolutam à me quæſtionem quam non attigi, in monte Lugdunum condi debuit, igitur in monte conditum fuit: Cur enim vir prudentiſſimus Plancus vrbem à Senatu extruere iuſſus, eum ſitum non elegit quem Roma laudaret? cur eum voluit quem Roma nollet? cur homo Romanus vrbem non erigeret ſimilem Romæ? cur eum montem neglexit, qui Capitolij inſtar eſſet? cur aduerſus nutantem adhuc Gallorum fidem eum montem non occupauit quem natura muniiſſet? cur ibi ſtetit vbi à Gallis è monte deſcendentibus opprimi poſſet? cur prætulit inſalubrem locum? cur homo gloriæ cupidus eum montem non elegit, vnde quaſi ex theatro aſpicere Alpes, & aſpici poſſet.

Audio quid opponas, Ariſte, eſto Lugdunum condi in monte debuerit, negas conditum eſſe: ſcilicet multa fiunt quæ fieri non oporterer: Iulius Cæſar intulit bellum patriæ quod inferre non debuit; Auguſtus permiſit Antonio caput Ciceronis, quod capite ſuo tueri debuit: ipſe Plancus pro Triumviris ſtetit qui ſtare pro republica debuit; ſcilicet imminutam habemus prudentiam, nemo eſt qui aliquando non erret, licuiſſe aiunt Catoni errare ſemel.

Deſcendo ad ſingulare certamen, & niſi defendis rem euinco, prima rei factæ probatio eſt res ipſa facta: nemo negabit id fuiſſe integrum quod videt imminutum; ſtetiſſe vrbes probat ruina vrbium, & ſæpè rem totam oſtendit ſuperſtes rei particula; ſuccede mecum in montem, adhuc retinet nomen fori, & Veneris; igitur in monte forum fuit, & templum Veneris: percurre montem, luſtra marmora, lege tabulas antiquis caracteribus inſcriptas; viuit in hoc lapide Senator, in illo Eques, hîc Tribunus, hîc Quæſtor, fuit; igitur illi olim in monte vixerunt; vidiſti faciem montis, ſcrutare viſcera, explora ſepulcra, videbis lacrymas in phialis, cineres in vrnis, oſſa in ſepulchris, inuenies intra montem vrbem mortuam, igitur in monte vrbs vixit, omne cadauer corpus erat, quid-

quid decreuit, magnum fuit, & quidquid ceeidit olim ſtetit.

Prouoco re ad pendentes aquarum ductus, Quæſo Ariſte, ſi Lugdunum in plano fuit: cur eò aquas deriuare vbi erant gemini fluuij? cur eò fontes traducere, vbi fontes è monte manabant? deinde cur ij aquarum forniees ad plana non deſcendebant ſi Lugdunum in plano erat? Imo illi in monte ſiſtebant, igitur in monte Lugdunum ſtetit; ſcilicet amabant Romani viuaees & leues aquas, propterea illas ex aëre ſuſpendebant, vt pondus excuterent; ob eam cauſam per arcus triumphales deuehebant vt nemo eas aquas contemneret quas videret triumphantes: Aſpiee extantes adhuc toto monte arcus triumphales, & nega ibi Lugdunum fuiſſe vbi tot extant Lugduni reliquiæ.

Placet vrgere rem teſtimoniis, ne dubites de teſtium fide ſunt Martyres, fluxit è monte ſanguis Martyrum Lugdunenſium, hodieque crux viſitur vbi olim fuere decollati; adhuc deeliuis vicus rorantis ſanguinis nomen retinet, adhuc Arar ſanguinis nomen haber, & ferè colorem! Ex iis teſtimoniis ſie arguere licet, decollati ſunt in monte Martyres, igitur Martyres in monte vixêre: plenus eſt mons ſanctorum reliquiis, theſautus eſt quidquid intra montem latet, nullum eſt in monte veſtigium quod non ſit ſaerum, intra montem eſt populus Martyrum mortuus, igitur in monte fuit viuus.

Ais te crediturum vel ſi vnus author vidiſſe ſe in monte Lugdunum aſſerat: affero vnum maiorem omni exeeptione.

Vidi duobus imminens fluuiis iugum,
Quod Phœbus ortu ſemper obuerſo videt,
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit;
Ararque dubitans quo ſuos curſus agat.
Tacitus quietis alluit ripas vadis,
Eſtne illa tellus ſpiritus altrix tui?

Reſpondes Poëtam eſſe qui loquitur, imo Hercules eſt à Ioue miſſus, vt exploraret genus Claudij; petebas teſtem humanum, habes diuinum. Reponis malle te homini credere quam Ioui: at hæc iniuria Deorum eſt, ſi tamen hominem quæris. Idem Seneca Epiſt. 91. Arſit opulenta ciuitas ornamentum Prouinciarum quibus inſerta erat, vni impoſita, & huic non altiſſimo monti: Amabo, Ariſte, an potuit apertius loqui, an ſapientiorem teſtem requiris quam Philoſophum? an ſeueriorem quam Stoicum? an veriorem quam cui mentiri non licuit? aut negare debes arſiſſe Lugdunum, aut fateri fuiſſe monti impoſitum.

SECVNDA PARS.

LVGDVNVM SVB MONTE CONDITVM.

DVBITARE incipis, Aristę, & si vrgerem præberes assensum; at suspende tantisper iudicium, nec te rapiant acuta sed vera; ridebis breui elogia montium, & miraberis quidquid acutum est, non semper esse verum.

Vis eludam argumenta proposita? quale illud primum? è montibus propiores cœlo sumus, amabo te, qualis est illa maior vicinitas quæ infinitè distat! Deinde quorsùm illa propinquitas si ad cœlum affectibus itur non pedibus? vndique ad cœlum ascendit animus, nec moras injicit locorum distantia dum momento itur, nec deprimunt valles animum, nec montes erigunt, altior est rebus caducis etiam in puteo positus, vndique intuetur solem; & ciuis olim futurus, iam illic præsens esse potest, vnde adhuc abest.

Quale illud abamore montium petitum! audi quam valde Deus montes amet, in montibus fulgurat, in montibus tonat, in montibus supplicia conflat, in vallibus præmia; primi montes iratum Numen sentiunt, quia primi nocentes sunt; descendit ab illis ad valles scelus; inde illa sterilitas montium, nihil illic crescit nisi crimen; quid faciant vrbes vbi natura sterilis est? non inficior amatam à Deo Solymam; stetit tamen caro hic amor homini Deo; propterea puniuit ingratum montem, & nunc ibi Solymanus est, vbi olim Solyma fuit.

Eneruasti tertium argumentum dum appellasti Platonicum, diuinus ille Plato aues nos esse credidit dum rempublicam aëriam finxit; qualis enim illa respublica cuius nemo ciuis fuit? quales leges quas nemo seruauit? qualis ille homo singularis, & communis? quomodo vnus si multiplex, quomodo multiplex si vnus, quomodo æternus si incipit? quomodo immortalis si desinit: Crede mihi Aristę, ideæ sunt istæ quibus nemo vescitur; quid mirum si rempublicam in monte statuit qui rempublicam in aëre finxit? nec solidiores sunt rationes quibus nititur, illuc inquit vitia non ascendunt; imo illic nascuntur vnde descendunt.

Speciosius est argumentum politicum non verius, munitæ essent vrbes in montibus si cursu superandæ essent non impetu; amat ardua virtus, & quo ire non potest gressu, tendit volatu; nihil est inuium fortitudini, vbi non inuenit viam, ibi facit: Sed esto difficilis sit montium ascensus, æquè difficilis descensus est; obsidentur montes à vallibus, solus aër in montibus liber est, quidquid crescit captiuum, quidquid viuit famelicum est. Quis eas vrbes munitas dicat quæ capi possunt ab hoste

noninuadente, nihil opus est balistis aut impacto ariete, ipse locus carcer, fames balista, & egestas aries est.

Nec melius est argumentum medicum quam politicum; salutares sunt auibus montes non hominibus, imo neque auibus salubres sunt vbi aues non viuunt; deuolant ad valles vt prandeant; reuolant ad montes vt ludant, redeunt ad valles vt quiescant; quis illic habitet vbi aues non cubant; quis illic viuat vbi nihil nascitur, quis illic exigat quatuor anni tempestates vbi sunt tantum duæ; illic omne Ver Æstas, omnis Autumnus hyems, omnis ventus Aquilo, omne tempus tempestas est; solæ illic rupes in tuto habitant, quæ breui deficerent si sentire possent.

Confecta res est si ad historiam me reuocas, omnis historia vallibus fauet; amarunt monres Romani vt in illis trophæa erigerent non domicilia; extruxere in montibus ædes Diis quas noluissent sibi; aggeres sunt non montes quibus Roma cingitur, pars Romæ maior in plano iacet, & plus debet Tyberino Roma quam Romulo; iniuriam facis Gallis dum montanos appellas, denominarunt vrbes ex montibus, sed quibus suppositæ essent vrbes non impositæ; pleræque tamen vrbes in plano iacuêre; inde illa humanitas innata Gallis, haurire illam è montibus non potuêre, vbi quidquid degit asperum est.

Vides, Aristæ, si de iure agatur ab hac parte ius stare; vis expendam factum: incipio à testibus, Strabo lib. 4. Λουγδούνον ἐπιφανῆ ὄντα πόλιν, καὶ συμβολὴν ἔχοντα ποταμῶν τριῶν τοῦ Ροδανοῦ. Amo te, Aristæ, dum agitur de situ vrbis cui potius credendum quam Geographo, aut quis fidelior testis quam ille qui coæuus penè Lugduno fuit; qui doceri potuit iuuenis à Planco Sene, qui Planeum forte vidit, & fortè Lugdunum; at ille suppositum monti Lugdunum, non autem impositum, ille in confluuio Araris & Rhodani conditum dicit, igitur non in monte, vbi ij amnes non confluunt; post tam illustre testimonium Strabo est qui Straboni non credit.

Plurarchus in Annibale, Annibal inquit castra mouit, & per Rhodani ripam aduerso flumine peruénit ad locum quem insulam Galli vocant; hanc Arar & Rhodanus ex diuersis montibus defluentes efficiunt; ibique nunc Lugdunum est celeberrima Galliæ vrbs, quam longis postea temporibus à Planco Munatio conditam accepimus; sumpsit hæc verba Plutarchus ex Tiro-Liuio, qui de Annibale hæc habet, postero die profectus Annibal aduersa Rhodani ripa, mediterranea Galliæ petit, quartis castris ad insulam peruenit vbi Arar & Rhodanus amnes diuersis ex Alpibus decurrentes agri aliquantum complexi confluunt in vnum, mediis campis insulæ nomen inditum. Vterque ex Polybio hausisse videtur lib. 3. Arar, inquit, & Rhodanus ex arduis & inaccessis montibus decurrentes insulam efficiunt ei parti Ægypti similem quæ Delta appel-

latur, illac transiuit Annibal. An autem male Cluuerius lib. 2. antiquæ Italiæ pro Arar, legerit Isara, examinabimus sequenti dissertatione; ex quibus testimoniis hoc argumentum conficio, ibi Lugdunum conditum est vbi Annibal stetit quartis Castris; at stetit in eo loco quem Galli insulam vocant, igitur intra insulam Lugdunum conditum est. Igitur non in monte qui intra insulam non est.

Vis addam virum Consularem qui ex fastis Consularibus ortum Lugduni describere potuit, vti alia multa descripsit: Is est Dio lib. 46. ἐκέλευσε αὐτοῖς τὰς δὲ Οὐιέννας τῆς Ναρβωνησίας ὑπὸ τῶν Ἀλλοβρίγων φευγούσας, καὶ ἐς τὸ μεταξὺ τοῦτο Ροδανοῦ, καὶ τοῦ Ἀράρεδος ἢ συμμίγνυται ἀλλήλοις ἱδρυθέντας οἰκῆσαι, καὶ οὕτως ἐκείνοις ξυμμείναντας τὸ Λουγδοῦνον μὴ ἐρημωθῆναι, τοῦτ' ἔστιν. Id est Senatus iussit illis, idest Lepido & Planco, vt iis qui quondam Vienna Prouinciæ Narbonensis oppido ab Allobrogibus erant expulsi, & intra flumen Rhodanum, & Ararim ad eorum confluentes confederant vrbem conderent; atque ita illi subsistentes Lugdunum quod olim Lugudunum vocabatur ædificarunt. Amabo, Atiste, ibi illi Lugdunum condiderunt vbi Viennenses substiterant; at illi intra fluuios confederant, igitur intra fluuios Lugdunum conditum est, igitur non in monte qui extra fluuios est.

Placet addere testibus humanis testes inanimes ij muti sunt, & loquuntur, ij solidi sunt etiam vitrei, ij incorruptibiles sunt etiam corrupti: testatur Paradinus an. 1529. in colle S. Sebastiani effossas duas tabulas æneas, quibus oratio Claudij Imperatoris in Senatu habita continetur; in eodem cliuo vinearum fossores, & qui ædificiorum fundamenta scrutantur, incidunt sæpè in nummos veterum Principum vultu signatos: ibidem inuentum est sepulcrum vitreum, & in sepulcro infantis ossa: Rogo te, Aristè, cur illustres tabulæ intra montem non sunt inuentæ si in monte Lugdunum fuit: cur infans alibi sepultus quam vbi natus? cur nummi, cur ossa, cur cineres, cur intra insulam tot mortui si intra insulam nemo vixit? certe vbi cecidit Lugdunum, ibi stetit: intra insulam est cadauer vrbis antiquæ, igitur intra insulam vrbs antiqua vixit.

Valida sunt hæc testimonia etiam nuda, validiora sunt rationibus instructa; primam affert Strabo lib. 4. καὶ γὰρ ἐμπορίου χρῶνται Romani vtebantur Lugduno vt emporio, scilicet merces ad vrbem Arelatensem ex Italia, Hispania, Africa, atque ipso etiam Oriente deuehebantur; inde per Ararim, & Dubim ad Heluetios, & Germaniam vtramque: vel terrestri itinere ad Sequanam transuectæ, secundo amne ad Caletes, & Lexouios, ipsumque Oceanum deferebantur; sic Lugdunum ipso etiam Augusti æuo ad vtriusque maris commercia patebat, nondum aperta per Gades Oceani Septemtrionalis circumnauigatione; at hæc tota negotiatio periisset, si Lugdunum fuisset in monte; quis enim empo-

rium, quis forum quis nundinas in monte constituat nisi cum auibus mercari velit; igitur intra fluuios Lugdunum fuit, vbi erat emporium.

Alteram rationem politicam affert idem Strabo lib. 4. extremo, timebatur fluxa, labilis, & nondum satis firmata Gallorum fides; igitur præuertendum erat malum, non expectandum; nec melius præuerti potetat quam vrbe munita; nec melius vrbs muniri potuit quam duobus fluuis, ὥστε ἀκρόπολις διὰ τὰς συμβολὰς τῶν ποταμῶν. Igitur intra duos fluuios Lugdunum tanquam propugnaculum conditum fuit.

Denique non negabis Plancum virum prudentem fuisse, cui Iulius Cæsar exercitum, & Galliam commisit; cui Augustus vrbis custodiam credidit, dum ad decretoriam illam pugnam perrexit, qui Augur, qui Consul qui Imperator fuit; at ille parum prudens fuisset si relicta illa munitissimi loci & duorum fluminum opportunitate, iniquo loco in monte vrbem condidisset: Neque illud omittendum placuisse Planco hunc vrbium situm, extruxit Rauricam ad ripam Rheni, igitur Lugdunum ad confluentem Rhodani.

CONCILIANTVR OPINIONES, LVGDVNVM IN MONTE, ET SVB MONTE.

HÆres, Aristæ dubitanti similis; non allubet inquis, hæc eloquentia quæ discentem fallit; persuaseras Lugdunum in monte conditum, nunc in plano constituis: cur extruis vrbem & euertis? si vtrumque verum esse non potest, cur vtrumque doces; nemo decipitur lubens, nemo assensum mutat nisi inuitus; malo nescire situm Lugduni quam de eo ambigere: doctior est qui ignorat quam qui dubitat, vnam rem nescit qui non ambigit, vtramque partem ignorat qui de vtraque dubitat.

At non ego assentior tibi, Aristæ, magna pars sapientiæ est scire cur dubites; ex omnibus sapientum sectis eam semper doctiorem credidi, quæ omnia nouit dum de omnibus ambigit; certè nos idem scimus, dum tu affirmas, & ego dubito: Ego aliquid præterea scio dum puto id esse verum quod tu arbitraris falsum: Præterea ille doctior est qui falli vix potest, at nemo fallitur nisi qui affirmat, nemo affirmat dum dubitat; cur ego tam facile exponam assensum meum? cur non retineam ne erumpat, cur non suspendam ne cadat, cur ne errem errare non timeam? nemo difficilius fallitur quam qui fraudem timet: Crede mihi, Aristæ, si excipias Deum, omnis fere natura problema est.

Placet conciliare te mihi, Aristæ, quod hactenus dixi problema est, quod iam dico historia; fuit Lugdunum impositum monti, fuit suppo-

ſitum; fuit vrbs vna & gemina, fuit eadem duobus in locis; fuit intra confluentem robur Coloniæ, fuit in monte flos Romæ; fuit in plano negotioſa, fuit in monte magnifica; fuit in plano emporium, fuit in monte theatrum & templum; fuêre in plano homines, fuêre in monte Dij: propterea apparent adhuc in monte portæ vrbis & mœnia, quia in monte vrbs fuit; imo extant vtrobique antiquæ vrbis rudera quia vtrobique Lugdunum extitit.

Atque hic eſt nobiliſſimarum vrbium ſitus qui partim in plano, partim in excelſo eſt; percurre clariſſimas ciuitates, nec Roma tota in plano, nec Solyma tota in excelſo eſt: nec mundus ipſe planus, nec cœlum æquabile eſt; Sol & Luna montes habent; quidquid eſt optimum ſphæricum eſt; nec ſatis fertilis eſt ſola planities, nec ſatis ſalubris; temperant ſe inuicem mons & campus, ille Bacchum, hic Cererem miniſtrat, vterque ſanitatem; recreant aſpectum colles dum coronant, fatigat oculos perpetua planities dum non terminat; infinitum apparet quod nihil habet extremum: grauiorum rerum eſt in plano iacére, leuiora pendent ex aëre, temperata amant aſcendere, & deſcendere: imitatur optima quæquæ Lugdunum, excelſum eſt ſi montes amas, & planum ſi æquora.

DISSERTATIO TERTIA,

DE ITINERE ANNIBALIS.

AN VENERIT AD CONFLVENTEM ARARIS ET RHODANI, AN TANTVM AD CONFLVENTEM ISARÆ.

ILLVSTRISSIMO, NOBILISSIMOQVE DOMINO

D. DIONYSIO LE GOVX DE LA BERCHERE,

MARCHIONI DE SANTHENAY, &c. ORDINARIO REGIS IN OMNIBVS CONSILIARIO, ET IN SENATV DELPHINATENSI PRÆSIDI PRIMARIO.

ELOGIVM.

MAGNARVM rerum capax ingenium ſortitus es, PRÆSES ILLVSTRISSIME, meritis magnitudines rerum, neque illæ metiuntur te: minus te eſt quodvis negotium, nec te adæquant res magnæ, nec

nec totum te occupant multæ; locus est omnibus intra te, & postquam omnes excepisti, vacuum adhuc hospitium est.

Experiuntur hanc ingenij tui capacitatem quicunque te adeunt; audis vnum & plures simul, & posses extempore respondêre omnibus; nec permiscent se imagines rerum dum intra te subeunt, nec se confundunt dum exeunt; suus est ordo singulis, & spatium omnibus; scilicet partiris te negotiis, non totum te trahis, & pars tui omnibus sufficit.

Quod admirabilius est, non eges morâ temporis vt res concipias, nec studio vt expendas: vides vno intuitu initia rerum & exitus, vides fines & media; vides centrum & circulum, & dum alij circuitus quærunt iam attigisti centrum; atque hæc omnia ea celeritate exequeris, vt cogitasse sit fecisse.

Non satis dixi maior es alienis negotiis, & maior tuis; neque externa te implent, nec tu es plenus tui ipso; extendis te vltra te; sequeris te nec attingis, attingis te nec apprehendis; neque vnquam apprehendi posses nisi redires ad te: tunc vero vacuus curis alienis, & solutus tuis, pulchram solitudinem facis, in qua nemo interpellat te, neque tu ipse.

Permitte vt inter eam quietem adeam te; ne aditum excuses, aut neges adiungo me socium Illustrissimo Viro, & tibi amicissimo. Is est eruditissimus Dominus Petrus de Marca, nuper mortuus, & apud te viuus; omitto augustos Archiprælulis titulos vt sit familiare colloquium; impediret libertatem loquendi Maiestas Ecclesiastica si cum illa esset disputandum, & vir modestissimus agitari quæstionem familiariter mauult quam reuerenter; propterea appellabo illum Atistum, me Alexin, & te arbitrum controuersiæ Polymetum, amica sunt nomina, & controuersiis adhiberi solita, & nisi olim inuenta essent, inueniri nunc vellent in gratiam tui.

STATVS CONTROVERSIAE.

SCripseram Parisiis Epistolam Historicam de ortu Lugduni, & probabam ex aduentu Annibalis in eam Insulam quam Arar, & Rhodanus suo confluxu efficiunt, nullam tunc fuisse vrbem Lugduni quam Annibal non vidit, & cuius Polybius Annibalis iter describens non meminit: legebat eam Epistolam præsente me Petrus de Marca, quem Atistum voco, vir eruditissimus, qui vt erat beneuolus blandè subridens: Et tu, inquit, Alexi fidei es tam facilis, vt credas Annibalem ad eam Insulam accessisse: Ego vero veniisse ad eam Insulam assero, quam Rhodanus & Isara, non autem Arar efficiunt; atque ita legendum est apud Polybium l. 3. τῶν ποταμῶν, &

apud interpretem Isara non Arar, scilicet corruperunt textum librarij, & ignari locorum, Annibalem adeò turpiter errasse volunt, vt omisso recto itinere Alpes extra Alpes, & Italiam extra Italiam quæsierit: ad hæc ego modestè respondére, ille vrgére fortiter, sed interueniens Illustrium virorum comitatus dissertationem interrupit.

Permitte, VIR ILLVSTRISSIME Polymete, interruptam tunc temporis controuersiam coram te redintegrari; audies libenter rediuiuum amicum, qui te toties libenter audiuit; reuixisse igitur illum puta, & coram te loqui; id vnum rogo vt pro æquitate tua rem totam rationum pondere, non authoritate metiaris, victorem me spero si expendatur veritas non dignitas: Si tamen vinci contingat, at saltem illud glorioſum erit à tanto. Aduersario victum esse; & glorioſum Scipioni fuit pugnasse cum Annibale, nec inglorium Annibali à Scipione superatum esse.

MAGNITVDINIS TVÆ,

Addictissimus seruus PETRVS L'ABBE'.

DISSERTATIO
DE ITINERE ANNIBALIS.
AN VENERIT AD CONFLVENTEM ARARIS ET RHODANI, AN VERO TANTVM AD CONFLVENTEM ISARÆ.

ARISTVS. Tanti æstimauit Polybius scite iter Annibalis dum ex Africâ in Italiam armatus venit, vt relegere vias, lustrare Alpes, metiri regiones, & penè numerare vestigia voluerit; penè alter Annibal dum insistit primi vestigiis, & dignus Scipione discipulo, quem etiam reddidit Annibali parem, & maiorem.

Illustris planè author Polybius qui ea quæ scripsit vsurpauit oculis, & testis oculatus esse voluit prius quam esset historicus: difficilis tamen author dum nimis est accuratus: nocent aliquando minuta magnis, & sæpe oculi faceſſunt curam ingeniis, dum ea vident quæ cadunt sub sensum, & fugiunt intellectum.

Testis sit ille locus quem tu Alexi contra ortum Lugduni adduxisti; sic enim habet Polybius lib. 3. interprete Perroto, Annibal quartis castris ad insulam peruênit, locum & multitudine hominum, & feracitate regionis prædiuitem, cui propterea nomen insulæ inditum; quod ibi Arar, & Rhodanus ex Alpibus decurrentes aliquantum agri amplexi defluunt

in vnum, faciuntque insulam, & figura, & magnitudine similem ei quæ in Ægypto Delta appellatur.

Ita tu legisti cum interprete tuo; at ego græcè apud Polybium ἴσαρα pro ἄραρα, & Latine apud interpretem Isara pro Arar legendum contendo, & validis vt spero rationibus rem euinco: pretiosa res fides est, vetis tradenda non falsis, ea in rebus diuinis indocta, & cæca, in rebus aliis oculata esse debet, & erudita.

Excutiamus igitur locum Polybij, & quidem si authoritate agendum sit, Philippus Cluuerius eruditus Geographus, de quo hæc aiunt lustrasse oculis ea regna quæ descripsit, dimensum esse spatia regionum, examinasse distantias locorum, & penè vlnas numerasse: In Italia sua Cluuerius prosecutus iter Annibalis, dum apud Polybium legit venisse Annibalem ad eam insulam quam Arar & Rhodanus suo concursu efficiunt, facilè agnouit irrepsisse mendum, & legendum apud Polybium ἴσαρα pro ἄραρα, & apud interpretem, Isara pro Arar: alioqui exerrabat longè ab Italia Annibal, ad quam tamen properabat: at similius vero est errasse scriptorem quam Annibalem, & librarium quam ingentem exercitum.

Expendo quæso, Alexi, vim huius authoritatis, accuratus Geographus describit iter Annibalis quale explorauit; idem Isaram vidit, & Ararim, & vtriusque diuersas insulas, idem insularum ab Alpibus distantiam dimensus est oculis, & penè vlnis; idem legit apud Polybium ἴσαρα pro ἄραρα, & apud Plutarchum, & Liuium Isara, pro Arar: igitur ita legendum est, igitur Annibal Isaram vidit non Ararim: Nec tamen Cluuerius magnos authores accusat, sed librarios qui dum ea describunt quæ non intelligunt facilè deprauant quæ ignorant; & facilis fuit duarum literarum corruptio: vide tamen quo malum pertineat, duarum literarum mutatio, exerratio est ducentorum milliarium.

Neque authoritate tantùm tecum pugno, sed iis rationibus quas Annibal ipse non vinceret qui vicit Alpes: deduco primam ex verbis Polybij, Arar inquit, & Rhodanus ex Alpibus decurrentes aliquantum agri amplexi defluunt in vnum; at Arar non decurrit, sed adeò molliter & lentè fluit, vt dormire videatur non currere: neque ex Alpibus defluit qui intra Vogesum montem apud Mediomatrices nascitur; nec mons Vogesus accenseri potest Alpibus quas Rhenus, & longus terrarum tractus à Vogeso dirimit: confundi non debent fines locorum, nec reuelli limites quos natura præfixit; habent sua nomina montes & campi, & fluuij, confundit loca qui mutat nomina.

Robustior est altera ratio ex eodem Polybio deprompta, ad eam insulam peruênit Annibal quæ figurâ, & magnitudine similis est ei parti Ægypti quæ appellatur Delta, at Cluuerius diligens Geographus, & mensor locorum accuratus, spatium inclusum Isarâ & Rhodano æquale

asserit, interuallum autem Rhodano Ararique comprehensum ter maius est Delta Ægyptio, igitur eò non venit Annibal, igitur librarius dum legit Arar pro Isara, legit Sigma pro Iota.

Vis alteram rationem ponderis adhuc grauioris, properans in Italiam Annibal quasi ad certam victoriam ad eam insulam non diuertit quæ longius ab Italia distabat; fuisset hic recessus non accessus, & fuga non via; at insula Araris & Rhodani multis milliaribus remotior est ab Italia, quàm Isaræ insula; magni momenti est ad victoriam celeritas ducis, opprimit hostem non expectantem, pugnatur pene ante pugnam, fugatur hostis impellente famâ, & vincitur ipso victoriæ amittendæ metu; atque hæc multo veriora sunt de Annibale, cuius vel ipsum nomen instar exercitus erat; nec minus rimebantur Galli aduentantes quam Afri: terruit semper Romam Gallorum nomen, & aliquando cepit. Quis igitur credat Annibalem callidissimum ducem quæsiisse longiores vias, præsertim impellentibus Gallis, quorum primi impetus deorum credebantur esse non hominum; igitur Annibal ad insulam Isaræ venit, non ad insulam Araris.

Æqualis momenti est quod subiungo: ad eam insulam venit Annibal in quâ duo fratres de regno certabant; at hoc certamen intra Isaram & regionem Allobrogum erat: audi Tirum-Liuium dec. 3. l. 1. n. 31. Allobrogum gens nulla Gallica gente opibus, aut famâ inferior, tùm discors erat; certabant de regno fratres duo, maior natu, & qui prius imperitabat Brancus nomine, minore à fratre, & cœtu iuniorum qui iure minus, vi plus poterat pellebatur; huius seditionis peropportuna disceptario cum ad Annibalem perlata esset, arbiter regni factus imperium maiori restituit; ob id meritum commeatu, copiaque rerum omnium, & vestimentis est adiutus: sedatis certaminibus Allobrogum cum iam Alpes peteret, non recta regione iter instituit sed ad læuam in Tricastinos flexit, inde per extremam oram Vocontiorum tetendit in Tricorios, haud vsquam impeditâ via priusquam ad Druentiam flumen peruênit, &c. ex eo loco Titi-Liuij vide quid colligam, ac primum illud quidem apparet certum; idcirco Annibal Isaræ amne transmisso Allobrogum fines ingressus est, vt discordias de regno componeret: igitur non vltrà Allobroges iuit, vbi querelæ non erant; at insula Araris est extra Allobroges; deinde spes commodi Annibalem ad Allobroges attraxit, ad insulam Araris nihil attrahebat: præterea commeatu, & rerum copia, & vestimentis à Branco adiutus dicitur, adiutus verò non retentus, at retinuisset Annibalem Brancus si ad insulam Araris deduxisset, iterum per fines suos reducendum. Denique sedatis certaminibus Allobrogum ad læuam in Tricastinos flexit, igitur non ad Ararin venit sed ad Isaram rediit.

Mouent re ea rationes, Alexi, & ferè persuadent; affero aliquid potentius, per eam insulam rransiuit Annibal ad quam peruênit quartis ca-

ſtris, vt loquitur poſt Polybium Liuius; ſcilicet à Rhodano apud Taraſconem tranſmiſſo: atqui ad Araris inſulam vix peruenisſet octauis caſtris; crede mihi, Alexi, non volant exercitus ſed lentè ambulant, & curſores equi vix quartâ die iter illud efficerent: vide igitur qualem exercitum Annibali tribuas non hominum ſed penè volucrum; ſunt quidem in exercitu Alæ equitum, velocés ad ſubſidium peditum, & promptæ ad curſum; at nullus exercitus totus alatus eſt, Elephanti certè quos multos ductabat Annibal volare non poterant.

Penè aſſentiris, Alexi, vrgeo aſſenſum, & niſi fallor euinco; rediens Annibal, inquit Liuius ad Druentiam flumen peruênit, is Alpinus omnis omnium fluminum Galliæ difficillimus tranſitu eſt; nam cum aquæ vim vehat ingentem, non tamen nauium patiens eſt; quia nullis coërcitus ripis, pluribus neque ſimul, neque iiſdem alueis fluens, noua ſemper vada nouoſque gurgites faciens, adhæc ſaxa globoſa voluens, nihil vnquam tuti ingredienti præbet: & tum fortè imbribus auctus ingentem tranſgredienti tumultum fecit.

Eundem tumultum expreſſit verſibus Silius Poëta.

Turbidus hic ſaxis, truncisque Druentia latum
Ductoris turbauit iter.

At non veniſſet ad Druentiam Annibal ſi ad inſulam Araris diuertiſſet, ex eâ enim per Alpes Penninas, aut Graias ad Italiam tetendiſſet.

Idem Liuius eodem loco, prægreſſus inquit, Annibal ex promontorio quodam vnde longè latéque proſpectus erat, conſiſtere iuſſis militibus Italiam oſtendens, ſubiectoſque Alpibus circumpadanos campos, & penè ipſam Romam; videtis ait, Commilitones Italiam, & penè ipſam Romam, atqui vno aut altero ad ſummum prælio, arcem & caput Italiæ in poteſtate eſtis habituri: at hæc omnia oſtendi non poterant, ſi Annibal ex inſula Araris in Italiam perrexiſſet.

Denique quis ſatis prudenter audeat aliud iter aſſignare Annibali; quam quod tres nobiles ſcriptores accuratè deſcripsêre: Strabo l. 4. Geograph. Polybius inquit, quatuor potiſſimum viis adiri per Alpes Italiam dicit, per Alpes maritimas, Graias, Penninas, Cottias; per iſtas Annibalem in Italiam penetraſſe. Plutarchus de eodem itinere ſic habet quinto decimo inquit die ſuperatis Alpibus in agrum Taurinium deſcendit, quo mihi veriſimilius videtur per montem Genuæ, ſic enim vulgo appellant, qui ex altero latere flumen Druentiam, ex altero exitum in Taurinios habet, Pœnum tranſiiſſe. Titus Liuius dec. 3. l. 1. Taurinis quæ Gallis proxima gens erat in Italiam digreſſus eſt, id cum inter omnes conſtet, eo magis miror ambigi quânam Alpes tranſierit, & vulgo credere Pennino, atque inde nomen ei iugo inditum, &c.

Vides Alexi Titum-Liuium tria dicere de itinere Annibalis: primo per Alpes Cottias tranſiiſſe, deinde mirari ſe aliquos aliter ſentire; ſed eos

de vulgo esse, posttemò eos tidet qui Penninas Alpes dictas à Pœnis putant: at si Annibal ad insulam Ataris,& Rhodani venit,per Alpes Penninas ttansierit necesse est. Miratut ergo sententiam tuam Liuius, appellat vulgarem, & indoctam: at ego, Alexi nolo te sentire cum vulgo.

PARS SECVNDA.

ALEXIS. Non possum satis admirari vim eloquentiæ tuæ, Aristè, quæ facit vt falsitas ipsa videatur vera; retinuisti Annibalem intra insulam Isaræ ite vltra volentem; ptohibuisti ne Aratin videtet, assignasti iter quale finxisti; atque id tam eloquenter vt falsum de Annibalis itinete opinionem penè effeceris veram.

Vetumtamen, Aristè, dixisti similia vero, & idcirco non vera; Aurichalcum auto simile, non est aurum, Parelium simile Soli est, & differt à Sole: Vide, Aristè, ne dixeris falsa dum dixisti vero similia; falsum est quod non est vetum, & verum non est quod est tantùm simile veto.

Argumento vno veniisse Annibalem ad insulam Atatis probo, tùm ad atgumenta tua respondeo; & Annibalem per iter Annibalis ad Italiam deduco.

Polybius oculatus testis qui Annibalis iter & forte Annibalem vidit de eo itinete sic loquitur, τὸ μὲν ὁ τέλανος, τὸ δὲ Σκῦρος προσχωννύμενος μέσης πως ἑκατέρου τῶν πλευρῶν ἀπεφράκασι τὸ σχῆμα καὶ πλατὺ πρὸς ὀλίγον συμπίπτον. Quæro abs te, Aristè, an legendum putes pro σκῦρος τῆρος, an vero nomen integrum Σκῦρος esse Isatæ nomen? at neutrum satis erudite affirmate potes, non primum quidem,quale enim illud anagramma quod nomen non inuertit,sed cotrumpit; hæc enim cotruptela si liceat, non minus facile dicetur σκῦρος pro ἄρσις quam σκῦρος pro τῆρος: Sed neque Isara ex imputitate aluei & sordibus quas voluit σκῦρος appellari potest, leues illæ sunt, & tenues fæces,nec quales Atar ex pinguibus agris & campis conttahit; at Isara ex montibus defluens suo cursu se putgat, & fæces si quas habet aspergit agris non colligit: & Dracus deinde adiunctus velociter impellit, neque Araris instar dormire permittit; impositum est nomen σκῦρος Arari non facile alteri tribuendum; sigilla rerum sunt nomina, vt earum naturas obsignent, iniutiam facit alteri qui alienum sigillum facit suum; iniutia fit Arari dum Isara appellatur, nec latinè nec græcè hoc ei nomen competit. Vides Aristè quam parum tibi Polybius faueat.

Nec magis fauet tibi Titus-Liuius, ille de Annibalis itinere sic habet dec.3.l.1. n. 31. quartis castris Annibal ad insulam peruênit: ibi Atar, & Rhodanus amnes ex Alpibus decurrentes agri aliquantum complexi confluunt in vnum, mediis campis insulæ nomen inditum, accolunt propè Allobroges; attende, Aristè, quid respondeas, an Liuium nomen Arar vsurpasse pro Isara? an librarium erttasse non Liuium? audax esses

si Liuium erraſſe diceres, quem hactenus nemo accuſauit erroris; nec tam facile errant librarij in re facili, quis credat in nomine quinque literarum ereptam vnam, & duas additas, vt fiat Arar pro Iſara, nullum eſt crimen cuius librarij accuſari non poſſint si huius sunt rei; sed ne Liuium, aut librarium erraſſe putes, audi quid addat Liuius, accolunt propè Allobroges, at Iſara pertinet ad Allobroges, neque eſt vicinum flumen ſed ſubditum, Arar autem vicinus eſt Allobrogibus, nec indigena ſed extraneus: Vides, Ariſte, qualis te author accuſet Titus-Liuius.

Euinco cauſam si teſtibus habeatur fides, & haberi debet dum de facto agitur non de iure; Plutarchus hiſtoricus rerum, & Philoſophus morum de Annibalis itinere hæc habet; horum conſiliis perſuaſus Annibal caſtra mouit, & per ripam Rhodani aduerſo flumine profectus paucis diebus peruênit ad locum, quem inſulam Galli appellant; hanc Arar, & Rhodanus amnes ex diuerſis montibus confluentes efficiunt. Quid ais, Ariſte, an potuit clarius loqui hiſtoricus, & Philoſophus, vtroque nomine clarus; ne hîc quoque obtrudas erraſſe librarium, audi quid Plutarchus ſubdat, ibi nunc Lugdunum eſt celeberrima Galliæ vrbs, quam longis poſtea temporibus à Planco Munatio conditam accepimus. Attende vim argumenti, ad eam inſulam peruênit Annibal in qua Lugdunum eſt conditum, atintra Aratim & Rhodanum eſt conditum, igitur ad eam inſulam venit.

Confer nunc Cluuerium tuum cum rribus hiſtoriæ Principibus, hominem nouum cum vereranis, menſorem locorum cum hiſtoricis rerum & conſiliorum; quaſi iter Annibalis vlnis metiendum ſit non conſiliis, quaſi Imperator aſtutiſſimus rectiorem viam ſecutus ſit qui perpetuis inſidiis, & ſtratagemaris hoſtes, & vias ipſas fefellit; non incedunt ſemper Imperatores breuiori via inſtar curſorum, aptant vias conſiliis, non conſilia viis? ac vide quàm ſint ridiculi critici tui, diſceptant de ſyllaba vna, de litera, de virgulâ quaſi de Numantiâ aut de Româ, & Cluuerius tuus dum rricatur in nomine Iſaræ, & Araris rorum iter Annibalis interrumpit.

Ne ſolâ tamen authoritate pugnare me putes, reſpondebo argumentis tuis, ſpecioſis illis quidem vt fallant, non tamen ſatis veris vt perſuadeant.

Ad primum argumentum quam facilis eſt reſponſio? Arar non decurrit ſed adeò lentè fluit vt dubites vtram in partem eat: de aliquâ curſus parte dubitari poteſt, ar non de toto progreſſu: nec celerius Iſara ad Gratianopolim fluit, donec ſe illi Dracus infundat, tunc enim eâdem celeritate rapitur à Draco, quâ Arar à Rhodano; nec minus verè Iſaræ maritus dici Dracus poteſt, quam Araris Rhodanus.

Nec validior eſt pars altera argumenti tui: Arar non decurrit ex Al-

pibus, Respondeo Vogesum montem apud quem Arar nascitur, facile Alpibus accenseri posse; quæ enim tria stadiorum millia in longitudinem patent vt putat Liuius, aut centum millia passuum vt arbitratur Celsus, ea Rhenum & Ararim finibus suis facile amplecti possunt; hæc tamen responsio si minus placet addo alteram quæ eludi vix potest, præcelsi montes ad similitudinem Alpium sæpe appellantur Alpes; ne gratis id dictum putes, audi Plutarchum, paucis diebus ad locum peruênit quem Insulam Galli appellant, hanc Arar & Rhodanus ex diuersis montibus confluentes efficiunt: Vides quas Alpes Polybius & Liuius vocant, à Plutarcho appellari montes; nec Plutarchus confundit nomina prætorita qui distinguit futura, & Lugdunum longis postea temporibus à Planco extruendum, iam ante nominat.

Secundum argumentum de Delta Ægypti leue est, & vnius litteræ. Respondeo ampliorem esse Insulam Araris & Rhodani si montes includas, æqualis penè sparij esse si montes excipias; sic quoque insula Isaræ si Alpes includas maior est, si demas est longè minor. Deinde similes dicit insulas Polybius non æquales, dum addit, nisi quod illic Iarus vnum mare efficit, quo duo amnes coniunguntur; hîc verò difficiles, atque asperos montes & inaccessos dicit: Vides, Aristæ, nec includi ab vna insulâ mare, nec ab altera montes: at iis exceptis ambæ insulæ penè manent æquales.

Tertium argumentum fauet causæ meæ non nocet: Respondeo idcirco ad insulam Araris Annibalem venisse, quia ea memorior erat; nec properabat in Italiam Imperator callidus, sed moras de industria nectebat, neque hæc fuga erat, sed stratagema; fallere volebat insequentem cum exercitu consulem, & pugnare volentem, & fefellit dum progressus longius Scipionem redire in Italiam coëgit per Alpes maritimas, vt descendenti ab Alpibus Annibali, rutius vt putabat occurreret, sed infelicius: Ipse interea absente Scipione ex insula Araris reuerrens exercitum per Alpes corrias traduxit: Audi Tirum-Liuium consilia Annibalis explicantem, postero inquit die profectus Annibal mediterranea Galliæ petit, non quod rectior ad Alpes via esset, sed quantum à mari recessisset, minus obuiam fore Romanum credens, cum quo priusquam in Italiam ventum foret, non erat in animo manus conserere: Vides Annibalem nectentem callidas moras, & penè fugam simulantem. Addit paulo post Liuius, P. Cornelius Scipio Consul, triduò ferè postquam Annibal ab ripa Rhodani mouit quadrato agmine ad castra hostium venerat, nullam dimicandi moram facturus; cæterum vbi deserta munimenta, nec facile se tantum progressos assecuturum videt, ad mare ad naues rediit; rutius, faciliusque descendenti ab Alpibus Annibali occursurus: Attende Aristæ vim argumenti Annibal nectebat moras, non igitur ad Italiam

prope-

properabat, Annibal remotiores vias sectabatur, non igitur rectiores; id consilij non aduertit Cluuerius solis locorum mensuris intentus; at Liuius facta narrat & factorum consilia.

Quartum argumentum componit regias fratrum discordias, & vix componet nostras; fateor Annibalem ingressum esse fines Allobrogum vt fratres de regno disceptantes conciliaret interse; sed nego non vltra progressum; experiri voluit eo secessu an absente se pax sancita constaret, spatium dedit Regibus parando commeatui geminis exercitibus ad longum iter: interea ne regioni grauior esset, excessit tantisper ex Allobrogum finibus. Aliud consilium Annibalis erat multo callidius; sciebat vires Gallorum, & odium in Romanos, & cupiditatem potiendi Italia sæpe tentata; demerendam sibi putauit nationem, & inuitandam ad partem victoriæ, actum putans de Romano imperio si Gallia & Africa contra Romam pugnarent; ad conuentum autem Legatorum aptissimam arbitratus insulam Araris & Rhodani eo secessit, atque inde Aruernos, Heduos, Senones, & Heluetios ad belli societatem excitiuit: neque multo post regressus ad Allobroges, & commeatu, ac vestimentis, & copiis auxiliaribus adiutus ad læuam ad Tricastinos flexit; inde per extremam oram Vocontiorum ad Tricorios, ab illis Druentia flumine laborlose trajecto, & superatis Alpibus Cottiis ad Taurinios descendit; ita ille, post eam Alpium victoriam nihil Annibali insuperabile fuit.

Terrere me voluisti quinto argumento, & quartis castris Annibalis, at neque hoc argumentum est Annibale dignum: singulos dies non significant singula castra, quæ sæpe toto triduo non figuntur, & sæpe miles toto biduo insomnis ambulat, & inambulans dormit: potuit igitur quartis castris seu decem citeriùs diebus Annibal ad insulam Araris peruenire: atque vt videas sic explicanda esse castra; si aliter explicentur neque ad insulam Isaræ peruenisset Annibal quartis castris, idest quatuor diebus à Rhodano ad Tarascohem trajecto; ducebantur Elephanti cum exercitu, at illi lentè incedunt non currunt; neque ingens exercitus celerius Elephantis ambulat, etiam dum festinat.

Cætera argumenta tua; Arilte, vt falleré altutè possint supponunt falsum; credidisti negare me Annibalem per Alpes Cottias in Italiam penetrasse: At ego cum Polybio, Liuio, & Plutarcho Annibalem per Alpes Cottias deduco: non sunt fingenda heroum itinera, sed obseruanda, nec breuior illis semper assignanda est via, nec rectior; eunt instar Solis & penè sunt soles, at sol obliquâ via gradiatur, & inter monstra, neque illa morantur euntem Solem, neque Annibalem.

Ego si facilius iter Annibali assignare vellem, cum cum Samuele Guichenono nobili historico per Sebusiam, Sabaudiam, & Vallem Augustam deducerem; si rectiore viâ eundum esset, illum Culatone, aut Ci-

rone ad Alpes prosequerer: At historici est describere vias non fingere; relegit oculis Polybius iter Annibalis; Titus-Liuius, & Plutarchus res gestas Annibalis narrant, & consilia: Ego cum illis Annibalem per Alpes Cottias in Italiam sequor: tecum igitur hac in parte sentio, quia tu cum Polybio, & Liuio, & Plutarcho sentis.

At non ea erat controuersia nostra an per Alpes Cottias Annibal transierit, sed an ad Insulam Araris & Rhodani, & confluentem vbi nunc Lugdunum est peruenerit: Ego cum Polybio, Tito-Liuio, & Plutarcho affirmo, Tu cum Philippo Cluuerio, & N. Chorerio nobili historico negas; vter verius, Tu sapientissime Polymete pronuntia; vnum iterum moneo litem mihi esse cum eruditissimo Aristo, non cum Reuerendissimo Archiepiscopo, victum me fateor, si Episcopus disputat, victorem me credo si Aristus: tuum est æquissime Polymete, non personas æstimare sed causas.

ELOGIVM ANNIBALIS.

HIC post Alexandrum, & Pyrrhum iudicio suo tertius,
Multorum iudicio fuit bellator primus,
Vicit orbem vnum Alexander, & quærebat alium,
Plus est vicisse Romam quam Asiam.
Prima Annibalis victoria de Annibale fuit,
Sed non integra
Victorem cæterorum affectuum ira vicit;
Hac in parte monstrum Africæ fuit.
Altera victoria fuit de Alpibus,
Quas rupes ferro non potuit, aceto corrupit,
Post victas Alpes nihil insuperabile fuit.
Ad Ticinum P. Corn. Scipionem Consulem,
Ad Trebiam T. Sempronium Consulem,
Ad Trasimenum C. Flaminium Consulem,
Ad Cannas duos simul Consules vicit:
Vt scias magnitudinem cladis, collige ex annulis;
Duos annulorum modios Carthaginem misit;
Tunc primum dignitas Equestris vanalis fuit:
Credita est ea dies Romani Imperij vltima,
Et poterat capi Roma si Annibal venisset,
Et conuiuari poterat in Capitolio quinta die cum Ioue;
Nesciuit victoria vti qui sciuit vincere:
Retardauit venientem Fabius cunctator, non vicit.

Auſus eum prouocare Claudius Marcellus occubuit,
Perierat Roma niſi Capua illam ſeruaſſet:
Quem Alpes, & bella, & tot Duces non fregerant,
Fregére tepentes fontibus Baiæ:
Et Capua Annibali Trebia, & Traſimenus,
Et Baiæ Padus, & Cannæ fuére.
Reuocatus in Patriam vt illam ſeruaret,
Victus eſt à Scipione filio qui Patrem viceras;
Iuraueras ad aras interitum Romæ
Vidit interitum Patriæ:
Poſt eam cladem minor Annibal Annibale fuit,
Et clades Annibalis clades Africa fuit.

DISSERTATIO QVARTA,
LVGDVNVM SVPERIVS.

ALEXIS. Audiui ex te Ariſte, in ſuperioribus Diſſertationibus Lugdunum vnum fuiſſe & geminum, ſuperum & inferum, vrbem vnam & plures: Rogo te, Ariſte, dic aliquid de vtroque Lugduno, vt ſciam vtra pars eſſet nobilior, & an Lugdunum ſuperarit Lugdunum.

ARISTVS. Obtempero non tam precibus quam imperiis tuis; imperat amicus dum rogat, nec recuſari poteſt, quod amicitia iubet; at ego viciſſim vnum rogo, ne ſuccenſeas mihi ſi quid aſperius in caſtra, & theatra dixero; licet iraſci inter arma, & declamare ex theatro; loquar alienis verbis & meis, & ſtylo vtar Africano, & Gallico.

Vicerant orbem terrarum Romani, & iam omnis Prouincia Romana, & penè omnis Ciuitas Roma erat: vt contineretur in officio victus orbis, legiones, & præſidia prouinciatim diſtribuebantur, atque in limitibus quidem maiores copiæ, in oppidis interioribus cohortes & alæ: Lugduni in præſidiis erat legio vna, cum equeſtri Ala; audi Cornelium Tacitum l. 1. Iunius Blæſus acceſſit partibus Vitellij cum ſtatiua legione, & ala Taurina addit Tacitus Cohortem XVIII. Lugduni ſolitis Hybernis relictam; idem l. 3. Andegauos Aciolus Aula, excita cohorte quæ Lugduni præſidium agitabat coërcuit. Porro locus præſidij in monte erat; tum vt ciuitas inferior ſi rebellaret à ſuperiore opprimi poſſet; tum vt occupatus collis per militem, ſpem adimeret Gallis eum locum ſuperandi, quem Roma per Gallos contra Gallos defenderet.

Castra Romana Lugduni.

Expectas iudicium meum de castris Romanorum, ego libentiùs expectarem tuum: tam iniusta erant castra Romanorum quam arma; inique seruatur quod iniustè ereptum est; & dum retinetur semper eripitur: quid habuit iuris in orbem terrarum Roma, quod orbis non habuerit contra Romam? oppressit libertatem alienam, vt stabiliret suam; sed victa est ipsa quoque dum tot populos vicit; scilicet metuebant victos ipsi victores, & magis tuebantur Romanos castra Romanorum quam Gallos.

Amphitheatrum.

Vt temperarent castrorum formidinem & honorem, adiunxêre castris Amphitheatrum, vt dum in eo ludos edunt recrearent victores, & victis illuderent; fuisse Amphitheatrum Lugduni probat ruina; stetisse oportet Lugduni, quod Lugduni corruit; si causam quæris, affert illam Procopius, in castris inquit, fontibus, Aquæductibus, & fluxibus vrbium felicitas consistit; at Lugdunum vna ex vrbibus beatis erat; igitur Lugduni erat Amphitheatrum: confirmat Paradinus ex Suetonio, Caius Caligula edidit spectacula peregrè in Sicilia, Syracusis Hosticos Ludos, & in Galliâ Lugduni miscellos; negat Rubysius probari Amphitheatrum ex iis ludis qui extra Amphitheatrum edebantur.

Illustrius est testimonium Attali Martyris, de quo Epistola Lugdunensium ad Asianos, Attalus quoque populi vocibus postulabatur, erat enim valde nobilis, & vir optimæ conscientiæ, & per omnia exercitia semper Martyr, cumque circumlatus fuisset per Amphitheatrum titulo se præcedente, ATTALVS CHRISTIANVS: De eodem Euseb. l. 5. iterum Attalus post primam confessionem quam in theatro fecit; illustris sanè confessio digna theatro, spectatoribus Angelis, & muneratore Deo.

Gladiatores.

Aristus. Adhuc quæris, Alexi, quid fieret in theatro, inuitus audies quod spectare nolles; prodeunt in arenam gladiatores lusuri semel ne vnquam postea ludant, veniunt inermes & nudi vt possint excipere vulnera non repellere; prodeunt eruditi in necem alienam, & docti in suam; vterque diu didicit artem quâ posset perimere, & perire: proh pudor disciplina est homicidium! docetur quod ignorari oporteret; transiuit in ludum cædes hominis, occiditur homo in hominis voluptatem, spectatur scelus, ridetur homicidium, & homicida laudatur.

Pugna cum belluis.

Inhumanum est Gladiatorum spectaculum, quod sequitur truculentum, objiciuntur feris homines interdum rei, & sæpe innocentes, aliquando sceleris leo pœna est, aliquando virtutis; committuntur belluis homines quos natura Dominos fecit non æmulos: Proceduntinterea famelicæ belluæ, incitantur ad pugnam, stimulantur ad vindictam, & ne vincantur coguntur vincere: quid potest immanius cogitari? excitat acclamationem Orchestræ rugitus Leonis non horrorem, prouocatur Tygris vt sæuiat, irritatur ne parcat, placer homo in membra discerptus; aspicitur siccis oculis rorans ex vulneribus sanguis humanus, ridetur vbi

lugendum erat: Quis neget non minus ſpectatores quam vtſos & leones homicidas eſſet?

Necminus nocens eſt Scena, licet minus cruenta; reuiuiſcunt in ea antiqua ſcelera, & penè itetum fiunt dum exhibentur facta? apparet rediuiuus Atreus, Thyeſtes, Agamemnon, & dum recitant ſcelera ſua, penè iterum perpetrant. O nouam nocendi artem! ornatur ſcelus vt placeat, docetur fieri poſſe quod factum eſt; & quod meretur pœnam in iudiciis, fert palmam & plauſum in theatris. Scena.

Mollior eſt Comœdia non innocentior, explicatur in eâ quod natura tacêri vellet non ſciri; docetur ars amandi quæ Magiſtro non eget; diſcunt virgines quod ſcire vix debent coniugatæ, recognoſcit adultera artes ſuas; audit pudica quomodo adultera eſſe poſſit; amittitur pudor dum ridetur: corrumpitur primùm oculus, deinde animus; tranſit ſcelus in exemplum: licêre creditur quod laudatur, omnis ætas fit impudica, & quæ Minerua intrauerat, exit Venus. Comœdia.

Nec tantum exhibetur in ſcenâ ſcelus, ſed in templo adoratur: vicinum erat theatro Veneris Templum; vt dum docetur in theatro ſcelus, in templo coleretur: Quæſo Alexi, dum proſtat in templo Veneris impudicitia etiam nuda, an hoc puluinar Deorum eſt, an lupanar? quas illic preces offerre poſſunt pueri, & puellæ virgines deæ impudicæ? Quis illic caſtus eſſe poſſit vbi impudicitas conſecratur? ô cæcitatem, ô probrum! fiunt miſeris religioſa delicta, atque vt homines impunè peccare poſſint, coluntur dij impudici, deæ adulteræ, & peccata laudantur. Templum Veneris.

In toto ſuperiore Lugduno nihil innocens erat niſi Aqua, hæc quoque quot modis corrumpebatur vt eſſet impura, abſtrahebatur à tectis quæ amat fluere intra tectas: traducebatur arcubus triumphalibus, quæ ſemper humi mallet, quàm per aërem cuttere! includebatur tubis pretioſis, quæ libertatem mallet quam auream ſeruitutem: Quæ iſthæc inſania, corrumpere elementa vt fiant meliora? exuere aquam natiuis affectionibus vt induatur alienis? ſi amatur aqua leuis, cur non quæritur ignis grauis? Crede mihi, Alexi, ille ſtatus rerum eſt optimus, qui eſt natiuus; expoſuit aquam natura, vt eſſet publicum bonum; naſci vbique voluit, ne è longinquo peteretur; ceſſat aqua eſſe bona ſi fiat pretioſa. Aquæductus.

Omitto dicere de palatio, de foro veteri, de quibus nihil admodum dici poteſt quod non ſit facile, & vile.

Claudo Epiſtolam nouo genere laudis, pretioſius eſt Lugdunum ſuperius, hodie vacuum quam olim plenum; pauciora habet & plura, & nobiliores ſunt ruinæ operum quam ipſa opera: tutior eſt mons inermis quam munitus caſtris; innocentius eſt theatrum imminutum quam integrum; & meliores ſunt aquæ natiuæ quam aduenæ: denique mons profanus olim ſub tutela Venetis, nunc ſacer eſt ſub patrocinio virginis.

DISSERTATIO QVINTA.

LVGDVNVM INFERIVS.

ALEXIS, dixisti magna de Lugduno superiore, expecto maiora de inferiore, laudari me puto dum patriam meam laudas, & bis Lugdunensem me credo, dum audio geminum fuisse Lugdunum.

ARISTVS. Omissis cæteris tria laudo in inferiore Lugduno, templum Augusti, Emporium, Argyrocopium.

TEMPLVM AVGVSTI.

ARISTVS. De eo templo hæc quæro, an fuerit, quos conditores habuerit, quas Aras, quos sacerdotes, quo in loco conditum fuerit & quales ad illud populorum conuentus.

Inuênit Roma Galliam superstitiosam, & superstitionem auxit, fecit se Deam, & Deos vectigales sibi: fecit illa Augustum Deum, fecit Augustus Romam Deam, gemina superstitio fuit, & vtraque vana.

Excitatum fuisse Augusto etiamnum viuo magnificum templum probat Strabo lib. 4. & ex illo Illustrissimus Petrus de Marca digress. de primatu Lugduni, num. 100. scilicet id fecit Augusto Lugdunum, quod pleræque Ciuitates iam fecerant, aut facturæ erant; erexit Asia communibus impensis in vrbe Pergami, extruxit Bithinia in vrbe Niceæ, erexit Gallia vniuersa Lugduni. Ambitiosus sane Augustus dum vult videri modestus; admisit templum, & aram & sacerdotes; & post recusatum nomen Domini admittit appellationem Dei; quasi aliquid minus sit Deum esse quam Dominum: Infelix vero & imprudens Lugdunum dum simul Augustum & experitur tyrannum, & adorat vt Deum.

Conditores templi fuêre vniuersi Galliarum populi, vt tota Gallia peccaret peccantibus vniuersis: At hîc occurrit difficultas ingenio tuo digna, Alexi: Strabo conditores templi facit vniuersos Galliarum populos, eosque sexaginta enumerat, at ij plures erant. Ptolomæus in tribus Galliæ Prouinciis, Aquitanica, Lugdunensi, Belgica, sexaginta populos enumerat, & Narbonensem omittit, in qua erant quatuordecim populi. Auget difficultatem Tacitus lib. 3. de Flori, & Sacrouiri defectione agens, omnia inquit Romæ in maius credita, iacta-

tumque quatuor & sexaginta Galliarum Ciuitates defeciſſe, dubias Hiſpanias, &c. Igitur plures erant quam sexaginta populi. Quid ais, Alexi.

ALEXIS. Ego male numeraſſe Strabonem puto aut Ptolomæum, aut Tacitum.

ARISTVS. Itane vero Alexi, magnos Authores tam facile erroris accuſas; At ego omnes erroris abſoluo; ſcilicet irrepſit mendum apud Tacitum, & legendum eſt ſeptuaginta quatuor pro ſexaginta quatuor, atque hunc numerum efficiunt quatuor Prouinciæ Galliarum. Neque errauit Strabo, dum ſexaginta tantum populos numerauit, ſcilicet omiſit Prouinciam Narbonenſem, ſiue quia omnium Prouinciarum prima aram Auguſto iam conſecrarat; ſiue quia pridem à Romanis ſubacta Prouinciis Romanis iam erat adſcripta; ſiue denique quia ea ætate Galliarum nomine tres tantùm partes à Cæſare ſubactæ cenſebantur, nempe Aquitanica, Belgica, Lugdunenſis.

Illuſtrat hanc ſententiam Petrus de Marca variis inſcriptionibus antiquis prima ſic habet.

Catulio Sacerdoti ad templum Romæ & Auguſti tres Prouinciæ Galliarum tantum tumulum poſuerunt.

Altera non abſimilis.

Tiberio Antiſtio Equiti Romano tres Prouinciæ Galliæ ad Aram Cæſarum ſtatuam Equeſtrem ponendam cenſuerunt.

Inſignis eſt locus in Epitome Liuij, de Auguſto. Eum, inquit ille, conuentum Narbone egit, cenſus à tribus Galliis quas Cæſar Pater vicerat actus, &c. Vides, Alexi ex iis teſtimoniis excuſati Strabonem vel abſolui nimirùm ſecutus eſt Iulium Cæſarem, qui in deſcriptione Galliarum Prouinciam Narbonenſem omiſit quia eam non vicit.

Alexis. Factum eſt ſatis Straboni, ſed non mihi; ſeptuaginta & quatuor populos Gallorum Roma vicit, ex iis populis vnus ſatis olim Romæ vincendæ fuit; quale illud dedecus, ſubiugaſſe olim Romam, & nunc iugum pati.

Ariſtus. Suſtine iram Alexi, vicêre Galliam Galli non Romani; ne dubites ita eſſe vicit Romam Cæſar per Gallos non per Romanos, ſic vbique victores ſunt Galli etiam victi.

Alexis, nec templum Auguſti ſine Ara, nec ſine ſacerdotibus fuit; id ſupereſt explicandum, Ariſte, ne templum Auguſti Palatium credatur eſſe non templum.

Ariſtus. Intra hoc templum erant aræ duæ, vtraque dignitatis eximiæ; altera tamen primaria & maior, Auguſto, & deæ Romæ, altera minor diis Gallicis dicata erat, eademque ſexaginta populorum inſignia præferebat.

Aram Augusti probat Lucius Florus his verbis, Ara Cæsari ad confluentem Araris & Rhodani dedicata sacerdote C. Iulio verecundaro Eubio Heduo.

Ab Augusto transiit ille honos ad cæteros Cæsares successores, ita habet inscriptio apud Gruterum pag. 320.

Seruilio Marciano Aruerno sacerdoti ad templum Romæ, & Augustorum tres Prouinciæ Galliæ.

An aurem Romæ, & Augusti eadem Ara fuerit an diuersa inter eruditos controuersum est; Petrus de Marca aram vnam Augusto, alteram deæ Romæ sacram fuisse putat, templum autem vtrique commune, at Strabo duas tantum agnoscere videtur quarum vni insignia Gentium Gallicarum inscripta erant, & statuæ deorum impositæ. Idem sentire videtur Suetonius in Augusto, templa, inquit, quamuis sciret etiam Proconsulibus decerni solêre, in nulla tamen Prouincia admisit nisi communi suo Romæque nomine; qui templum non admisit nisi Romæ & sibi publicum, cur admisisset Aram non publicam?

Admisit sacerdotes qui admisit templum & Aram, ij Sodales Augustales, seu Flamines: iidem sex numero erant; atque inter eos dignitatis ordo, & primus ordinis Magister erat, rem explicant inscriptiones antiquæ.

Iunij. Aug. ideſt Seuiri Augustales.
Aurelius primus Corporis Augustalium,
Primigenius sexvir secundus Augustalis.

Alexis. Subsiste, Aristè teneri non possum quin Gallis irascar & Romanis; Quid agitis Galli parumne habetis subjicere libertatem vestram Romanis, nisi vestros etiam subjiciatis Deos; erigitis sexaginta diis Gallicis aram minorem, & Augusto maiorem, includitis eodem templo Deos vestros & Romanos, & quasi non sitis satis miseri, vestros etiam Deos miseros facitis, & captiuos; at quæ ista ambitio Romanorum! vt faciant Gentes omnes Romanas, omnes Deos fecêre Romanos, & ne ambitioni; ars desit, quos Deos alibi inuenêre ligneos, aureos fecêre & argenteos, atque vt omnes seruire vellent seruitutem humanam fecêre, & diuinam.

Aristus. Ad eas Aras & templum Augusti quot annis in honorem Augustorum primores Galliarum conuenientes, festos & solennes dies agitabant: Illustris est locus Dionis l. 54. Drusus auertit Gallos à Societate belli cum Sicambris, euocatis Lugdunum Proceribus Gallorum eius festi specie, quod ad aram Augusti agebatur.

Placet addere rei profanæ authoritatem sacram: Eusebius l. 5. c. 1. & ex eo Ruffinus. Die quodam celeberrimo, in quo ex omnibus Prouinciis Galliarum coeuntes nundinas celebrare solent, Rector Prouinciæ pro tribunali sedens, iussit Martyres pompæ instar traduci per ora populorum

rum qui ex omnibus Gentibus Lugdunum conuenerant.

Aduerte, Alexi, nundinas appellant Eusebius & Ruffinus hunc Lugdunensem conuentum, at quales nundinas putas? in quibus non merces tantùm artefactæ, non equi & boues solum, sed homines & dij ipsi vænales erant; scilicet vendebant omnia Romani vel emebant, vendebant Deos suos, & emebant alienos; vænalis iis erat omnis religio, atque vt mercarentur orbem terrarum, mercis instar habebant & homines, & Deos alienos & suos.

Locus templi, & conuentus populorum designatur à Strabone lib. 4. ἐπὶ τῇ συμβολῇ τῶν ποταμῶν, ad coitionem fluuiorum, ad Athenæum, vel iuxta illud, vt dij Græci, & Romani, & Galliei miscerentur, & fieret non tam Deorum templum, quam receptaculum dæmonum.

Subscribit eruditus Budæus lib. 4. de Asse, Lugduni inquit communi Galliarum impensâ exructum est Cæsari, & consecrarum templum ea parte ante vrbem vbi amnes confluunt; ibique Ara dignitatis eximiæ, sexaginta Gentium insigniis, totidemque Deorum simulacris, &c.

Nec minoris fidei est lapis in æde Monialium S. Petri Lugdunensis qui licet mutus sic loquitur.

Q. Adginnius vrbici filius, sacerdos Romæ, & Augusti, ad Aram, & confluentem Araris, &c.

Placet addere profanis testes Christianos. Gregor. Turonensis, & Eusebius aiunt Martyres in monte occisos, in Athenæo crematos esse, & in profluentem proiectos ante Augustorum ædes, vt illis hæc victima litaretur.

Alexis. Erudita sunt & antiqua quæ dixisti de templo & Ara Augusti. Ego aliquid recens addo inaugurato nuper in Archipræsulem Illustrissimo Camillo de Neuuille, Proregi Lugdunensium oblatum est eruditum Symbolum. Ara ingens ad confluentem Aratis & Rhodani pro pictura erat. Inscriptum erat Aræ hoc lemma.

SOCIATA POTESTAS.

Explicabat Symbolum adscriptum Epigramma.

Quod Lugdunensem fluuij miscentur ad Aram,
Vnumque & fluuios consecrat Ara duos.
Hoc sacri est Emblema tui, SOCIATA POTESTAS;
Pastor es, & Prorex, munere vtroque sacer.

DISSERTATIO SEXTA,
EMPORIVM LVGDVNENSE.

ALEXIS. Dixisti, Aristæ, augusta de templo & ara Romæ, & Augusti; reliquum est vt de emporio, & Argyrocopio Lugdunensi argentea dicas, & aurea.

ARISTVS. Non prius Lugdunum vrbs fuit quam emporium, neque ante habuit ciues quam mercatores, aduolauit orbis ad hoc commercium statim ac publicum fuit; atque vbi duo fluuij confluunt, omnes penè nationes confluxêre. Audi Strabonem l. 4. post Narbonem, inquit, maximè omnium Gallicarum vrbium frequentiâ hominum pollet Lugdunum, quo emporio vtuntur Romanorum Præfecti, & Præsides, monetamque argenteam, & auream cudunt, & templum ab omnibus Galliis communi sententiâ decretum Augusto, ad confluentes fluuiorum in hac vrbe constitutum est. Quæso Alexi, expende hoc testimonium, Strabo vir penè coæuus Augusto & Planco, vidit nasci Lugdunum, & describit iam opulentum, & populosum; & quod magis mirêre à sexaginta populis Galliarum iam electum ad communes conuentus celebrandos: Non ita crescunt cæteræ vrbes, nulla dum nascitur magna est; Roma ipsa prius infantiam sensit quam adolescentiam, & priùs ætatem iuuenem quam virilem: Lugdunum simul vrbs, simul emporium, & Argyrocopium fuit.

Idem Strabo eodem libro duplex consilium aperit cur Lugdunum Romani duobus fluuiis incluserint; primùm vt esset instar arcis aduersus fluxam, & labilem, & nondum satis firmatam Gallorum fidem; deinde vt Lugduno quasi emporio vterentur; nam & illis, inquit, magno vsui Lugdunum emporium est.

Quale verò emporium esset, declarat Honorij & Theodosij constitutio penè his verbis, nondum aperta per Gades Oceani Septemtrionalis circumnauigatione, merces ad vrbem Arelatensem ex Hispania, Africa, atque ab ipso Oriente deuehebantur, quæ deinde per Rhodanum nauigiis Lugdunum vsque perlatæ, inde per Ararim, & dubim ad Heluetios, & vtramque Germaniam, & terrestri itinere ad Sequanam transuectæ, ad Caletes, Lexouios, ipsumque Oceanum deferebantur. Vides, Alexi, quale emporium Lugdunum esset, scilicet centrum Galliæ & Europæ, centrum maris vtriusque, & penè orbis, centrum diuitiarum, & omnium mercium.

Nec deerant Magistratus qui commerciis præessent, & mercatoribus ac mercibus ius dicerent; omitto Magistratus cõmunes, & singulares aliquos cõmemoro, Allectores, Patroni Nautarum Araricorũ, & Rhodanicorum,

ſupremi curatores, & minores; quænam autem eſſent eorum Magiſtratuum officia collige ex ſequentibus inſcriptionibus.

L. Beſio ſuperiori
Viromando Q. R.
Omnibus honoribus apud ſuos functo,
Patrono Nautarum Araricorum, & Rhodanicorum:
Patrono Danicorum, Patrono Condi.
Conſiſtentium Allectariæ Galliarum
Ob Allecturam fideliter adminiſtratam
Tres Prouinciæ Galliarum.

Altera inſcriptio ſic habet.

L. Heluio. L. Filio:
Voltin. Frugi,
Curatori Nautarum
Bis IIVR. Viennenſium
Patrono Rhodanic. & Arar.
NR. Modo. & Araris.

Tertia minus integris characteribus.

Sex. Ligurius. Sex. F.
Galeria Marinus
Summus Curator C. R.
Prouinc. Lugd. &c.

ALEXIS. Dixiſti Ariſte, erudita de Emporio Lugdunenſi ingenioſa res planè, & fructuoſa commercium, ex omnibus vrbibus vrbem vnam, ex omnibus Gentibus vnam gentem, ex orbe vniuerſo communem omnibus patriam facit: per illud Africa intra Aſiam, vtraque intra Europam, Europa intra Galliam, & Gallia intra Lugdunum eſt. Per illud quidquid alibi naſcitur intra nos venit; atque vt loquitur Honorij & Theodoſij conſtitutio, per illud quidquid diues Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Aſſyrius; quod Africa fertilis, quod ſpecioſa Hiſpania, quod Italia poteſt habere præclarum, ita apud nos affatim exuberat, quaſi hic naſcantur omnia quæ vbique conſtat eſſe magnifica.

DISSERTATIO SEPTIMA, ARGYROCOPIVM.

ARISTVS. Controuerſa res eſt pecunia, de quâ affirmare neſcias an plus commodi afferat, an plus mali; hæc orbem terrarum emit, & vendit; hæc paucos diuites facit, & multos inopes: hæc origo malorum eſt nec eſt mala; hæc radix bonorum eſt, nec eſt bona,

hæc inter bonum & malum media, neutrum excludit, & vtrumque participat; hæc pretia rebus imponit, & est vilior; hæc gemmas æstimat, nec est pulchrior; hæc instar fluuij dum tenetur fluit, dum possidetur perit, dum blanditur fallit: hæc Lugdunum fecit, hanc Lugdunum; hæc problema est, de quâ asserere vix audeas, an plus Lugduni commodi attulerit, an plus boni.

Et quidem sine aliqua pecuniâ commercium stare non potest, quæ commercij anima est; at steterat diu cum pecunia ærea, & stare poterat sine argentea, & aureâ: Populus Romanus, ait Plinius l. 33. c. 3. ne argento quidem signato ante Pyrrhum Regem deuictum vsus est, Seruius Rex primus signauit æs, antea rudis vsus erat; signabatur notâ pecudum, inde pecuniæ nomen. Argentum signatum est anno vrbis D. LXXX. Q. Fabio Coss. quinque annis ante bellum punicum; aureus nummus sexaginta & duobus annis seriùs quam argenteus percussus est, & vterque in damnum suum, & nostrum maturius.

De Argyrocopio Lugdunensi duo dico, an extiterit Lugduni, & quæ eius causa fuerit.

Extitisse Lugduni probat Budæus l. 4. de Asse: Lugduni, inquit, Argyrocopium erat Romani imperij, affert Strabonem testem qui l. 4. hæc habet, Lugdunum in colle conditum, vbi Arar amnis Rhodano commiscetur, Romano tenetur imperio; ibi Romani Duces aureum numisma argenteumque signant.

Placet addere argenteum testem, nummum scilicet, quem statim post coloniam conditam percussum Lugduni, eruditi probant ex hac Epigraphe.

Ant. IIVir R. P. C. A. XL. ex aduersa nummi parte Lugduni cum Leonis effigie.

Antonius iste alius esse non potest, nisi Triumvir, cui Gallia contigit in partitione Prouinciarum, quam iniuit anno V.C. 712. teste Dione, vnde biennio post depulsus est armis Augusti: Quare eo triennio quo Gallias tenuit, necesse est excusum fuisse nummum istum: Non bene autem in ijs literis, A. XL. legit Lipsius à populis quadraginta, neque enim nummi à populis, sed à Præsidibus Prouinciarum cudebantur: deinde Conuentus Lugdunensis erat sexaginta populorum non quadraginta; nec melius alij annum deductæ coloniæ designari putant, quæ à quadriennio tantum condita erat; eum enim nummum conditum oportet eo triennio quo Gallias tenuit, cui triennio si addas annum Planci efficies quadriennium; valor igitur nummi designatur, scilicet assium quadraginta, & sic legi debet inscriptio.

Antonius Triumvir reipublicæ constituendæ assium quadraginta.

ALEXIS. Subsiste tantisper, Aristæ, & audi quid ex eo nummo in-

ferám, igitur Lugdunum adhuc quadrienne iam opulentum, & populosum fuit, at nemo nascitur magnus, ipse Leo dum in lucem exit Leunculus est: attende quid aliud inferam, igitur Lugdunum reparauit Plancus non condidit; inuenit æreum, & argenteum fecit, ac aureum.

ARISTVS. Ob eas rationes, & alias in prima Epistola Historica allatas vtramque opinionem de ortu Lugduni problema esse dixi, neutram damnaui.

Habes igitur, Alexi, Argyrocopium Lugduni à Romanis constitutum; si causas quæris, vnam assignat Alexand. ab Alex. l. 4. c. 24. Lugduni, inquit, Imperatores Romani argentum, aurum, & omne monetæ genus signare consueuerunt; siue quod prompta ibi ad cudendum metalli copia foret; seu quod difficilis locus ad confluentes Araris & Rhodani esse censeretur, & iniustæ violentiæ minus obnoxius.

Alteram rationem affert Strabo l. 4. ob summam opportunitatem ad pecuniæ transuectionem per orbem quaquauersum, scilicet hic locus congregat omnes populos, & quantum fieri potest, ex omnibus gentibus gentem vnam facit.

Claudo colloquium, & re hac tessera dono. Sapientior erat ætas primæua quam nostra, aurea erant secula dum nesciebant aurum; cœperunt esse ferrea dum amarunt argentum; & tamen nobilior erat pecunia ex pecude quam ex ære; vtilius æs erat quam aurum, & melius pecude signabatur quam Ioue: cur retinuimus pecuniæ nomen non vsum? cur scruramus viscera terræ vt inde eruamus metalla quæ mallent occulta esse quam publica? cur violamus communem parentem? cur non reueremur eum sinum ex quo exiuimus, & ad quem redimus? cur penè matricidæ sumus, vt simus diuites? aut hæc impietas est aut auaritia, vtroque nomine nocentes sumus: at hæc communis querela est, & lacrymis plorauda non verbis; insanabile malum est, quia est aureum.

DISSERTATIO OCTAVA;

ATHENAEVM.

ARISTVS. Quæris ex me tria, Alexi an fuerit Lugduni Athenæum Gallicum ante Græcum, an fuerit Græcum ante Romanum, prolixior esset Dissertatio si hæc tria diceret, singula Athenæa singula colloquia erunt.

Ac primùm, parum abest quin irascar quæstioni tuæ; an fuerit Lugduni Athenæum Gallicum ante Græcum: id est, an ignari, an barbari, an bardi fuerimus antequam essemus græci; id est an sola Græcia fuerit or-

bis Magistra; ideſt an Apollo, & Pallas, & Muſæ, & cætera Numina nullam habuerint patriam niſi Græciam: ideſt an ſcientiæ apud Græcos indigenæ, apud cæteros populos hoſpites fuerint, & peregrinæ.

At ego longè aliter ſentio, Alexi: Maiores noſtri eruditi fuerunt, nec tamen Græci; hauſerunt ſcientias ex fontibus domeſticis non peregrinis, & priùs Gallicè ſapuerunt quam Attice; vnum eſt quo Græci nos vincunt fabulis, & mendaciis; apud illos Hercules fabuloſus, apud nos verus: ſcilicet vt impunè mentiri poſſent, Deos ipſos fecêre mendaces.

Amplius aliquid dico, debet ſapientiam Græcia Galliæ, non Gallia Græciæ, id ego ſi probauero, mutabis opinionem, Alexi, & ſcies, priùs quam Athenæum eſſet Athenis, iam fuiſſe Lugduni.

Accedo ad rem ipſam, & ne quæſtio verſetur in nomine, fateor ante aduentum Græcorum non fuiſſe in Galliâ ſcholas publicas ſub nomine Athenæi, at fuêre ſub nomine Gallico gymnaſij; nec fuêre Lugduni, ſi ante Plancum Lugdunum non fuit; at fuêre intra confluentem vbi nunc Lugdunum eſt, ſi Plancus Lugdunum condidit: retineri poterat à Maioribus noſtris Gallicum nomen Gymnaſij, nec induci nomen Athenæi; ſed quæ vrbanitas ſemper Gallorum fuit, vt exciperent honorificè aduenas Græcos, admisêre Græca vocabula, & Græcos fecêre populares.

Fuêre apud Gallos, & Lugdunenſes Scholæ publicæ, ſi fuêre diſcipuli & Magiſtri; nemo naſcitur eruditus ſi Mineruam excipias, quæ intra cerebrum Iouis hauſit ſcientias, & prodiit in lucem erudita, & armata: cæteri omnes accipiunt à natura indolem, non artem aut virtutem; & quanquam artes aliquæ experientiâ acquiri poſſint, vix tamen ſcientiæ, niſi tradantur à Magiſtris; nec tradi commode poſſunt niſi in deſtinatis locis; atque hæc loca Athenæa ſunt ſiue Gymnaſia.

Primi ſapientiæ Magiſtri apud Gallos, & Lugdunenſes fuêre Samothei, & Saronidæ; illi Theologiam, iſti Philoſophiam docuêre; vtrique ſcientias acceperant à Samothe & Gomere, ab Auo Iapeto, & Noëmo Proauo; neque ea nomina Græca ſunt ſed Hebræa, vt ſciant Græci, prius apud nos fuiſſe veras ſcientias quam apud illos fabuloſas.

Ne fabulari me putes, audi Diodorum Siculum l. 6. ſunt, inquit apud Celtas Theologi & Philoſophi quos vocant Sarronidas, qui præcipuè ab eis coluntur; nam moris eſt apud eos, nullum abſque Philoſopho ſacrificium facere; exiſtimant enim per diuinæ naturæ conſcios ſacra fieri oportere, tanquam diis propinquiores: horum interceſſione bona à diis cenſent petenda, quorum conſilio, bello & pace fruuntur, & quos idcirco habent quaſi Semideos.

Succeſſu temporis, Samothei & Sarronidæ communi nomine Druydes appellari cœpêre; ſcilicet illuſtrior Druydum virtus cæteras ſectas ſuppreſſit, & nomina ipſa: ac velut Aquilæ penna cæteras auium plumas

absumit, sic Druydum fama cæteras Doctorum sectas, & Scholas.

Neque nomen Druydum Græcum est sed Gallicum, à Druyo Gomeris, & Iapeti nepote sapientissimo; neque affiniras nominis cum voce Græca aliquid probat, alioqui confunderentur populi, miscerentur nationes, & Græcia ipsa ab Ægyptiis, aut aliunde veniret, si vocum similitudo esset origo nationum.

Quinam autem, & quales Druydes fuerint, nemo certius scripsit quam Iulius Cæsar qui eos in Galliis vidit, & penè eoluit; audi magnum testem l. 6. de Bell. Gall. Druydes inquit diuinis rebus intersunt, sacrificia publica, & priuata procurant, religiones interpretantur: Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit; magnoque ij sunt apud eos honore, nam fere de omnibus controuersiis publicis, priuatisque constituunt; si quis aut priuatus, aut populus eorum decretis non stetit, sacrificiis interdicunt, hæc pœna apud eos est grauissima. Addit Cæsar: Druydibus omnibus præest vnus, qui summam inter eos habet authoritatem, hoc mortuo si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit; & si sint plures pares, suffragio Druydum adlegitur; nonnunquam etiam de principatu armis contendunt: Addit Cæsar, tantis excitati præmiis & sua sponte multi in disciplinam conueniunt, & à parentibus, propinquisque mittuntur; magnum ibi versuum numerum ediscere dicuntur; itaque nonnulli annos vicenos in disciplina permanent, &c. Denique Druydes iustissimi omnium opinione creduntur: neque aliquid siue in bello, siue in pace sine iis geritur.

Ex eo Cæsaris testimonio habes magnum fuisse auditorum numerum, auget eum numerum Pomponius Mela l. 3. c. 3. Docent, inquit, multa nobilissimos Gentis; scilicet nemo nobilis censebatur, si esset ignarus, hoc erat geminum discrimen à plebe, nobilitas, & doctrina: nec tamen solis nobilibus licebat eruditis esse; attollebant se aliquando à plebe ingenia, & mutata conditione transibant in ordinem nobilium, & gradum Druydum.

Habes ab eodem teste varium fuisse tempus disciplinæ, pro ingeniorum varietate; nonnulli, ait Cæsar vicenos annos in disciplina permanent: hi fortè magisterium ambiunt; alij doctrinam delibant, atque ij malunt discere quàm docere, & satagunt sapere sibi, non aliis.

Habes denique methodum doctrinæ, quæ erat docêre & discere magnum numerum versuum: scilicet, ait Cæsar nefas existimabant mysteria doctrinæ suæ literis mandare; idque duabus de causis instituisse videntur, quod neque in vulgum disciplinam efferri velint, neque eos qui discunt, literis confisos minus memoriæ studere quod forè pleriſque accidit.

Audio te etiam tacentem, Alexi, hæc, inquis, videntur clara, sed duo

ſuperſunt adhuc obſcura, locus lectionum, & ſitus Athenæi Lugdunenſis.

Subtiliter objicis, & fateor non facilem eſſe dubitationis tuæ ſolutionem. An enim primis temporibus gymnaſia extiterint controuerſum eſt inter eruditos; exiſtimant aliqui priſcis illis ſeculis vix alias fuiſſe ſcholas præter familias; iidem erant parentes & magiſtri, iidem liberi & diſcipuli, domeſtica erat doctrina, & diſciplina; & quibus filij debebant vitam, iiſdem ſapientiam ferebant acceptam: Illuſtre enimuero ſcholarum genus, niſi familia munus docendi nimis familiare feciſſet: mollior eſt affectus matris quam vt magiſtra eſſe poſſit, nec facile Pater exercet officium iudicis cum affectu Patris.

Propterea affirmant magni Authores. Sarronidas, & Druydes extra domos, & vrbes gymnaſia ſtatuiſſe in ſpecubus, aut in abditis ſaltibus, vel etiam in faſtigiis montium, & locis ſacris; vt ibidem haberent & magiſtros homines, & Deos doctores: inde ille mons Druydum apud Heduos de quo late diſputat ex Budæo Caſſanæus p. 12. conſ. 60.

Inde ille vicus Druydum apud Lugdunenſes trans Rhodanum, inde ille nobilis Lucus intra Ararin & Rhodanum, ibi olim Diuydum ſedes erat, ibi iuuentutis confluuium ad confluentem duorum fluuiorum: ibi olim Athenæum Gallicum erat; ibi diu poſteà Athenæum Græcum, ibi deinde Athenæum Romanum fuit; & nunc vbi Athenæum eruditionis erat, ibi eſt pietatis Athenacum.

Ne diuinare me putes mecum ſentit Illuſtriſſimus & eruditiſſimus Claudius Bellieuræus Protopræſes Gratianopolitanus; fauet nomen Pagi ex Viſco deſumptum quod vt ait Plinius l. 16. c. 44. copioſiſſimum ex quercu naſcitur quod Dryos Hyphear vocant: nec leuis momenti eſt probatio deducta ex nomine, quod vt aiebat ille, clauis eſt vt rerum naturas reſeret, radius vt illuſtret, caracter vt ſignet.

Addit vir eruditus Morinus Pierchamus nobilem olim ſyluam inſulæ Barbaræ, Nemus Benæum, & lacum Sapiniacum, domicilia Druydum & ſtudioſæ iuuentutis gymnaſia fuiſſe: nec melius inſtitui Academiæ poterant quam in ſyluis, vbi nihil interpellat ſtudentes, & omnia adiuuant, vbi nihil eſt niſi ſilentium auditoris, vox magiſtri, & Echo ſermonis.

Audio te, Alexi, adhuc ſubmurmurantem liquére quidem ex iis omnibus non debere Galliam ſcientias, & ſcholas Græciæ, at nondum ſatis conſtare quid Græcia debeat Galliæ: recte mones, Alexi, id penè omiſeram, quod tamen eſt alterum controuerſiæ momentum. Caſſanæus parte 12. Catalogi gloriæ mundi conſ. 12. Clarum eſt, inquit, apud Samotheos, Sarronidas, Druydes, Bardos, literarum, & Philoſophiæ magnum mare fuiſſe ſolis primùm Gallis nauigabile, deinde in totum orbem terrarum exundaſſe; & ne Caſſanæi phraſin hanc eſſe dicas, Dioge-

nes

nes Laërtius in principio de vita Philosophorum, hæc habet; Philosophiam à Barbaris initia sumpsisse complures authores affirmant; constat enim apud Persas claruisse Magos, apud Assyrios Chaldæos, apud Indos Gymnosophistas, apud Gallos Druydas, & Samotheos, qui teste Aristotele diuini atque humani iuris peritissimi, Samothei à Religione appellati sunt.

Vrgeo argumentum, & te, Alexi authoritatibus, conuinco & rationibus. Debet Græcia scientias Galliæ si debet caracteres; audi Annium Viterbium, Cadmus, inquit eius nominis quintus paulò ante ruinam Troiæ rediens ex Phœnicia retulit in Græciam sexdecim literas, non Phœnicias, sed caracteribus Galatarum (ita appellat Gallos) persimiles. Expende hæc verba Alexi, attulit in Græciam ante ruinam Troiæ, igitur non acceperunt ex Græcia Galli caracteres suos sed donarunt; dum igitur legis apud Cæsarem l. 6. Gallos literis Græcis vti solitos, appellat Cæsar caracteres Græcos, quia iis quoque Græci vtebantur, sed alienis non propriis, sed aliunde accepris, non à se inuentis.

Iis caracteribus Druydes scribebant fortia heroum suorum facinora, iis componebant versus heroicos: eos versus tradebant scholasticis memoriter addiscendos, eos denique ad Lyram & Cytharam in Athenæis canebant. Atque vtinam supereſſent ij Druydum libri, superaret hæc historia Græcorum fabulas, & miraretur hodieque orbis plures habuisse Galliam heroes veros, quam Græciam fabulosos.

Ex iis omnibus habes, Alexi sapuisse Galliam ante Græciam, extitisse Athenæum Lugduni antequam esset Athenis, & debere Græciam scientias Galliæ, non Galliam Græciæ.

Claudo Epistolam imagine Samothei, quam postulasti, figurâ est procerâ supra humanum modum, & talis ac tantus esse debet Samotheus, idest Semideus; caput velo obductum vides, patêre rota non debet Maiestas Deo proxima: barba bifida est, impexa, & ad vmbilicum vsque decidua, hæc quoque est maiestatis nota; nudis pedibus terram attingit; hac sola sui parte mortalem se credit; manu librum gestat sapientiæ argumentum; dextrâ baculum, quasi sceptrum; humeris Manticam vacuam, & sapientiæ plenam; austerus vultus vt iuuentutem solo aspectu contineat; oculi alta meditatione in terram defixi, vt negotiosum animum ostendant, etiam dum nihil agit: denique penè esset religiosus habitus si posset esse vera religio sub falso Deo.

DISSERTATIO NONA,

ATHENÆVM GRÆCVM.

RESCRIBIS ad me, Alexi, fateri te fuisse Lugduni ante adventum Græcorum Athenæum Gallicum, & quæris quando inceperit Græcum, & quale fuerit. Quæris à me quod docêre possis, simulas te nescire dum interrogas, probas te eruditum dum dubitas, & penè affirmas dum negas.

Respondeo quæstionibus tuis, non vt doceam quod ipse nosti, sed ne id taceam quod à me quæris. Ac primùm eosdem natales habuisse videtur Athenæum Græcum Lugdunense, quos habuit Massilienſe, Phoceenses, inquit Morinus Pierchamus, libello de origine vrbis Lugdunensis, Massiliâ ad regionem Lugdunensium deuecti, oppidum extruxerunt, quod vocarunt Athenopolim, quo etiam nomine Massiliam recèns à se conditam affecerant.

Addit Illustrissimus Claudius Bellieuræus ibidem Academiam extruxisse quam Athenæum, idest Palladis ædem appellarunt.

Alteram opinionem affert Raymundus Solerius, scilicet appulsos commercij causa ad insulam Gallicanam Rhodios, Athenienſibus, Cretenſibus, & Phoceenſibus iunctos, opportunitate loci allectos Academiam extruxisse quam Athenæum appellarunt, vrbem vero Rhodiam, & flumen Rhodanum. Mauult tamen Solerius ortum Lugduni octingentis annis antiquiorem esse Româ, & ducentis Lutetiâ.

Ita illi de ortu Lugduni, & Athenæi? At ego neque Lugdunum, neque Athenæum à Græcis conditum puto; admissi sunt in Academiam à Druydibus Græci, non à Græcis Galli, excepti sunt vt hospites, non vt Authores, vt socij non vt Magistri: atque ex eâ societate manauit nomen Athenæi Græci, imposuit hoc nomen vanitas Græcorum, & admisit vrbanitas Druydum. Audi Christophorum Milliæum libello de primordiis vrbis Lugdunensis, nulla erat pars Galliæ, quæ non haberet suos Druydes Philosophos; non deerant igitur doctores Lugduno, nec deerant discipuli vbi abundabant Magistri; nec deerat Lugduni locus Academiæ, vbi erat nobilis ad confluentem duorum fluminum lucus. Quin etiam simile vero est ante Athenæi nomen, Academiam Lugdunensem Palladi seu Mineruæ iam fuisse sacram: colebant Deam illam Galli ante Græcos; neque igitur à Græcis scientias acceperunt, nec scientiarum Deam.

Habes Alexi ortum Athenæi, vis nosse quale tunc fuerit: tale erat vt

migrasse Lugdunum Athenæ videantur; neque vnæ tantùm Lugduni Athenæ erant; elegantia Græca addita Gallicæ geminas Athenas efficiebat; ipsa quoque Minerua gemina erat, induxerant Atticam Græci, Gallicam inuenére: fallor duæ vnius Deæ statuæ erant, & neutra Dea.

Tunc quoque pulchrum doctrinæ certamen institutum est, studebant Galli linguæ Græcæ, & Græci Gallicæ; docebantur Druydes delicias atticas, & docebant Gallicas; mutuum Magisterium erat, & alterna disciplina: atque vt erant magna vtrinque ingenia, breui trium linguarum Gallicæ, Græcæ, & Latinæ iidem fuêre trilingues Magistri, & trilingues discipuli; nec multo post adeò inter Græcos & Gallos amicitia coaluit, vt natio vna videretur esse, non gemina.

Ac vide quales Magistri ex Athenæo Lugdunensi prodierint, ex innumeris aliquos produco; primus esto Lucius Plotius qui Rhetoricam primus docuit, Ciceronе adhuc puero, & discipulo: hunc laudat ipse Cicero pro Archia Poëta; eiusdem meminit Seneca; eundem magni æstimat Fabius magnorum virorum æstimator magnificus: expende Alexi gloriam Athenæi Lugdunensis, dedit Romæ primum Rhetorem, & Ciceroni primum Præceptorem; qualem & quantum virum oportuit esse Plotium, qui Romam eloquentem fecit, & Ciceronis, hoc est eloquentiæ ipsius primus Magister fuit.

Alter est Marcus Antonius Gnipho, partia Gallus, & Lugdunensis Athenæi nobilis alumnus; hic, ait Suetonius magni ingenij, & memoriæ singularis, nec minus Græcè quam Latinè eruditus, docuit primùm in domo Diui Iulij adhuc pueri; deinde suis in ædibus aperuit Rhetoricæ scholam: audierunt illum clarissimi viri; in iis Marcus Tullius etiam cum Prætura fungeretur: Quæso Alexi vter nobilior Orator an Cicero qui docetur, an Gnipho qui docet?

Tertius esto Valerius Cato, Lugdunensem fuisse probat inscriptio, quæ adhuc extat apud Ansam, & ne laudari tantùm putes in lapide; laudat illum Suetonius l. de Illustribus Grammaticis. At non ille tantùm Grammaticus sed Orator, & Magister Oratorum fuit.

Quartus sit Tatianus, cuius elogium scripsit his versibus Ausonius:

Æsopiam trimetriam,
Quam vertit exili stylo,
Pedestre concinnans opus,
Fandi Titianus artifex.

Appellat illum Capitolinus Simiam sui temporis, quod omnia esset imitatus; scripsit ille multa, nec verbo tantum sed stylo eloquens fuit.

Impleuit breui Europam fama Athenæi Lugdunensis, eaque tam alta, & lata fuit, vt ad illud candidati sapientiæ toto penè ex orbe confluerent; nec minus verè de Athenæo Lugdunensi, quam de Massiliensi Aca-

demia dicere licuit cum Strabone; eloquentia & Philosophia publicè illic docebatur, & Romani neglectis Athenis eò ad disciplinas capessendas confluebant; nec magis Lugdunum bonarum mercium quam scientiarum commune orbis emporium erat.

Ex iis vides Alexi, quam illustre fuerit Athenæum Lugdunense, & quam antiquum, inuênit illud institutum Plancus, non instituit; dum tamen illud reparauit, vel auxit; reparator Athenæi, & fundator Lugduni dici meruit.

Claudo Epistolam Elogio Græcorum, ne illis subiratum me putes, nulla gens est similior indoli Gallicæ, si vanitatem gentis excipias; elegantis ingenij sunt, & amœni; nobilis naturæ & generosæ, subtilis linguæ & argutæ; penè illis natura pro arte est, & penè virtus pro indole; merebantur inter populos secundas palmas, nisi ambiuissent primas: emendauit ingenium Græcum indoles Gallica; correxit Athenas Athenæum Lugdunense; collegit virtutes non errores, & repræsentauit decora gentis non vitia.

DISSERTATIO DECIMA,

ATHENAEVM ROMANVM.

ARISTVS. Dixi Athenæum Gallicum, & Græcum, quæris quale fuerit Romanum, & quænam decantata illa ad Aram Lugdunensem præmia, & supplicia.

Ambitiosus sane populus Romanus, qui post vsurpata omnium iura regnorum, adhuc regnandi auidus vsurpare voluit imperium scientiarum; nec dominum se putauit nisi in ingenia dominium haberet, nædum in corpora: propterea ornauit antiquas academias, & addidit nouas: in iis doceri linguam Latinam magnis præmiis voluit, & grauibus pœnis; vt vbicunque regnabat lingua Romana, ibi regnaret Roma.

Inuenêre Romani Athenæum iam conditum, & forte Lugdunum; ornarunt inuentum, atque vt eius authores dici possent, nomen Athenæi ad cæteras Academias extenderunt.

Addiderunt Romani Athenæo ædes Augusti, vt esset augustius: extruxerunt templum & aram vt esset sanctius; instituerunt certamina & ludos, vt esset amœnius: proposuerunt præmia, & pœnas, vt esset illustrius; eò denique gloriæ euexerunt vt Cæsares ipsi, vincere in iis ludis gloriosum putarent, & vinci inglorium. Iulius Capitolinus in tribus Gordianis, ait seniorem Gordianum declamasse in Athenæo audientibus etiam

Imperatoribus ſuis. De Caligula Suetonius, edidit inquit in Gallia Lugduni miſcellos ludos, & certamen quoque græcæ, latinæque facundiæ; imo ipſe Imperator in arenam deſcendit, & vinci poterat, ſi ſine ſceptro veniſſet.

Quinam autem eſſent ij ludi miſcelli, diſputant eruditi: Ego cum eruditiſſimo Petro de Marca, ludos miſcellos ita appellatos ſentio, quod variij ludi miſcerentur, ſcilicet luctâ, pugilatus, equorum curſus, muſica, & præcipuè certamen græcæ, latinæque linguæ: ſcilicet Romani vt allicerent iuuentutem ad ſtudia, ſtudium appellabant ludum; vt nemo excluderetur à ludo miſcebant omne genus ludorum, & ludos appellabant miſcellos.

Audi conſilium ſubtilius, vt fallerent orbem terrarum occupabant ludicris artibus; vt dedocerent Martem docebant Apollinem; vt excluderent Bellonam, proponebant inermem Mineruam; vt emollirent feroces Gallorum animos, temperabant Muſis, & corrumpebant deliciis.

Detexit conſilium, apud Tacitum Iulius Sacrouir, atque vt artem arte falleret, nobiliſſimam Galliarum ſobolem liberalibus ſtudiis apud Heduos ſuos operantem ibi detinuit; eoque pignore & Parentes & propinquos adiunxit partibus ſuis, & Romanis ſubduxit. Hic igitur finis, hic ſcopus municipalium ſcholarum, allicere Gallicam iuuentutem vt alliceretur ſenectus: erudire Parentes in liberis, & perſuadêre Cæſarem dum Cicero doceretur: nimirum inſinuabat ſe Roma cum linguâ, & Galli docebantur parêre Gallicè, dum diſcebant loqui Latinè. O nimis ingenioſi, & parum aſtuti Galli! cœpiſtis eſſe ſerui, cum voluiſtis eſſe Latinè eruditi, eratis liberi ſi nec Gallia Romam didiciſſet, nec Roma Galliam; nec debuiſtis intelligere Romanos, nec à Romanis intelligi.

Vt alliceretur iuuentus proponebatur præmium victori, & pœna victo; hæc erat pars altera quæſtionis tuæ; concurrebant vndique celeberrimi Oratores, & Poëtæ; nec Galli tantùm, ſed Romani, & Græci; & erat Lugdunum Emporium Europæ, & Athenæum ſapientiæ.

Certabatur intereà ſcripto & verbo, pallebat vterque dictutus ad Aram Lugdunenſem, & victor futurus, & vincendus; dubitabat victor futurus an vincere poſſet, & vincendus futuri præſagus, antequam vinceretur, penè iam erat victus.

Quænam autem pœna infligeretur victo non ſatis conſtat; an victoribus dabatur ius vitæ, & necis in victos? id affirmant aliqui; at hæc pœna crudelis eſt, & Martem ac Bellonam ſapit, non Apollinem, & Mineruam: an circumducebatur victus circa gymnaſium tertio circuitu, & inter eundum ac redeundum ferulis ac virgis cædebatur? ita aſſerunt aliqui, at hæc quoque pœna fontium eſt, non de doctrinâ certantium; Similius vero eſt quod in Caligula habet Suetonius, qui præmia victori-

bus conferebant, eorundem & laudes componere coacti; ij autem qui maxime displicuissent, scripta sua tabulis ceratis, vel corticibus arborum, vel papyro commissa, spongiâ linguáue delêre iussi; nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent; nec mirum si palleret dicturus ad Aram Lugdunensem, quis non palleret ad ferulas, ad aquam, ad linguam, & spongiam?

Hæc pœna victi, at quænam erat corona victoris? an laurus, an gemma, an aurum? at hæc ingenio minora sunt, nec nobilior animi corona esse potest quam gloria; cæteræ res frontem coronant hæc mentem; nec deerat tamen victoribus sua corona, cáque tergimina, prima conferebatur à victis, ait Suetonius, altera ab Agonotheta post sententiam iudicis; tertia fortassis glorioſior, laus erat victoris à victo; nec dubium est quin illa laus vera esset quæ ab æmulo, & penè ab hoste veniebat.

Vt plus dedecoris haberet pœna, & palma plus laudis, putat eruditissimus Petrus de Marca recitationes illas fieri solitas in auditorio suis gradibus, subselliis, Anabathris, & Orchestra instructo intra ædes Augusti; spectare credebatur Augustus ex statua, & sexaginta Gallorum dij ex imaginibus suis obiurgare videbantur victos, & laudare victores.

Mauult Rubysius ex aduersa parte templi Augusti fuisse Athenæum, & inter vtrumque Pyramidem sexaginta populorum insignibus ornatam, atque in Athenæo fieri solitos conuentus priuatos, in atrio & propatulo publicos, quibus etiam præferebatur in imagine Minerua, vt constat ex inscriptione, LVGDVNENSI MINERVÆ IMAGINIFERO; Illustre sane spectaculum, in quo spectatores sexaginta populi, & populorum dij, Augustus Præses, & Minerua iudex.

Hæc omnia ad confluentem Araris & Rhodani fieri solita probat allatus Suetonij locus: victis, inquit, præmia victoribus conferebant, eorum & laudes componere coacti; ij autem qui maxime displicuissent, scripta sua spongiâ, linguáue delere iussi, nisi ferulis obiurgari, aut flumine proximo mergi maluissent: vides confluentem, dum vides proximum vtrimque flumen.

Neque indignum est hoc loco antiquum carmen quod ex Bibliothecâ Franciſci Iureti Rubysius profert, & post eum Claudius Robertus in sua Galliâ Christiana, tit. de Archiepiscopis Lugdunensibus.

Fama refert populum, quò dignis artibus esset,
Clarior, & doctis vbris benè culta viris:
Marmore candenti niueum posuisse theatrum,
Hîc vbi se flumen miscet vtrumque simul.
Palladis ara Deæ medio stetit orbe theatri,
Mira canam, quamuis Numina posse putes.

Palladis intacta Rhetor dicturus ad Aram
Palluit, & stupido protinus ore fuit.
Ipse licet Cicero Diuæ simulacra petisset,
Ante Dea scenam corde tremente foret.

Spectasti ludos Alexi, & penè lusisti; at quænam illa calliditas Romanorum, & Gallorum facilitas? procurat Roma ludos populis quos vicit, & victis illudit: ludunt miseri vt oblectent victores suos, & ludendo probant se victos: pugnant iterum vincendi non à Romanis, sed à seipsis: laudant victores suos lingua Romana, quos accusare oporteret linguâ Gallicâ; probant se eruditos Latinè, & imperitos Gallicè; eduntur interea ludi impensis Romanis de spoliis Gallicis: liberales sunt editores sumptibus nostris, & Roma pauper olim de suo, magnifica est de ære nostro. O calliditatem Romanam, & simplicitatem Gallicam! adeone cœci estis Galli, vt ludentibus Romanis ludus sitis? annum satis est esse captiuos, nisi etiam catenas vestras rideatis? deploranda esset captiuitas vestra non laudanda; bis estis infelices, dum de infelicitate luditis.

DISSERTATIO VNDECIMA,

AN LVGDVNVM COLONIA ROMANA.

ORIVNDVS à Gallis Proauis, Alexi, adhuc nasci velles à Romanis; scilicet glorioſum putas Romanum sanguinem, & te aut Marcellum, aut Catonem putares si venires ab hoc sanguine: irrisit tamen Aruernos Lucanus eo nomine.

Aruernique ausi Latios se dicere fratres
Sanguine ab Iliaco, populi nimiumque rebelles.

Appellare debuit fortes qui libertatem suam tuerentur, non rebelles qui excuterent seruitutem. Vide ne in te hic quoque risus cadat: facio te tamen Romanum quia ita vis; atque vt illustrior sit origo tua, erit Romana, & Gallica.

Duplicis generis colonos Roma habuit, vt notauit Asconius, quibusdam vrbibus vel antiquis, vel de nouo conditis dabatur ius Coloniæ, nullis eò deductis ciuibus, & tantum deductis legibus; mutabantur leges non homines; exuebantur vrbes antiquis priuilegiis, & donabantur nouis; concedebantur illustres tituli sed vacui: licebat ambire Magistratus Romanos & emere: & fiebat sæpe post empta Romana, vt qui apud suos nobiles erant, Romæ essent ignobiles.

Aliæ Coloniæ fiebant deductione Ciuium Romanorum, qui ciuitatem Soli, aut veteribus incolis adiunctis constituebant; hoc genus Colo-

niæ nobilius appellat Asconius ; atque huiusmodi Coloniam deduxit Plancus, vt constat ex veteri epigraphe marmori albo inciſa Caietæ in æde Saturni.

L. Munatius L. F. L. N. L. Pron. Plancus Cos.
Ex Rhetis, ædem Saturni fecit de manubiis
Cos. Imp. Iter. VII. Epul. Triumph.
Agros diuisit in Italia Beneuenti, in Galliam
Colonias deduxit Lugdunum, & Rauricam.

Ideſt Lucius Munatius Lucij Filius, Lucij Nepos, Lucij Pronepos, Plancus Conſul, ex Rhetis ædem Saturni fecit de manubiis, Conſul Imperator, iterum ſeptemvir, Epulo Triumphator, agros diuiſit in Italia Beneuenti, in Galliam Colonias deduxit Lugdunum & Rauricam.

Vides nomen Coloniæ & Lugduni inſculptum marmori ne de re dubites: neque dicas lapidem loqui, veriùs loquuntur lapides quam linguæ; neſcit mentiri natura dum pura eſt, qualis in lapide.

Accipe tamen teſtimonium viri Conſularis, cui de Senatu & actis Conſularibus mentiri non licuit. Is eſt Dio clariſſimus hiſtoricus lib. 46. Senatus inquit iuſſit illis, ideſt Lepido & Planco, vt iis qui quondam Viennâ Prouinciæ Narbonenſis oppido ab Allobrogibus erant expulſi, & intra fluuios Rhodanum & Ararin ad eorum confluentes conſederant, vrbem conderent; atque ita illi ſubſiſtentes, Lugdunum quod olim Lugudunum vocatum fuit ædificarunt.

Vides, Ariſte, decretum Senatus quod Plancus executus eſt Lepido in Italiam reuerſo: vides conditum à Planco Lugdunum, & factum Romanorum Coloniam; vides ante Lugdunum fuiſſe olim Lugudunum: igitur Plancus magis eſt reparator Lugduni quam author.

Deductam autem fuiſſe Coloniam Ciuium Romanorum, nec tantùm legum colligere licet ex Strabone l. 4. extremo, vbi ait idcirco Lugdunum à Romanis conditum, vt eſſet propugnaculum duobus fluuiis quaſi vallis munitum, aduerſus labilem & fluxam, & nondum ſatis firmatam Gallorum fidem: ex eo teſtimonio ſic arguere licet, timebatur labilis & fluxa, & nondum ſatis firmata Gallorum fides; igitur noua Colonia ſolis ciuibus Gallis credenda non erat; igitur admixti ſunt Gallis indigenis Coloni Romani. Illud etiam obiter obſerua, ſi Lugdunum duobus fluuiis quaſi muris incluſum eſt; igitur non in monte tantum ſed in plano conditum eſt.

Inuênit Lugdunum Coloniam Romanam Claudius Imperator, & nouis ciuibus Romanis additis bis Romanam fecit: probat hanc mixturam ciuium cognomen Claudiæ ciuitatis quod deſignatur his literis.

C. C. C. Aug. Lug. ideſt vt legunt Scaliger, & Lipſius Colonia Copia, Claudia, Augusta Lugdunenſium: male autem Paradinus & Rubyſius de

trecentis

trecentis Auguribus interpretantur; nec bene alij de trecentis Augustalibus, sic Ciuitas Agrippinensium his literis designata est. C. C. Aug. Agripp. idest Ciuitas Claudia, Augusta Agrippinensium. Sic vrbs Hadrumetina donata iure Coloniæ à Traiano ob sedatas oppidanorum seditiones dicta est Concordia, his literis. C. C. VLP. TRAI. AVG. FRVG. HADRVM. idest Colonia Concordia Vlpia, Traiana, Augusta, Frugifera, Hadrumetina. Redeo ad Lugdunum, fecerat Planeus Coloniam copiosam, fecit Claudius copiam.

Claudo Epistolam admiratione Romana: Qualis Ciuitas Roma! quæ omnes Prouincias impleuit Romanis ciuibus! instar miraculi est victum orbem terrarum à Romanis militibus, maius miraculum est impletum Romanis ciuibus: impleuit vrbs vna omnes vrbes, nulla penè ciuitas est vbi non sint Romani ciues, nulla Prouincia vbi non sit Roma.

DISSERTATIO DVODECIMA,

AN LVGDVNVM COLONIA VIENNENSIVM.

AMAS nobilitatem, Aristæ, & Gallus & Romanus, adhuc Viennensis esse velles: oriundus ex duabus gentibus optas tertiam, & quartam optares & decimam si liceret. Hanc ego nobilitatem affero tibi, & te trilinguem hac Epistola facio, & trigentilem.

Cur Gallis & Romanis Colonis Viennenses Lugduni Roma miscuerit duplex ferè ratio Senatui & Planco fuit. Necessaria erat rebus Romanis noua Colonia, quæ vt aiebat Strabo debilem adhuc Gallorum fidem firmaret; & Lugdunum orbis terrarum emporium faceret: nec tamen Lugdunum solis Romanis ciuibus impleri oportebat: nec Roma tot incolas sufficere poterat, quæ post victum orbem terrarum vicerat seipsam, & mediâ sui parte decreuerat.

Iulius Cæsar trecenta & viginti hominum millia variis bellis consumpserat; Pompeius non minorem hominum numerum in varia præsidia per orbem sparserat, bellum ciuile Prouincias partitum penè orbem & vrbem exhauserat: in ea ciuium penuriâ Augustus viginti & octo Colonias exterarum gentium in Italiam deduxerat; serui & liberti in supplementum Senatus admissi erant: Ex quibus omnibus sic arguere licet; eo tempore Roma ciues Romanos in exteras Prouincias non deduxit magno numero, quo tempore ex Prouinciis externis Colonias & ciues deducebat: tunc se non exhausit cum erat egena, tunc se in orbem non effudit cum ad se orbem euocabat: neque tunc Planeus ex solis militibus

Romanis quos apud se habebat ciues fecit, cum ex ciuibus externis milites faciebat: nec rediit in vrbem triumphaturus sine milite, qui per milites triumphabat. Igitur Plancus ex solis militibus Romanis Coloniam non deduxit: nec solis Gallis credenda erat Colonia quæ contra Gallos exsurgebat: igitur admiscendi fuêre Viennenses, Galli quidem origine, sed quos Roma ex exulibus liberos fecerat, vt faceret subditos.

Alteram rationem affert Dio l. 46. Senatus iussit illis Lepido scilicet & Planco, vt iis qui quondam Viennâ Prouinciæ Narbonensis oppido ab Allobrogibus expulsi erant, & intra fluuios Ararim & Rhodanum confederant, vrbem conderent; atque ita subsistentes Lugdunum extruxerunt: nec tantùm eruditus historicus factum recitat, sed addit facti consilium: timebat inquit Roma Allobrogum fidem; & nisi occurreret præuidebat ambitionem: neque tamen tunc temporis audebat eos aggredi, quos aggressores metuebat: igitur armauit in Allobroges Viennenses Patriâ ejectos; atque vt illos ad vindictam fortes efficeret, fecit Lugdunenses.

Quâ autem de causa Viennenses à sedibus patriis ab Allobrogibus expulsi fuerint amplè narrant historici: Ego de Lugduno & Viennâ quærere malo, vtra vrbs plus debeat alteri, vtra plus acceperit, vtra plus donarit: nec facile tamen eius rei iudicium est; fecerunt Viennenses Lugdunum ciuitatem, fecit Lugdunum Viennenses ciues: debet illis Lugdunum Coloniam, debent illi Lugduno se columnos: alterna sunt nomina, & mutua beneficia; vtraque vrbs sibi inuicem mater & proles est: maius aliquid dico, & concludo, amant se inuicem duæ primatiæ vrbes, & nisi essent duæ Prouinciæ vna vrbs essent.

DISSERTATIO XIII.

AN LVGDVNVM COLONIA GRÆCORVM.

QVæ illa Græcorum vanitas particulam esse mundi, & velle mundum esse particulam sui! velle nobilissimas quasque Gentes oriundas esse à Græcis, & Græcos aborigines esse, & oriundos à seipsis: At quæ etiam stoliditas quorundam populorum, nasci malle ex alienigenis, quam ex Gentilibus suis, ex Hercule Græco quam ex Gallico, ex fabulosis cunis quam ex veris? Quod admirationem habet, fauent huic opinioni magni viri, nisi eos velis fabulas referre, non credere.

D. Hieronymus, qualis & quantus author! apud Sallianum ad annum mundi 1931. Legamus inquit Varronis de antiquitate libros, &

Cimnij Capitonis, & Græcum Phlegonta, cæteroſque etuditiſſimos viros, & videbimus penè omnes inſulas, & totius orbis littora, terraſque mari vicinas græcis accolis occupatas, qui ab Amano & Tauro montibus omnia loca vſque ad Oceanum poſſedére Britannicum.

Hæc Hieronymus atque ex eo Genebrardus ad annum mundi 1109. Galli inquit vſque ad Cyrum eum tota Europâ plane bardi fuerunt atque ἔμμετροι, donec Phocenſes Græci Aſiatici dominatum Cyri fugientes, Gallicum littus occuparunt, Maſſiliamque condiderunt, & per Bardos & Euages, & Tectoſages docuêre ſtudia literarum.

Diſtinctius Seneca in conſolatione ad Heluiam, Phoceenſes inquit è Græcia oriundi, & Aſiæ minoris incolæ, Phocæa vrbe Ioniæ primaria ab Harpago Cyri Præfecto pulſi, ptiùs in Corſica inſulâ inſedére; ex quâ quid eos fugauerit, an cœli grauitas, an conſpectus ptæpotentis Italiæ, an natura maris importuoſi non ſatis certum eſt: inde maris littora legentes in Prouinciam quæ ab ipſis dicta eſt Phocenſis, in ora portuoſa Maſſiliam condidêre: Neque ita multo poſt aduerſo Rhodano ad regionem Lugdunenſium delati, & opportunitate loci allecti, intra duos fluuios Ararin & Rhodanum, Lugdunum extruxêre: atque vt Maſſiliam diſciplinis Græcorum ornatam Athenopolin vocarunt, ita & Lugdunum Athenopolin, & Academiam ibi inſtitutam Athenæum appellarunt.

Ita magni Authores ex alieno magis ſenſu quam ex ſuo; at ego hiſtorias malo quam fabulas: Vis Alexi vt expendam quam hæc Phoceenſium fortuna ſit dubia, & quam incertus ab iis Parentibus Maſſiliæ, & Lugduni ortus: Ac primò quidem pugna eſt annorum & temporum in hoc Maſſiliæ ortu: Euſebius in Chron. & Solin. Polyhiſt. c. 8. & poſt eos Gordonus putant Maſſiliam conditam an. 2. Olymp. 45. anno vrbis conditæ 155. At Herodotus lib. 1. Geneb. Salianus, Pætauius conditam malum Olympiade 59. an. vrbis conditæ 274. illi tamen omnes à Phocenſibus profugis conditam volunt.

Amabo, Alexi, quomodo potuit naſci Maſſilia Olympiade 59. ſi iam nata erat Olymp. 45. quomodo anno vrbis conditæ 174. ſub Tarquinio ſuperbo, ſi nata erat ſub Tarquinio Priſco? an bis fundari potuit, & bis naſci? an ſenior eſſe ſeipſa, & iunior? an prior eſſe ſexaginta annis, & ſeipſa poſterior? Crede mihi Alexi, nemo bis naſcitur, quia nemo bis moritur.

Placet vrgere rem aerius, quomodo potuit condi Maſſilia à Phocæis profugis ſi nondum fugerant? quomodo fugati ſunt ab Harpago Præfecto ex imperio Cyri poſt victum Crœſum, ſi neque Harpagus qui fugaret, nec Cyrus qui imperaret, nec Crœſus qui vinceretur adhuc Rex erat? At Olympiade 45. nondum Crœſus & Cyrus homines erant, nec prius Reges eſſe potuerunt, quam homines.

Nec annorum tantùm pugna est, sed fundatorum: Aristot. lib. de Rep. Massilienſium, apud Athenæum lib. 15. ait Phocenſes non vagos aut profugos, non milites sed mercatores Massiliam condidisse: Quæso Alexi, vtros Parentes malles, an liberos, an exules? an mercatores, an milites? viderit Massilia vtros velit, ego partem miseriæ puto nasci ex miseris.

Nec fundatores tantum inter se, sed Massilia pugnat cum seipsa; Strabo author erudirus l. 6. ait Phoceenses expugnaros ab Harpago prohibitos fuisse aditu vrbis Massiliæ: erat igitur tunc temporis condira Massilia, neque enim pugnare potuit nisi esset, nec prohibere hostem aditu nisi armata, nec potuir armata esse nondum nata.

Fauer Herodotus dum air Phoceenses ab Harpago eiectos insulam Corsicam non esse prætergressos, sed ibi vrbem Alaliam incoluisse, à Phoceensibus aliis ante annos plures iam extructam.

Vis, Alexi vt refellam has fabulas alia fabula? eruditus Raymundus Solerius c. 9. de antiquit. Massil. & Champerius aiunt occiso Minoë Cretensium Rege Athenienses & Cretenses veniſſe Massiliam, & inde aduerso Rhodano ad insulam Gallicanam peruenisse, arque illic Academiam & nobilem vrbem condidisse.

Ridebis vt puto has fabulas dum eas leges, addo Historiam, sed quam etiam appellarem fabulam nisi eam historicus scripsisset: Iustinus lib. 44. Temporibus inquit Tarquinij Regis, Phoceensium iuuentus ex Asia ostio Tyberis aduecta amicitiam cum Romanis iunxit; inde in vltimos Galliarum sinus vltra ligures profecta, Massiliam hac conditione condidir; Rex Segoregiorum Senanus nomine, conuiuium appararat, vt in eo generum sibi, & filiæ suæ maritum inter epulas more gentis eligerer: ad hoc conuiuium inuitati principes finitimi, & cum ipsis furius, & Peranus Phoceæ classis Ductores; inroducta deinde virgo cum iuberetur à Patre aquam ei porrigere quem elegisset in sponsum; illa omissis cæteris aquam Perano porrigit, qui factus ex hospite gener, locum condendæ vrbis à socero accepit, & sic Massilia condita est propè ostia Rhodani amnis in remoto sinu, ac velut in angulo maris.

Vides, Alexi quam incertum sit an Massilia à Phoceensibus fuerit condita; nec minus dubium est an Lugdunum sit Græcorum Colonia; scificet prius Massiliam venêre Phoceenses, quam Lugdunum, & si hic aduentus fabula est, prius mentita est alibi, quam Lugduni.

Ar quæris quid ego de re tota sentiam; Ego inrer tot nebulas videre mihi videor aliquid lucis: hospites sunt Massiliæ, & Lugduni Phoceenses non conditores; vtraque vrbs auida bonarum literarum non minus quam mercium euocauit ad se doctores Græcos vel conduxit; venêre illi Massiliam, deinde Lugdunum; inuenêre vtramque vrbem iam

conditam, non condiderunt ; addidêre se doctoribus Gallis Magistri Græci; miscuere vtrique artes suas, temperauit se vtraque sapientia, atque ita in vnam gentem vtraque gens coaluit, vt vel Græcia in Galliam; vel Gallia in Græciam migrasse videretur; at quæ fuit semper Gallorum vrbanitas, & Græcorum vanitas; imposuere Græci Massiliæ nomen Athenopolis, & Lugduni Athenæi; admisêre Græcos Galli; nec tamen Authores sunt Græci sapientiæ Gallicæ sed collegæ; auxêre Academiam Lugdunensem, non instituêre, & prius Massilia & Lugdunum Gallicè sapuerunt quam Græcè. Coloni sunt igitur Lugduni Græci, si ita appellare velis, sed hospites primùm Lugduni, deinde conciues.

DISSERTATIO XIV.

RELIGIO GALLORVM, ET LVGDVNENSIVM ANTE PLANCVM.

INSITVS est omnibus hominibus à natura Dei sensus & cultus; atque hunc sensum Religionem appellamus: nemo intelligens quid sit Deus negare potest esse Deum: nemo aliquem Deum non colit, si aliquem credit: errauerunt Maiores nostri in Diis non in Deo; coluerunt plures, & vnus erat colendus; excessus superstitionis fuit non defectus; imo & defectus fuit; Deus si non est vnus non est Deus: nec tamen accuso omnes Maiores nostros; illustre est quod ait sanctus Martialis Lemouicensium Episcopus, Epistola ad Burdigalenses, Gallos habuisse altare dicatum ignoto Deo; imo & Virgini parituræ, vt narrat Cassanæus p. 12. Catal. gl. mundi; Illustris fides Maiorum nostrorum, ignotus Deus, & cognitus; illustris pietas erga Deiparam, colebatur Virgo antequam esset, nec dubium quin crederetur Mater Dei, quæ Virgo simul credebatur & Mater futura; scilicet

Si nasci Numen, nasci de Virgine debet,
Et Virgo hoc partu debuit esse parens.

Corrupêre hanc fidem mali mores, & paulatim vitia in Deos transiêre; induxit Venerem impuritas, Mercurium auaritia, Martem ferocia, Iouem ambitio, Mineruam curiositas: Amata sunt scelera, deinde consecrata; postremo ne scelera arguerentur à Diis, dij ipsi crediti sunt fuisse scelerati.

Minus tamen superstitiosi erant Galli antequam permiscerentur Græcis, induxere Græci fabulas in Galliam, & Deos ipsos fecêre fabulosos; quas tamen fabulas induxerint, & quas inuenerint non satis constat; ad-

dita sunt mendacia mendaciis, & homines & Dij ipsi mendaces erant.

Præstat audire Iulium Cæsarem l.6. Nemo melius Gallos nouit, quam qui toto decennio expugnauit Gallos, & Gallorum Deos. Natio inquit omnium Gallorum admodum dedita est Religionibus, atque ob eam causam qui sunt affecti grauioribus morbis, quique in præliis, periculisque versantur, aut pro victimis homines immolant, aut se immolaturos vouent, administrisque ad ea sacrificia Druydibus vtuntur; quod pro vita hominis, nisi vita hominis reddatur, non posse Deorum immortalium Numen placari arbitrantur, publicéque eiusdem generis habent instituta sacrificia; alij immani magnitudine simulacra habent, quorum contexta viminibus membra viuis hominibus complent, quibus succensis circumuenti flamma exanimantur homines; supplicia eorum qui in furto, aut latrocinio, aut aliqua rixa sunt comprehensi gratiora Diis immortalibus esse arbitrantur: sed cum eius generis copia deficit, etiam ad innocentium supplicia descendunt.

Deum maximè Mercurium colunt, huius sunt plurima simulacra; hunc omnium inuentorem artium, hunc viarum atque itinerum ducem, hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur: Post hunc Apollinem, & Martem, & Iouem, & Mineruam, de his eandem ferè quam aliæ Gentes habent opinionem; Apollinem morbos depellere, Mineruam operum atque artificiorum initia tradere, Iouem imperium cœlestium tenêre, Martem bella gerere; huic cum prælio dimicare constituerunt, ea quæ de bello ceperunt plerumque deuouent, quæ superauerunt animalia capta immolant, reliquasque res in vnum locum conferunt; multis in ciuitatibus harum rerum extructos cumulos locis consecratis conspicari licet; neque sæpè accidit vt neglecta quispiam religione aut capta apud se occultare, aut posita tollere auderet; grauissimumque ei supplicium constitutum est: Galli se omnes à Dite Patre pugnatos prædicant, atque à Druydibus proditum dicunt; ob eam causam spatia omnis temporis, non numero dierum sed noctium finiunt, & dies natales, & mensium, & annorum initia sic obseruant, vt noctem dies subsequatur.

Ita magnus Author, nec dissentiunt Galli historici; Aymoinus lib. 1. Hist. Franc. c.7. Galli, inquit, Samotheis, & Druydibus Ministris sacrorum colebant Teutalem, Turanim, & Ognium; at hæc Numina sunt diuinitates ipsæ iam dictæ, Teutales Mercurius, Hesus Apollo, Iupiter Turanis, Ognius Mars, aut Hercules Gallicus.

Nulla est Religio quæ sacrificia non habuerit, & falsa Religio vera habere non potuit. Audi, Alexi, sacrificia Maiorum tuorum. Diodorus Siculus lib. 6. Cum enim magnis de rebus consulunt mirabilem, incredibilemque seruant consuetudinem, iugulant ense hominem,

quo decidente tum ex casu, tum ex membrorum laceratione, tum ex sanguinis fluxu, ex quadam obseruatione diuinant futura.

Horribilius est quod habet Strabo lib. 4. Hominem, inquit, diuinationi destinatum in tergo ferientes, ex ipso impatientiæ, afflictandique modo vaticinia capiunt, alia quoque humanorum sacrificiorum genera traduntur: quosdam sagittis configebant, & intra sacras ædes patibulo affigebant: magnam etiam ex fœno statuam apparantes, eique linum innectentes pecora, & varias belluas, atque homines holocaustum faciebant. Hoc penè ipsum dixerat Cæsar l. 6. & nos supra ex Cæsare diximus; augebat horrorem locus, principio Druydes & Samothei in syluis, & nemoribus sacrificia peragebant, vt solas arbores & rupes crudelitatis suæ testes haberent; at quis iste hominum furor, quis horror? iugulabantur homines instar ferarum, & qui iugulabant feris peiores erant.

Post hæc præludia crudelitatis, ex syluis & saltibus in vrbes, & gymnasia, cruenta sacrificia transiêre; inter carmina & cantus, & laudes immolabantur homines in hominum voluptatem; quodque insaniæ proximum est inter ignes & flammas, & cultros victimæ ipsæ fata sua canebant; scilicet leniebant horrorem mortis elogia morientis; dicebantur transire in Deos qui immolabantur diis; promittebatur immortalitas vt mori vellent, & victimæ iis olim immolandæ, vt ipsi victimæ essent. O insaniam canentium inter vulnera! ô crudelitatem sæuientium inter lætitias!

Nec plura de rebus tam horrendis, claudo Epistolam, & penè illacrymor; miseret me Aristæ, maiorum nostrorum, qui sic errarunt in diis & sacrificiis: quale Numen Mercurius furum patronus, vt furari liceret impunè sub Deo fure? qualis Deus Apollo armatus sagittis vt vulneret amores suos? quale Numen Iupiter qui patrem Saturnum cœlo extrusit filius & tyrannus? qualis Deus Mars qui inter ipsos etiam planetas sanguine rubet & furore? qualis Dea Minerua quæ cerebrum Iouis diuisit & rupit? at quæ sacrificia iugulare homines vt diis placeas? peccare ne pecces, vel vt pecces: offerre homicidia & Deos ipsos facere homicidas. Non est hæc pietas homicidam esse vt sis Pius.

Nihil dixi de antiqua Lugdunensium religione, & omnia dixi; erant ante Plancum Lugdunenses, aut saltem Druydes, erat trans Rhodanum Druydum vicus, & intra Rhodanum & Ararim Druydum lucus; confluebant ad fluuiorum confluxum vicini populi sacra facturi, nec deerant sacrificia vbi erant sacrificuli, nec victimæ vbi erant Prouinciarum opes.

Quænam autem fuerit Lugdunensium Religio post Plancum iam dixi superiori Epistola, cum de Athenæo, & Augusti templo.

DISSERTATIO XV.

DIGNITATES VETERVM LVGDVNENSIVM.

TRIA ex me quæris, Aristæ, quos honores gesserint Lugdunenses ante Plancum, quas dignitates post Plancum intra Romam, & quas intra Patriam: Ac primùm quidem nullos honores gesserunt ante Plancum, si ante Plancum nondum erant: at si reparauit Lugdunum Plancus non fundauit, participarunt honores Gallicanos Lugdunenses qui nobilis Galliarum pars erant: nec dubium est quin dignitates suas habuerit Gallia nondum Romana; scilicet nulla Gens est adeò barbara quæ Magistratus suos non habeat, siue illos natura emittat in lucem adhuc infantes, & iam Reges; siue illos libertas hominum eligat, atque illis sponte se subdat; siue Author & Rex hominum Deus illos Vice-Reges sibi substituat, & penè Vice-Deos.

Quas autem dignitates, sacras, politicas, militares habuerint veteres Galli, Strabo & Plinius, atque ex illis Paradinus, & Rubysius enumerant: at nemo eas dignitates verius descripsit, quam Iulius Cæsar qui illas vidit, & vicit: Placet illum exscribere, sic loquitur l. 6.

In omni Gallia eorum hominum qui in aliquo sunt numero & honore, duo genera sunt; nam plebs penè seruorum habetur loco, quæ per se nihil audet, & nulli adhibetur consilio; alterum genus est Druydum, alterum Equitum; illi rebus diuinis intersunt, sacrificia publica ac priuata procurant, religiones interpretantur: Ad hos magnus adolescentium numerus disciplinæ causa concurrit, magnoque ij sunt apud eos honore: nam ferè de omnibus controuersiis publicis, priuatisque constituunt, si quis autem priuatus, aut populus eorum decreto non stetit, sacrificiis interdicunt, quæ pœna apud eos est grauissima.

His omnibus Druydibus præest vnus qui summam inter eos authoritatem habet, hoc mortuo si quis ex reliquis excellit dignitate, succedit; at si sunt plures pares suffragio, nonnunquam etiam de principatu armis contendunt; ij certo anni tempore in finibus Cornutum, quæ regio totius Galliæ media habetur considunt, in loco consecrato, eorumque iudiciis decretisque omnes parent: Quod de Cornutensibus dixit Cæsar, de Lugdunensibus dicere poterat, si Lugdunenses viciſſet, qui vicit Cornutes.

Alterum genus est Equitum, ij cum est vsus atque aliquod bellum incidit, quod ante Cæsaris aduentum ferè quot annis accidere solebat, vt aut ipsi iniurias inferrent, aut propulsarent, omnes in bello versantur; atque

atque vt eorum quisque est genere, copiisque amplissimus, ita plurimos circa se Ambactos, clientesque habet.

Vrbes primariæ sui iuris erant, nullius addictæ imperio, quæ populi & totius Gentis nomine vocabantur: plurimos habebant Regulos, quorum clientes Ambacti dicebantur; solebant quoties de totius Gentis commodis agebatur conuentus indicere, quorum tres ordines erant, primus eorum qui sacra tractabant, Druydæ; secundus nobilium at principum Ciuitatis, tertius populi, supra omnes Regulus erat.

Ita Cæsar qui vnum omisisse videtur quod scribit Plutarchus opusculo de illustribus mulieribus, scilicet illustres fœminas apud Gallos ius habuisse suffragij in conuentibus publicis, quod enim viros factionibus diuisos conciliassent, statutum esse vt sine mulieribus nihil constitueretur.

Ab iis forte temporibus manauit illa consuetudo de qua Carolus Loyseau l. de princip. c. 5. n. 43. vt olim apud Francos viduæ Parium Franciæ, atque illarum hæredes virgines in comitiis, & conuentibus regni solemnioribus sederent, atque inter Pares sententiam dicerent; nec in ciuilibus tantum, sed etiam in capitalibus, in foro, atque Senatu iudicium ferrent.

Vides, Aristæ, quos honores gesserint Lugdunenses ante Plancum, expectas vt dicam quos gesserint post Plancum intra Romam, & quos intra Patriam.

Ambitiosa sanè respublica Romana quæ Colonias Romanas vbique terrarum instituebat, vt vbique terrarum esset Roma; erant inquit Onuphrius Coloniæ effigies quædam, & simulacra Reipublicæ Romanæ, spectabatur Roma in imaginibus suis, & erant Romæ multæ extra Romam; neque ibi stetit ambitio Romæ sed admittebat ad Consulatum, & cæteras dignitates externos homines; euocabat ad se clarissimas vrbes, & faciebat orbem terrarum partem Romæ.

Fuit igitur Lugdunum intra Romam, si habuit ius adipiscendi honores Romanos; si Lugdunenses intra Romam fuêre Consules, si Patritij, si Præfecti Prætorio, si Præfecti vrbis, si Magistri officiorum, si Senatores, si Prætores, si Quæstores, &c. at gessisse illos honores affirmant nobiles historici, Parad. l. 1. c. 11. & si homines tacêrent, affirmarent hanc veritatem æra & marmora.

Extant hodieque Lugduni in domo ciuica tabulæ duæ æreæ, quarum altera ostendit ab ipsis Romæ initiis externos homines ad Consulatum, cæteraque dignitates admissos fuisse: altera de Gallis id ipsum asserit: ex ea tabula sic argumentari licet, Ædui, Narbonenses, Viennenses intra Romam gessêre honores, igitur & Lugdunenses: si id negas audi Imperatorem ex ære loquentem; quando inquit, ex Lugduno Senatores habere non pœnitet: erat aliquibus Gallis concessum hoc priuilegium,

quod Claudius omnibus Gallis, & Lugdunenſibus maximè conceſſum volebat; ſcilicet amabat Lugdunum, præ cæteris vrbibus; Parens eius Druſus vicerat Germaniam adiuuante Lugduno, ipſe Lugduni natus appellare ſe poterat Lugdunenſem, & Lugdunenſes appellare poterant Claudium popularem ſuum. Neque dicas in ea tabula ſolos nominari Senatores; publicum eſt hoc nomen & quod cæteras dignitates complectitur, eligebantur ex Senatoribus cæteri Magiſtratus, omnes Conſules Senatores erant; non tamen omnes Senatores Conſules.

Vidiſti Lugdunum intra Romam, vide Romam intra Lugdunum. Fuit hæc altera induſtria Romanæ Reipublicæ communicare deuictis populis Romanos honores vt communicarent mores; mittebat aliquando Romanos homines qui in Prouinciis Magiſtratus gererent; aliquando ex populis ipſis aſſumebantur primarij viri ad dignitates; ſæpè vtrique miſcebantur, vt miſceretur Roma & Gallia, ſic tamen vtraque miſceba- vt ſemper imperaret Roma.

Fuit igitur Lugduni ordo ſexaginta Senatorum; erant ij Principes Ciuitatis, & quaſi hominum flores & gemmæ; faciebat illuſtres nobilitas aliena & propria; addebat authoritatem ætas, ornabat illam virtus & ſcientia; erat hic ordo Seminarium cæterarum dignitatum: aſſumebantur ex hoc Collegio Conſules, Præfecti, & Prætores, neque alio ſuffragio opus erat vt eligi poſſent, quibus iam ſuffragium dederat ordo Senatoris.

Fuiſſe hunc ordinem Lugduni probant lapides hoc nomine inſigniti, ex multis quos collegit vir Illuſtriſſimus Claudius Bellieuræus Protopræſes Gratianopolitanus, atque ex eo Paradinus in fine hiſtoriæ paucos profero.

D. M.
M. OPPI Placidi
Har. Prim. de LX.
Cui locum ſepultu.
Ordo Sanctiſſim. Lug. dedit.

Extat hæc inſcriptio intra Clauſtrum S. Iuſti Lugdunenſis.

Altera inſcriptio ſic habet.

D. M.
RuſP. Atrophili
Ruſon. Senator.
Colliberto de ſe
Bene merenti
In ſuo poſuit,
Et ſub aſcia
Dedicauit.

Tertia hodieque visitur in pariete ædis S. Petri Lugdunensis.

Q. Iulio Seuerino
Sequano omnibus
Honoribus inter suos
Functo, Patrono
Splendidissimi Corporis
N. Rhodanicorum, &
Arar. cui ob Innoc.
Morum Ordo Ciuitatis
Sue bis statuas decreuit
Inquisitori Galliarum
Tres Prouinciæ Gall.

Erat Lugduni Rector Prouinciæ, seu Prætor & Iudex, atque hic à Præfecto Prætorij, & Galliarum erat longe diuersus. De vtroque Præfecto nobilem controuersiam proximè sequenti epistola examinabimus. Erant Lugduni Duumviri sicut in aliis Coloniis; quis autem esset hic Magistratus disputant aliqui: id certum videtur fuisse plerisque in locis summum honoris gradum, & Consulari ac Prætorio penè æqualem; ad Duumviros pertinebat reorum comprehensio, modica coërcitio, & custodiarum interrogatio; animaduersio vero vltima ad Præsidem seu Prætorem spectabat: inter inscriptiones Lugdunenses hanc profert Paradinus pag. 421.

Sextus Ligurius Sex. Fil.
Galeria Marinus
Summus Curator C. R.
Prouinc. Lug. Qüralis
Ornamentis suffrag.
Sancti Ordinis Honoratus
II Vir designatus
Ex postul. Populi ob honorem
Perpetui Pontif. dat.
Cuius doni dedicatione
Curionib. X. Ordini Equestri
IIIII viris Aug. negotiatoribus
Vinariis XIII. & omnib. corporib.
Lug. licitè coeuntibus XII.
Item ludos Circenses dedit L. D D D.

Erant Lugduni Decuriones militares, Præfecti cohortium, Tribuni legionum, &c. atque ij partim Romani, partim Lugdunenses erant; vtri fortiores essent non est facile dicere: vincebant forsitan Romani industria, at Galli audacia.

Erant præterea Lugduni Quæstores, atque ex iis aliqui militares

erant, qui cum Consulibus, & Prætoribus mittebantur ad bellum, vt rem pecuniariam administrarent, & prædam ac manubias in rationes publicas referrent: alij erant Quæstores vrbani qui pecunias acceptas, & expensas ad numerum & calculum votabant; hos Budæus esse nunc putat Præfectos rationum: alij denique erant Tribuni Ærarij qui pecunias ex ærario promebant, iis omnibus dari poterat illud Theodorici Regis sapiens monitum apud Cassiodorum: videte quæ manu tractare debeatis sanguinem publicum; seruate decolores manus inter aurum, nec vos pretiosa materies inficiat, nec forma rutilans fallat.

Erant Lugduni plures aliæ dignitates, atque inter eas Augures, & Haruspices, sacræ dignitates vt putabant, at superstitiosæ verius, & planè ridiculæ; inuenêre Romani eos Magistratus Gallicos, & fecêre Romanos: Gallorum portio ait Iustinus lib. 24. ducibus auibus, nam Galli præter cæteras augurandi studio valent, per Illyricos sinus penetrauit, & in Pannonia consedit; & ne abeamus à Lugdunensibus, Momorus, & Atepomarus Coruorum augurio Lugdunum condidêre, atque ab eo appellauêre Lugdunum Authore Plutarcho libello de fluuiis & montibus: auctum à Romanis eum numerum probat inscriptio quæ legitur in vestibulo S. Ioannis Lugd.

Iulius Primitius Decurio trecent. Augg. Lugdun.

Igitur erant Lugduni Augures, & ne vnus tantùm falleret, trecenti erant.

Claudo Epistolam & rideo Augurum, & Haruspicum responsa, non metuo: Egregios vero Magistratus sed auium & pecudum non hominum: Quæso, Aristæ, quid in hac scientiâ non leue, & quod pecudem sapiat magis quam hominem? scilicet homines eruditi diuinant res futuras & ignorant præteritas; enuntiant aliorum fata, & nesciunt sua; faciunt alios fortunatos & se miseros: O homines malè sanos! quid libertati humanæ cum volatu, & garitu, & pastu auium? vnde auis id nouit quod nunquam didicit? aut quomodo id enuntiat quod ignorat? canit auis sibi non aliis; volant in hanc partem dictante instinctu priuato non diuino; tripudiat post escam vt significet voluptatem suam non publicã.

Nec diuiniores sunt haruspices quam Augures, nec doctiora exta boum quam rostra volucrum: O socordiam hominum! scrutari sortem humanam intra ouem, & rimari fata intra pecudem, quid relinquitis humanæ sapientiæ, si aues sunt hominum Magistræ, & pecudes doctiores quam homines.

Addo alteram querelam, seram illam quidem sed veram, heu veteres Galli, & Lugdunenses miseros, dum se credebant fortunatos ornabantur honoribus Romanis vt splendide seruirent; eligebantur in Consules, vt conferent Romæ non patriæ; creabantur Prætores vt ius dicerent Gallis pro Romanis; erant Quæstores vt facerent pauperem Galliam, & diuitem Romam; fiebant Tribuni militares vt armarent Galliam in seip-

sam, sic emebatur libertas Gallica honoribus Romanis, sic erant Lugdunenses domini apud suos, & serui apud Romanos erat; hæc ambitio Romana non libertas Gallica.

DISSERTATIO XVI.

AN PRAEFECTVS GALLIARVM SEDERET LVGDVNI.

ALEXIS. Nobilis controuersia, & te digna, Aristæ, vbinam esset sedes Præfecti Galliarum: an Treuiris, an Arelate, an Lugduni: de ea sede adeò acriter disputant tres vrbes, vt Præfectus penè omni sede careat, dum tres sedes occupare non potest: Amabo, Aristæ, profer singularum vrbium rationes, forte erunt omnes victrices, dum nulla vinci volet.

ARISTE. Sedisse Treuiris multa persuadent, ac primùm Authoritas illustrium virorum; Scipio Duplex in obseruationibus rerum Gallicarum l. 1. c. 8. & l. 8. c. 1. Gutther. de officiis domus Augustæ cap. 16. Iulius Bulengerus l. 3. de Imper. c. 4. id affirmant, & ne nudam authoritatem putes, adduco rationes.

Perinde est esse sedem Præfecti Prætorio, & esse Metropolim; vbi enim sedere oportuit supremum Magistratum nisi in suprema vrbe? at Theodoretus l. 1. hist. c. 15. vocat Paulinum Treuirensem, Metropolis Galliarum Episcopum; fauet maiestas vrbis. Saluianus l. 3. & 6. de prouidentia, vocat vrbem summam Gallorum, opulentissimam, & excellentissimam; Ausonius inter augustas ciuitates enumerat; & vocatur Augusta Treuirorum; Bereng. appellat Romam secundam; Amnianus l. 15. vocat domicilium principum clarum.

Ex iis elogiis sic arguere licet; ibi erat domicilium Præfecti Galliarum, vbi erat palatium Principis, at illud erat Treuiris? ibi Maximum Tyrannum Sanctus Martinus inuênit, vt habetur in eius vitâ, ibidem Sanctus Ambrosius Legatus eundem adiuit; ibi Maximus stabilire regnum poterat, nisi imperium ambiuisset.

Affero aliquid fortius, ibi erat sedes Præfecti Prætorio vbi Prætorium erat, at fuisse Treuiris audi ex Seuero l. 2. sacræ hist. n. 76. Maximus Præfecto Euodio? viro acri & seuero iudicium Priscilliani permisit, qui Priscillianum gemino iudicio auditum conuictumque redegit in custodiam, donec ad Principem referret; gestis ad palatium delatis censuit Imperator Priscillianum, socioſque eius capitis damnari oportere: hæc in palatio gestà sunt ex Seuero, igitur ibi Imperator, ibi Prætorium, ibi Præfectus Prætorio Euodius erat.

Times vt suspicor hæc argumenta, Alexi, at ego validiora affero pro Arelate: Ibi sedit Galliarum Præfectus vbi eum Constantinus sedêre voluit; scilicet ille inuênit Præfectos Prætorio adeò potentes, vt ipsi Imperatores eos metuerent, & vix ipsi Imperatores timerent: vt imminueret eam potestatem Constantinus eam quatuor Præfectis diuisit, primus fuit Præfectus Orientis, alter Præfectus Illyrici, tertius Italiæ Præfectus, quartus Galliarum Præfectus, cui Celtas transalpinos, Hispanos, & Britannos commisit.

Vt honoraret eundem Magistratum, eum ibi sedere voluit, vbi sedes Imperatoris fuit: neque alibi sedêre debuit qui ex officio tueri debebat Imperatorẽ Præsentem & repræsentare absentem, at Constantinus quamdiu in Galliis fuit penè semper Arelate substitit: Amauit scilicet eam vrbem, reparauit, ornauit, & nomine suo Constantinam appellari voluit.

Commoratum ea in vrbe probat Theophilus Raynaudus libello quem inscripsit Ambrosius ex Concilio Arelatensi primo, ad quod Constantinus ex locis propè innumeris Episcopos conuocauit, vt constat ex eius literis ad Chrestum Syracusanum quæ habentur lib. 10. hist. Eusebij c. 5. & cui Concilio amoto satellitio ipse Imperator interesse voluit quasi priuatus non publicus.

Confirmant eandem Imperatoris moram leges ea in vrbe latæ, eiusmodi sunt lex supplicare 2. C. vt lite pendente, data Idibus actor Sabino, & Rufino Cos. & lex, illo, 13. C. de appell. Quid quod natus est Constantino Arelate filius Constantinus, vt ait Zozimus l. 2. & Aurelius Victor in Constantino. Fauet huic opinioni excellentia vrbis, de qua Prudentius hym. 4.

Teque præpotens Arelas habebit
Sancte Genesi.

Præpotentem vocat, idest magnificam, locupletem amplam. Ausonius de claris vrbibus.

Pande duplex Arelate tuos blanda hospita portus,
Gallula Roma Arelas, quam Narbo martius, & quam
Accolit Alpinis opulenta Vienna Colonis,
Præcipitis Rhodani sic interciſa fluentis,
Vt mediam facias nauali ponte plateam,
Per quem Romani commercia suscipis orbis,
Nec cohibes, populosque alios, & mœnia ditas
Gallia queis fruitur, gremioque Aquitania lato.

Geminam appellat à ponte qui vnam vrbem in duas diuidit; propterea Eucherius hom. de S. Genesio Arelatensi Ciuitatem, & Ciuitatem vocat. Sed & Metropolis erat Arelas non minùs ac Treuiri: ne dubites, Honor. & Theod. in constitutione id declarant; maximè, inquiunt opportunũ iudicamus, vt seruata posthac annis singulis cõsuetudine, constituto tempore in Metropolitana idest in Arelatensi Ciuitate, incipiant septẽ Prouinciæ habere Concilium: & paulo post, ac planè, inquiunt, præter necessitates

publicas etiam humanæ conuersationi non parum credimus commoditatis accedere ; quod in Constantina vrbe iubemus singulis annis esse concilium ; tanta enim loci opportunitas, tanta illic frequentia, commerciorum, vt quidquid vsquam nascitur, illic commodius distrahatur, neque enim vlla Prouincia ita peculiari fructus sui felicitate lætatur, vt non propria Arelatensis soli credatur esse fœcunditas : quidquid enim diues Oriens, quidquid odoratus Arabs, quidquid delicatus Assyrius, quod Africa fertilis, quod speciosa Hispania, quod fortis Gallia potest habêre præclarum, ita illic affatim exuberat, quasi ibi nascantur omnia quæ vbique constat esse magnifica : Iam vero decursus Rhodani, & Thyrreni maris recursus necesse est vt vicinum faciat, & penè conterminum, vel quod ille præterfluit, vel quod iste circuit. Cum ergo huic seruiat Ciuitati quidquid habet terra præcipuum, ad hanc remo, velo, vehiculo, terra, mari, flumine deferatur, quidquid singulis nascitur ; quomodo non multum sibi Gallia nostra præstitum credat, cum in ea Ciuitate præcipiamus esse Conuentum : in qua diuino quodam munere commoditatum & commerciorum opportunitas tanta præstatur : hæc Imperatores in laudem Arelatis, quibus nihil dici potest augustius.

Denique sedisse Arelate Præfectum Galliarum probant vndeuiginti Episcopi Galliarum libello S. Leoni oblato in causa dissidij inter Arelatensem ac Viennensem Ecclesiam, habetur libellus apud Baronium an. 450. n. 52. ex tom. 1. Concil. Gall. per Sirmundum p. 89. Patres sic loquuntur. Cæterum multa sunt quibus secundum instituta Principum cunctis intra regiones nostras Ciuitatibus Arelas præferatur : hæc in tantum à glorioſissimæ memoriæ Constantino peculiariter honorata est, vt ab eius vocabulo præter proprium nomen quo Arelas vocabatur Constantinæ nomen acceperit ; hanc clementissimæ recordationis Valentinianus, & Honorius feliciſſimi Principes specialibus priuilegiis, & vt verbo ipsorum vtamur matrem omnium Galliarum appellando decorarunt ; in hac vrbe quicunque intra Gallias tempore prædictorum ostentare voluit insignia dignitatis, Consulatum accepit & dedit, hanc sublimissima Præfectura, hanc reliquæ potestates velut communem patriam semper inhabitant, &c.

Palles vt arbitror ad hæc argumenta, Alexi, & de Præfectura Lugdunensi penè actum putas, at ego ex pugnâ duarum vrbium arma sumo, & ablatam vtrique parti victoriam Lugduno attribuo. Et quidem habere sedem fixam Treuiris & Arelate, & morari duobus in locis longe à se semotis idem Præfectus non potuit ; & tamen sedisse Treuiris, & Arelate geminæ opiniones affirmant, aut vtraque falsa est, aut explicari sic debet, vt mobilem sedem Arelate, & Treuiris habuerit, at fixam Lugduni ; scilicet Lugduno quasi à centro digressus lustrabat extrema Galliæ, & ad centrum redibat.

Addo aliud, si tamen est aliud, sequebatur Præfectus Imperatorem quasi Phosphorus solem, fuit Treuiris cum Maximo, fuit Arelate cum Constantino; at vtrobique hospitium duntaxat habuit, Lugduni vero Prætorium, & domicilium.

Ne diuinare me putes ex aduersariis ipsis rem probo, fatetur Theophilus Rayn. nullibi commodius sedem Præfecto poni potuisse quam Lugduni, quod in meditullio situm est earum regionum quæ Præfecti iurisdictioni subditæ erant, Galliæ Hispaniæ, & vtriusque Britanniæ; Igitur ibi Præfectus sedit, quo commodius adiri ab omnibus potuit; non amant lineæ extrema sed centrum, à quo nascuntur, & ad quod redeunt.

Nec satis solide respondet Theophilus commodius quidem sedem Præfecti poni potuisse Lugduni, non tamen esse positam, scilicet non omnia ex lance Iustitiæ fiunt, & multa ex arbitrio pendent, Præfectum sedere Treuiris voluit Maximus, Arelate Constantinus vterque id optimum credidit, quod vtrique placuit.

At ego & ponendam sedem Lugduni & positam sic euinco: Ambrosius succus cœlestis expressus est Lugduni Patre Galliarum Præfecto, Sidonius Lugduni natus est Patre Apollinare Præfecto Prætorij; igitur vterque Præfectus Lugduni sedem habuit. Persuadet hæc ratio nisi fallor vtrumque Parentem sedisse Lugduni, non tamen Ambrosium Lugdunensem esse, nec Sidonium; ille Romanus fuit, hic Aruernus, & dum ille Romam, hic Aruerniam repetiit, vterque in Patriam venit.

Valida est hæc ratio facti, addo validiorem rationem iuris. Sanctus Maiolus in vita S. Odonis, ait, ex antiquo more, & Ecclesiastico iure Lugdunum arcem totius Galliæ obtinere; ex eo sic arguere licet, Ecclesia à primis vsque temporibus iurisdictionem suam accommodauit iurisdictioni politicæ, vt docent voces Metropolis, & Diœcesis; at primarius & supremus Magistratus Ecclesiasticus Lugduni sedit, igitur & politicus; supremus autem politicus fuit Prætorij & Galliarum Præfectus.

Alludit ad hunc primatum politicum Sidonius Epist. 7. lib. ad Thaumasium, nec quidquam, inquit, Deo propitiante nocebit, si modo quandiu potestas præsens Lugdunensem Prouinciam regit, nostrum suumque Germanicum præsens Agrippina moderetur: Quæso Aristæ, quænam hæc est præsens potestas nisi Præfectura Galliarum? igitur ea Lugduni stetit.

Ne parui æstimes hoc testimonium Sidonij, audi ex ipso Sidonio qualis vir fuerit lib. 5. Epist. 16. Concordia fruor, quam parem nostris, suisque liberis exopto votis in commune deposcens, vt sicut nos vtramque familiam nostram Præfectoriam nacti, etiam Patritiam diuino fauore reddidimus, ita ipsi quam suscipiunt Patritiam faciant Consularem.

Instar est plurium Autherum vir maximus, ne tamen ita sensisse solum

lum Sidonium putes, sedisse Lugduni Præfectum Galliarum affirmat Lazius l. 2. de rep. Rom. Robertus de Lugd. Archiep. & plures alij.

Ob hæc argumenta Theophilus fatetur, si agatur de iure, & si spectetur nuda ratio, Præfectum Galliarum Lugduni sedisse; atque eam sedem libens assignat Præfecti Vicario. At si hæc sedes est commodissima, cur commodius sedebat Vicarius quam Præfectus? Cur Vicarius in medio Galliarum instar Iouis? Cur Præfectus in limite instar termini? Cur non potius Præfectus in centro vnde imperare posset, Vicarius in finibus Imperij, vnde excurrere posset, & redire?

Vides, Aristæ, victoriam nobilis controuersiæ à Lugduno stare; ne tamen aliis vrbibus inuidêre videar; rem totam sic definio, habuêre Præfecti Galliarum nobilem sedem Arelate, & Treuiris, habuêre fixam Lugduni.

DISSERTATIO XVII.

DE REBVS FORTITER GESTIS AB ANTIQVIS LVGDVNENSIBVS ANTE PLANCVM.

ARDVAM rem vis scire, Alexi, & probatu difficilem, quid fecerint fortiter Lugdunenses ante Plancum: quomodo ante Plancum fuêre fortes, si necdum fuêre homines: quis pugnauit ante vitam? quis fortis fuit adhuc cinis? quis generosus adhuc nullus?

At ego superioribus dissertationibus probaui aut verum esse, aut vero simile fuisse Lugdos & Dryos ante Romanos, & Lugdunum reparatum esse à Planco, non conditum.

Placet ex fortibus veterum Gallorum factis aliqua summatim attingere, si ptius monuero, nihil ab antiquis Gallis extra Galliam gestum, cuius pars magna Lugdunenses non fuerint: scilicet publicum ostium ad exteras nationes Lugdunum erat, & penè armamentarium; nec tantum cæteris Gallis aperiebat iter, sed addebat vires, & supplebat acies; & semper Lugdunenses, aut comites fuêre viæ, aut ductores.

Possem excurrere vltra Romam & Troiam, cum Scipione Duplex nobili historico, & numerare viginti Reges & plures qui Romanos præcessêre: Samothem seu Ditem, Magum, Sarronem, Dryum, Bardum, Longhonem, Lucum, Celtam, Galathem, Narbonem, Lugdum, Belgium, Iasium, Allobrogem, Romum, Paridem, Lemanum, Obbium, Galathem, Mamnem, Rhemum Francum, vidit has Reges Lugdunum, & forte Lugdus nomen traxit à Lugduno, non dedit.

Placet dicere aliquid certius, post Iustinum, Strabonem, & Liuium; Ambigatus Rex Gallorum cum videret Gallias abundare multitudine hominum, id prauuir faciendum Prouinciis suis, quod Apes faciunt Aluearijs, emisit extra Galliam Bellouesum, & Sigouesum Nepotes suos, & diuisit illis externa Regna, quasi iam sua: exiuere cum vtroque trecenta hominum millia, id est flos iuuentutis Gallicæ; nec sensit Gallia eam plagam quæ alterum Regnum exhausisset; nec dubium est quin cum alterutro Duce pars Lugdunensis iuuentutis exierit, & pugnarum ac victoriarum particeps Galliam extra Galliam, & Lugdunum extra Lugdunum fundauerit.

Ex iis copiis, ait Iustinus pars superata Italiâ Romam obsedit, & cepit: & nisi Brennus noua quærere, quam patta seruare maluisset, triumphare poterat in Capitolio, & Rex esse Romæ: diuiserunt tamen Galli Italiam, & trans Alpes nouam Galliam, & Mediolanum, alterum Italiæ Lugdunum condidêrunt.

Pars altera Gallorum Macedonia, Thracia, & Græcia victoriis peragrata, in Bithinia denique consedit, & Regnum cum Bithino Rege pactita, Gallogræciæ nomen imposuit regioni: Pannoniam quoque, Illyricum, Dardaniam, & totam ferè Germaniam à Gallis debellatam, Galatæi montes, & Gallembergici testantur, & multæ vrbes hodieque Gallico nomine, & lingua nostrate fatentur Germanicas se fuisse & Gallicas. Tantaque ait Iustinus Gallici nominis authoritas, & armorum felicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam tueri Reges Europæ & Asiæ, nec amissam recuperare se posse sine Gallica virtute iudicarent.

Nec semel tantum Italiam Galli, cæteraque orbis regiones vicerunt, sed sæpè ad aduentum Gallorum trepidauit Roma, & Europa: vix toto decennio Iulius Cæsar Galliam per Gallos debellauit; singulis ferè annis victa est à Gallis Italia, & Roma sæpe capta.

Male autem Iustinus asperam gentem & ferocem Gallos appellat; nec benè primos virtute post Herculem, præponere debuit Herculi & Achilli, & Titus-Liuius comparare potuit cum Romanis, facere secundos non debuit.

At hæc Gallis, & Lugdunensibus communia fuêre quæ sequuntur sunt singularia: Atepomarus superatis Alpibus, & turbata Italia Romam obsedit; magni exercitus pars maior Lugdunensis erat; & capere Romam potuit, nisi eam liberasset fœmina, & ancilla; cessetunt fœminis Galli, qui non cessissent viris, cessetunt tamen victores non victi.

Nec Alpes effregisset Annibal sine Gallo milite & ductore, pugnarunt Lugdunenses cum Annibale & vicerunt; actum erat de Imperio Romano si Annibal capere Romam maluisset quam Capuam, & si Gallis credidisset non Afris.

Excepit aduentantem Iulium Cæsarem Lugdunum quem repellere potuit, vicit Cæsar Gallias armis Gallicis non Romanis; victus erat si Lugdunum aditum obstruxisset venienti, aut recusasset reduci: Ingratus victor, & scriptor Lugduni non meminit, per quod vicit.

Audio quid tacitus dicas, Alexi, placere tibi hæc Lugdunensium facinora si essent vera; at verêri te ne fingam Lugdunum ante Lugdunum, & ne vt antiquos faciam Lugdunenses, facere velim Aborigines; scilicet ante Plancum Arar erat & Rhodanus, intra vtrumque insula, at fortè intra insulam nihil erat.

Non ita res habet, Aristè, iam supra dixi aut verum, aut vero simile videri, antiquiorem esse Lugdum quam Romulum, & Lugdunum quam Ilium. Neque hæc Græcorum fabula est, sed Lugdunensium historia, atque vtinam non periissent Bardorum, & Druydum Poëmata quibus heroum suorum facinora ad Lyram canebant, superaret Gallica veritas mendacia Græcorum, & minor esset Alcides Græcus quam Hercules Gallicus. Cur inuides, Aristè, Lugdunensibus tuis genus antiquum, res est illustris antiquitas, descendunt cum illa virtutes ad posteros, per auos & proauos, pretiosior est hæreditas antiqua quam noua, & nobilior fluuius cuius origo nescitur, quam qui apud nos nascitur.

DISSERTATIO XVIII.

VETERVM GALLORVM, ET LVGDVNENSIVM LINGVA.

ARISTVS. Quæris Alexi, quâ primùm lingua cœperit loqui Lugdunum, cum esse cœpit: scilicet intereſſe putas vt sciamus quid primùm sciuerimus, quæ verba cum lacte, quæ sub ferulâ didicimus, an maiores nostri priùs lallare didicerint Græca linguâ quam Gallica.

Responderi certa non possunt in re controuersâ; dicam quid probabiliter sentiam; anteceſſit Lugdunum Romam & Massiliam, sed vocale & eloquens, non mutum, aut bardum. Hæc igitur lingua quâ primùm facundi fuimus non est Græca, quam nesciebant Galli etiam primarij temporibus Iulij Cæsaris: testatur ille lib. 5. cap. 22. scripsisse se græcè ad Quintum Ciceronem Fratrem Marci Tullij, ne si literæ interciperentur à Gallis, inclusa literis consilia innotescerent; at æquè intercepissent Galli consilia interceptis literis græcis, si lingua græca Gallis fuisset natiua: neque pugnantia dicit dum alibi ait Gallos græcis literis vti soli-

tos; scilicet vtebantur caracteribus græcis non verbis, sic hodieque scribimus caracteribus latinis verba Gallica, & multi ignorant latina.

Imo habuisse Gallos caracteres suos ante Græcos asserit ex Berosо Annius Viterbius, Cadmus inquit eius nominis quintus paulò ante ruinam Troiæ rediens ex Phœnicia, retulit in Græciam sexdecim literas non Phœnicias sed caracteribus Gallorum quos vocat Galatas persimiles: Attende hæc verba Aristę, attulit in Græciam ante ruinas Troiæ, igitur non acceperunt Galli è Græcia caracteres suos quos Græcis donarunt.

Iis literis scribebant fortia heroum suorum facinora versibus heroïcis, eosque vetsus canebant ad Lyram; atque vtinam supereſſent hodie ij versuum libri, miraretur orbis Galliam habuisse heroas veros, & Græciam fabulosos.

Neque simile vero est Gallos initio locutos Germanicè, sciuisset linguam Gallicam Ariouistus Princeps Germanus apud Iulium Cæsarem l. 3. belli Gallici, neque illam longa consuetudine didicisset, si illam hausisset cum lacte nutricis; nemo id longo vsu acquirit quod cum lacte bibit, ridiculè autem Rhenanus antiquos Gallos ad tempora vsque Iulij Cæsaris contendit locutos esse Britonicè: aduenæ sunt Galliarum Britones, non indigenæ, inuenêre Galliam eloquentem non fecêre, & facti Gallorum subdiri linguam quoque suam Gallicæ linguæ subdidêre.

Incipis vt puto persuaderi, Aristę, vrgeo te, & rem euinco, legere est apud Iulium Cæsarem, Strabonem, Suetonium, Tacitum, Ausonium, Sidonium scriptores latinos verba Gallica quibus nunc etiam vtimur, eiusmodi sunt è multis ista, Soldurus, Leuca, Carra, Bracca, Caracalla, Alause, Teuche, Saumon: si rationem quæris hæc in promptu est; nullis temporum & rerum vicissitudinibus ita mutantur linguæ, vt auellantur radices, & corrumpantur origines.

Denique nonnisi longis post annis inductus est in Gallias vsus linguæ græcæ, videlicet conditâ à Phocensibus Massiliâ; neque ita multo post dicti sunt Massilienses trilingues à lingua Celtica, Græca & Latina: At diu ante Galli & Lugdunenses eloquentes erant propriâ lingua: placuit autem tantoperè Massilienſibus nouitas linguæ, vt teste Strabone lib. 4. Augusti temporibus Massiliæ contractus græcè scriberentur: quodque admirationis plus habet, docebatur eloquentia & Philosophia græcè & latinè tanta cum laude, vt Romani neglectis Athenis ad capessendas disciplinas Massiliam confluerent: scilicet addiscebant eas linguas Samothei, Druydes, Bardi, & eas docebant, nemo censebatur eruditus qui græcè, & latinè nesciret, atque vt nunc pars eruditionis est linguas scire, ita iis temporibus tota penè eruditio erat trilingues esse.

Adiecti Lugdunum Phoceenses, & loci opportunitatem admirati ob-

tulerunt Societatem græcam, & petierunt Gallicam; excepit Lugdunum hoſpites & fecit ciues; ac vide humanitatem gentis noſtræ, communes fecit dignitates & honores, miſcuit vocibus gallicis voces græcas, appellauit Academiam ſuam Athenæum; inde illa celebritas ſcholarum Lugdunenſium, in quibus certabant indigenæ, & aduenæ; nec ſemel ipſi etiam Imperatores, & dum Gallia Romam, & Roma Galliam didicit, Lugdunenſis Pallas orbis Magiſtra fuit.

DISSERTATIO XIX.

NOMINA LVGDVNI.

PRETIOSA res nomen cuiuſque rei, caracter eſt naturarum vt eas deſignet, imago vt repræſentet, radius vt illuminet, color vt ſpectabiles reddat, ſonus vt vocales efficiat, quot nomina res aliqua habet, tot habet decora, enumero illa, vt patriæ tuæ ſplendorem intelligas.

Primum Lugduni nomen à Rhodano venit, Sidonius l. 1. Epiſt. 5. appellat Rhodaniſiam, S. Irenæus Rhodanuſiam, & Lugdunenſes matronas vocat Rhodanenſes & à pietate commendat.

Nec fortè diuerſum eſt nomen Rhoda, Rhodia, Rhodana, niſi trahatur à Rhodiis, qui cum Phocæis Maſſiliam primùm, deinde Lugdunum appulerunt, hoſpites primum, deinde ciues, & incolæ.

Tertio nomine appellat Sigiſmundus Rex Burgundiæ in diplomate Regio, Ararum, alij Arariam dicunt, Petrus Venerabilis à duobus fluuiis vocat Aquoſam; at fortè non hoc tam nomen eſt quam Epithetum nominis.

Nec male confluens ab aliquibus dicitur à confluxu duorum fluminum, inde illud diſtichum.

Lentus Arar, Rhodanuſque celer miſcentur in vnum;
Nobilis vrbs fluuios nominat vna duos.

Quintum Lugduni nomen fuit, Athenacum, Athenæum, Athenopolis, ab Athenienſibus aduenis, vel à Minerua ipſa, cui adeo Lugdunum placuit vt ex Græcia migraſſe Lugdunum, & ſecum Athenas deportaſſe videatur aut Athenarum diſciplinas.

Sexto nomine appellare videtur Titus-Liuius, deſcribens iter Annibalis, quartis Caſtris inquit ad inſulam peruênit, vbi Arar, & Rhodanus amnes diuerſis ex Alpibus decurrentes agri aliquantum complexi confluunt in vnum, mediis campis inſulæ nomen inditum. Putat Paradinus non medios tantum campos, ſed vrbem in confienti ſitam inſulæ nomen habuiſſe.

Septimum nomen Plancus Munatius fundator vrbis, aut reparator imposuit, inde illud carmen antiquum.

Conditur à magno Plancia magna viro.

Octauum nomen est Leopolis non à Leone qui legionis Romanæ Lugduni statiua habentis vexillum erat, sed à Leone nobilis vrbis regio caractere: inde ille nummus argenteus ex parte vna M. Antonij Triumviri nomen, ex altera Leonis effigiem præferens, hodieque Lugdunum Gallicâ lingua leonem sonat.

Nona appellatio Lougodunum, idest coruorum collis: Plutarchus libello de fluuiis & montibus, si tamen is Plutarchus est, ait Momorum, & Atepomarum oraculo monitos vt ad confluentem Araris & Rhodani vrbem extruerent, à coruis circumuolitantibus appellasse Lougodunum, idest montem coruorum, quos Celtæ lougos vocant, & montem Dunum, in itinerario Antonini vrbs quædam lougo vallis, idest coruorum vallis appellatur.

Decimum nomen Lugdunum commune est, nec tamen communis origo, putant aliqui, deductum nomen partim à monte seu Duno voce Gallica multis aliis Galliarum vrbibus vsitata, Augustodunum, Nouiodunum, Mellodunum; partim à Lugdo, Lugdum autem Iaperi, & Gomerisnepotem fuisse historiam putant non fabulam.

At alij deducere hoc nomen malunt à Luce & monte vt sit splendidius & eminentius, ita videtur appellare Claudius apud Senecam.

Vidi duobus imminens fluuiis iugum,
Quod Phœbus ortu semper obuerso videt.

An etiam mons lucidus dici potest à repercussis radiis solaribus ab ingenti speculo quod in summo monte positum fuisse, post Champerium, & Morinum Pierchamus affirmat, & Rubysius: & ne fabulam putes Rogerius Baconus Anglus eo libro qui inscribitur speculum Alchimiæ, scribit ingentia specula fuisse in vsu tempore Iulij Cæsaris, eumque Caleti cum esset, & de inuadenda Anglia cogitaret vidisse in grandi speculo Angliæ obiecto hostem se ad certamen comparantem. Refert Guillelmus du Choul Lugdunensis lib. de Relig. ex antiquo manuscripto, Colossum Rhodium prætulisse in pectore speculum in quo spectabantur naues in Ægyptum, & Syriam transeuntes.

Vndecimo Dalecampius lib. 1. scribit Lugdunum significare montem felicem, vetus itinerarium Hierosolymorum, quod debemus Pithœo vocat Lugdunum montem desideratum, Paradinus lib. 1. c. 36. Refert Probum Imperatorem appellasse montem aureum. Idem Paradinus vocat montem album, & putat Lugdunenses esse Albios de quibus Plinius l. 4. c. 18. Illustria omnino sunt hæc nomina, at regionis potius quam vrbis, & quidem longus ille tractus montis continui, Arari primum deinde

Rhodano incumbentis per plura milliaria hodieque mons aureus appellatur.

Difficiliora sunt alia tria nomina, Ciuitas Seguſianorum, Ciuitas Sebuſianorum, Ciuitas Sequanorum: hæc enim si vêra sunt, igitur erat Lugdunum trium populorum Domina, trium Prouinciarum Regina, & triplex & vna Ciuitas: Fauet his appellationibus Cæsar l. 6. c. 5. dum sic loquitur, vrbes primariæ sui iuris erant, nullius addictæ imperio, quæ populi, & totius Gentis nomine vocabantur; atqui Lugdunum trium Prouinciarum vrbs primaria erat.

Et quidem conuenire Lugduno primum nomen, Ciuitas Seguſianorum, docêre videtur Plinius l. 4. c. 18. Seguſiani liberi in quorum agro Colonia Lugdunum erat; neque erat nisi tanquam vrbs primaria, & caput ac domina cæterarum vrbium; fecêre eam dominam Romani dum fecêre Coloniam; & fortè ante Romanos Seguſianorum iam domina erat: assentitur Plinio vir eruditissimus Petrus de Marca digress. de prim. Lugdun. n. 108. Paradinus vero licentia penè Poëtica Lugdunum appellat Seguſiam, idest caput & Ciuitatem Seguſianorum.

Nec difficilius est alterum nomen, Ciuitas Sebuſianorum: Philibertus Monetus in accurata veteris & recentis Galliæ Geographia ostendit Sebuſianos gentem esse à Seguſianis valde diuersam; nimirum Seguſiani intra Ararim, & ligerim sedem habent, eosque diuidit Monetus in Foresienses Lugdunios, & Banieuienses; at Sebuſianos collocat intra Ararim & Rhodanum, eosque diuidit in Brannouices seu Bressanos, Verromæos, & Beugesios. Iterum Bressanos seu Brannouicenses subdiuidit in Burgenses, Cabillonenses, Dombenses, & Lugdunios immunes. At Lugdunum parte sui maiore est intra Ararin & Rhodanum, atque hæc insula quæ Lugdunum continet, ager est Sebuſianorum, igitur Lugduni pars maior Sebuſiana est; nec dubium esse potest quin inter vrbes Sebuſianorum sit primaria, potest igitur dici Ciuitas Sebuſianorum.

Illustre sane Lugduni elogium parte vna sui Seguſianorum Ciuitatem esse, parte altera Sebuſianorum; vix aliam Ciuitatem reperias cuius partes sint totidem vrbes, cuius tot nationes incolæ sint, & tot populi Ciues.

Grauior controuersia est an Lugdunum Ciuitas Sequanorum appellari possit; & quidem Lugduno non parum splendoris accederet, si vrbs iam magna, dici posset maxima Sequanorum.

Putat Paradinus l. 1. c. 5. ex lapidibus ipsis probari rem posse; ex variis inscriptionibus antiquis hanc laudat.

Q. Adginius, Vrbici filius, Martinus Sequanus, Sacerdos Rom. & Augustalis ad aram, & Confluentes Araris, Duumvir in Ciuitate Sequanorum.

Ridet hoc testimonium lapideum Rubysius l. 1. c. 3. & verò potuit Marti-

nus Sequanus esse, neque inde sequitur Lugdunum esse Sequanicum; potuit Adginnius esse Lugduni Sacerdos Romæ & Augusti, & esse Vesontione Duumvir, potuit mori Vesontione & habere illic sepulcrum plenum, & Lugduni Cenotaphium: At Lugdunum esse Ciuitatem Sequanorum nec dixit Adginnius viuus nec probat mortuus: affert hoc idem Epitaphium Monetus, & negat in eo vel vllum apicem esse, qui probet Lugdunum fuisse Sequanicum; confirmari res potest ex Strabone & Plinio, qui Lugdunum in agro Segusianorum, & Sebusianorum collocant, at neuter in agro Sequanico, cuius limites distant tam longè & latè à finibus agri Lugdunensis vt inter vtrosque magna Prouincia interiacear. Denique rem conficit Cæsar dum lib. 1. c. 9. vocat Vesontionem maximam Sequanorum, at ex eodem Cæsare lib. 6. c. 5. vrbes maximæ & primariæ sui iuris erant, & populi ac totius gentis nomine Ciuitates vocabantur.

Hæc quamuis vera sint, conciliari forte possunt opiniones ex Strabone l. 4. p. 177. vbi ait factam diuisionem Galliarum nouam sub Augusto, & partem regionis superiorem ad Rheni ac Rhodani fontes ad medium ferè camporum ditioni Lugdunensium additam esse: At sub Iulio Cæsare alia Galliarum partitio erat, forte igitur dici posset sub Iulio Cæsare Vesontionem Sequanorum Ciuitatem fuisse: At sub Augusto Lugdunum, atque ita non Segusiani tantum sed etiam Sebusiani, imo & Sequani Lugdunensis Ciuitatis populares erant.

Ex iis vides, Aristæ, quale & quantum olim Lugdunum fuerit; Segusianorum, Sebusianorum, & Sequanorum Ciuitas: placet claudere Epistolam hoc Elogio.

Lugdunum fluuiorum & populorum confluuium.

Scilicet confluunt ad illam duo fluuij, & decem populi.

DISSERTATIO XX.

ARAR QVALIS FLVVIVS.

ANNOSIORES sunt vrbibus fluuij, & priores; condidit eos Author orbis, dum orbem condidit; coæui sunt naturæ, neque aliquid est illis antiquius nisi Deus: viderunt nasci vrbes, neque vrbes eos nasci viderunt: primis hominibus ripæ fluminum pro vrbibus erant; crescente hominum multitudine, & necessitate industriam acuente extructæ sunt vrbes ad ripas fluminum, imposita deinde pontes fluuiis, superstructæ ædes, & fluuij pars vrbium, & vrbes

vrbes pars fluuiorum esse cœpêre. Hæc communia sunt pluribus fluuiis, id singulare est Arari, pars Lugduni est Arar, & Lugdunum pars Araris.

De Arari hæc abs re quæro, Aristę, nomina Araris, ortum, progressum & exitum.

ARISTVS. Nomina Aratis quædam sunt antiqua, quædam noua, explico præcipua: Primum Aratis nomen Brigulus fuit, si credimus Authori libelli de fluuiis & montibus, & credere possumus si eius libelli author est Plutarchus vt affirmat Claudius Bacherus Dominus de Mezeriac in notis manuscript. in Plutarchum, & post illum clarissimus Præses Philippus Maussacus in etsi de opetibus Plutarchi, & post vtrumque eruditissimus Perrus de Marca digress. de primaru Lugdunensi n. 96. Arat, inquit Plutarchus vocabatur priùs Brigulus, nomen autem mutauit hanc ob causam, Arar venationis causa in syluam ingressus inuenit ibi fratrem Celtiberum à feris occisum, præ dolore percussit seipsum lerhali vulnere, & læsus in Brigulum se deiecit, qui ex eo Arat dictus est.

Sic Arar Ararias nomine dixit aquas.

Alterum igitur nomen est Arar, siue ab ea cæde deductum, siue potiùs à lento aquarum fluxu, Atar enim Celtica lingua lentum significat; at Arar adeò placide fluit vt dubites vtram in partem fluat, & dormire magis videtur quam ire.

Tertium nomen ζυρις apud Polybium, nec tamen hæc appellatio à sordibus venit vt aliqui putant, quasi Arar sit receptaculum sordium, sed à limo, & vligine quibus campos impinguat, & quasi arat, & forte deductum est nomen Araris ab arandis agris.

Quartum nomen Sangona. Ammi. l. 15. Rhodanus Ararim quem Sangonam vocant ingreditur: vnde autem sanguinis nomen Arar traxerit, non satis inret Authores constat; an à sanguine fratrum Araris & Celtiberi? credunt aliqui, ar hæc fortè fabula est: an à sanguine Romanorum in cruenta illa pugna Albini, & Seueri in qua Authore Sabellico octoginta hominum millia fuêre cæsa? & Dio scribit sanguinem in fluuium defluxisse: at hæc pugna in eo campo comissa est qui hodieque vocatur planities sanguinis fusi, audi Herodianum in Albino, in ædem inquit quondam ad Rhodanum fuso exercitu fugit, vtbem repetens quâ erat egressus: Igitur sanguis ex eo campo in Rhodanum defluxit, non in Aratim; male autem Paradinus l. 1. c. 31. denominari probat hunc campum à centum fontibus: verius enim dici potest campus sine fontibus adeo illic raræ sunt extra Rhodanum aquæ.

Oritur Atat ex Vogeso monte apud Mediomatrices, ex quo etiam monte Mosella nascitur, vterque autem opposito cursu, Arar ad Austrum, Mosella ab austro in boream fluit: de vtroque Tacitus l. 13. n. 53. imperante inquit Nerone, Lucius Vetus Mosellam atque Ararim facta

inter vtrumque fossa connectere parabat, vt nauigabilia inter se Occidentis & Septemtrionis littora redderet: inuidit operi Gracilis Belgicæ Rector, & bonum consilium magno Galliarum & orbis detrimento corrupit.

Progreditur Arar à Vogeso monte ad portum Araris apud Sequanos, ab illo Graiacum, Graiaco Axonam, inde Laudonam, & Surregium, Surregio Cabillonum, Tinurtium, Matisconem, denique Lugdunum graui incessu inter duas nobiles arces ingredirur, & mediam vrbem interfecans sub eâ extremâ in Rhodanum infusus pulchro connubio illi se miscet, & numerosis amnibus inter eundum grauidus sub Rhodani mariti nomine mari se immergit, ibi morirurus cum aliis fluuiis vnde omnibus est ortus, & vbi omnibus obitus.

Quo perituri amnes properatis præpete cursu?
At puto sic properant, vt cito sic pereant.

DISSERTATIO XXI.

DE RHODANO.

QVÆRIS, Alexi, nomina Rhodani, ortum, progressum & exitum, & sciri debet illustris fluuius, de quo hæc habet Aulus Gellius l. 16. c. 7. Rhodanus, Nilus, Ister tria flumina omnium maxima: illustre elogium Rhodani nisi tamen est nimium.

Nomen Rhodani parum Grammaticè Munsterus in Cosmographia deducit à rodendo, quamuis enim sit edax & rapax, atque vt ait Silius Italicus l. 3. pun. *Spumanti Rhodanus proscindens gurgite campos.*

Non tamen propterea Rhodani nomen à rodendo venit, nec enim corriperet primam syllabam, nec illam aspirarer, nisi fortè qui agros proscindit, vnam etiam è suo nomine corroserit literam.

Probabilius S. Hieronymus in Epist. ad Galatas putat Rhodanum à Rhoda, & Rhodiis nomen accepisse: & sumpsisse videtur ex Plinio lib. 3. cap. 4. Rhodanus fluuius Galliæ rapidissimus à Rhoda Rhodiorum oppido nomen habet: Ar ante Lugdunum, & Rhodam, & Rhodios Rhodanus fuit, & inuenêre illum Rhodij non induxêre: nec tam illustris fluuius sine nomine fuit: potest tamen hoc esse nomen Rhodani alterum, at non est primum.

Imo cur quæritur primum & alterum, Rhodanus à voce Græca ῥώδη nomen traxit, neque aliunde melius quam à fluxu, & rapida velocitate appellari potuit Rhodanus, seu rapidissimus fluuius: ab hac celeritate Hieronymus S. Hilarium eloquentiæ Rhodanum vocat, & Fortunatus lib. 1. de vita S. Martini, de eodem S. Hilario ait.

Rhodano torrentior ipso.

Et S. Ambrosius agens de celeri obitu Gratiani, & Valentiniani Imperatorum, rapidiora inquit Lugduni fuêre vtriusque pericula quam Rhodani fluenta.

Nascitur Rhodanus vt putat Polybius in finibus Venetorum, vt aliqui affirmant in Alpibus quæ Galliam ab Italia diuidunt non longè à fontibus Danubij, & Rheni: At Philibertus Monetus author accuratus in Geographia Galliæ pag. 356. probat oriri in Alpibus Penninis in supremo montis Sempronij iugo, apud Manram vicum Sedunorum: fons eius natalis exiguus est initio nec saltu latior, viuax tamen, & rapidus qui cum impetu lapsus in subiectas rupes, & pluribus riuis ac torrentibus auctus creseit in fluuium, & murmuranti similis, qualis in progressu futurus sit ostendit ab ipso iam ortu.

Egressus è faucibus Alpium, & deuolutus in campestria Veragrorum seu Valesiorum totam eam conuallem irrigat, & sub eam extremam lacum Lemanum ingreditur; ac vide qua maiestate, nec colorem mutat, nec cursum, nec augetur aquis alienis, nec eas secum rapit; nec aliud ab hospite suo nisi transitum petit: sed & lacus reueritus tantum hospitem, partitur aquas suas, viam mediam facit, & quem amicum exceperat amicum dimittit.

Egressus è Lemano lacu Sebusianos & Allobroges definit & alluit; tertia ferè Leuca à Geneua alluebat vicum Tauredunum, quem resistentem itineri passus aliquandiu, tandem impatiens corrosit & diruit: vlturus iniuriam Tauredunus transuersum alueum hodieque occupat, & restagnantis ac frustra irascentis fluuij viam dum impedire non potest, difficilem facit. Sexta ferè ab Geneua Leuca Sessellium oppidum interfluit, inde Antonem portum sexta à Lugduno leucâ; denique Lugdunum aduenit, atque ad Athenæum Ararim excipiens pulchro connubio se illi iungit.

Lentus Arar Rhodanusque celer connubia nectunt,
Ille vir, & penè est fœmina mollis Arar.

Digressus Lugduno Rhodanus Viennam olim Lugduni æmulam, nunc amicam præterfluit, inde Condrium, Turnonum, Voltunnam, Augustam Heluiorum, Burgum Andeolium, Sanspiritum, Auenionem, Tarasconem, & Arelatem delabitur; illic fossa ingenti à Matio ducta nouo alueo, quem Ptolomæus nouum fluuium vocat, in duos velut Rhodanos diuisus, agrum intermedium septem ferè leucis longum, & inæquali interuallo latum triquetra figura intercludit; denique tribus ostiis vnus & penè triplex fluuius Regi similis in mare influit, & maiestate aliquamdiu retenta regnum tandem & nomen amittit.

Atque hæc de Arari & Rhodano, Claudo Epistolam illustri quæstione, vter fluuius Lugduno sit vtilior, Arar an Rhodanus, & ne diu anxium

te teneam duobus verbis definio. Fructuosior est Atar quam Rhodanus dum Lugdunum aduenit, quæstuosiot est Rhodanus dum Lugduno exiuit: quid enim ex Alpibus & Rupibus & syluis aduehit Rhodanus dum accedit, nisi arbores, & ligna, & saxa, & rude aliquod ex Germania metallum? At Atar ttium Prouinciarum adipem, & quasi sanguinem Lugdunum adducit, dum appellit: postquam autem vterque fluuius in vnum confluxit, Rhodanus Italiæ, Hispaniæ, Africæ, & Asiæ opes aduerso cursu reuehit, & Lugdunum tedit; & quamuis Arar Rhodanum adiuuet, & partem onerum fetat, postquam tamen Rhodano se miscuit, & penè nupsit; transiuit in iura mariti & nomen ac honorem cessit: ne tamen omnis laudis sit expers, eam gloriam participat, quam vir communem facit vxori.

EPISTOLÆ HISTORICÆ, ARISTI AD ALEXIN.

EPISTOLA PRIMA, LVGDVNVM SVB PLANCO.

QVÆRIS ex me, Alexi, qualis vit fuerit Plancus Munatius; scilicet interesse pietas Lugduni scire qualis fuerit eius repatatot, aut author; transit in libetos decus Patentis; & pats nobilitatis est venire ex nobili sanguine: nobilior esset Roma si Consulem fundatorem habuisset non pastorem; propterea vt purgaret dedecus fecit Romulum Deum, & seipsam Deam.

Prima laus Munatij Planci est habuisse Ciceronem præceptorem, discipulus eius fuit, & poterat esse æmulus, nisi arma togæ sociare maluisset: extant familiares vtriusque Epistolæ, atque vtinam extarent Planci orationes; appareret in illis eloquentia discipuli Planci, & Magistri Ciceronis.

Altera laus Planci est fuisse legatum Cæsaris in Galliis: qui penè æquauerat Magistrum Ciceronem penè exæquauit Cæsarem; appellat illum Cicero Imperatorem; scilicet solus Cæsat Gallias non vicit; adiuuit illum Munatius & pars victoriarum fuit: vicit cum Cæsare & post illum, & cum tres viri diuiserunt orbem terrarum, Plancus vit quartus esse poterat, nisi seruare Romam voluisset, dum non potuit seruare rempubli-

cam: propterea adhæsit partibus Octauiani, cui etiam imposuit nomen Augusti, & penè eius Patruus fuit.

Tertia laus petenda est ex dignitatibus Planci; Imperator, Censor bis Consul, VII vir, Epulo, Triumphator, omnes dignitates Romanas meruit, penè omnes gessit, præter supremam; de hac quoque certare potuit, nisi pugnare pro patria maluisset, quam contra illam.

Quarta laus Planci est fundasse Lugdunum, & Rauricam, aut ornasse: euertunt alij vrbes, Plancus fundat aut reparat; Calamitosum victoriæ genus delêre vrbes & homines, & de ruinis triumphare; nobilius vincendi genus est extruere vrbes, quam euertere: perit laus aliarum victoriarum cum rebus quæ pereunt: viuet laus Planci, quandiu Lugdunum stabit, & Raurica, & lapides ipsi Plancum loquentur post homines: atque hoc est illustre elogij genus lapides habere laudatores.

Caietæ in æde Saturni, nunc turris Rolandi est eloquens marmor sic Plancum laudat.

L. Munatius L. F. L. N. L. Pron. Plancus Cos.
Ex Rhetis ædem Saturni fecit de manubiis
Censor Imper. Iter. VII vir. Epul. Triumph.
Agros diuisit in Italia Beneuenti, in Galliam
Coloniam deduxit Lugdunum, & Rauricam.

Nec minus eloquens est alterum marmor quod extare Basileæ in campo frumentario sub imagine Munatij affirmat Claudius Bellieurcus in suo Lugduno Prisco, manuscr. fol. 62.

L. Munatio Planc. Ciui Romano, viro Consulari
Et Pretorio, Oratorique & Marci Ciceronis discipulo
Qui post deuictos Rhetos æde Saturni de manubiis
Extructa, non modo Lugdunum, sed & Rauricam Coloniam
Deduxit, quæ Augusta fuit appellata ab Octauio
Augusto tunc rerum potiente. S. P. Q. Basileensis
Tametsi Alemanorum traducti solum, subactis
Ac depulsis Rauricis, amore tamen virtutis qua
Etiam in hoste veneretur, vetustissimo
Tractus huius illustratori culpa temporum prorsus
Abolitam memoriam postliminio reuocarunt.
Anno D. M. D. XVIII.

Ita loquuntur eruditi duo lapides, atque vtinam vterque vel alteruter dixisset annum natalem Lugduni, non esset hodieque controuersus, & vix fluxisset si staret adhuc in lapide. Gregorius Turonensis lib. 1. c. 16. Augusti, inquit anno decimo nono Lugdunum Galliarum vrbem conditam manifeste reperimus: Paradinus l. 1. c. 7. putat conditum an. 29. Aug. Imper. & 22. ante ortum Christi. Neque ij duo authores contraria sentiunt

si rationem calculi spectes; Paradinus numerat annos Augusti à Triumuiratu, qui cadit in annum vrbis conditæ 711. Gregorius vero à pugna actiaca decem annis posteriore, qui anni decem si addantur annis 19. efficientur anni 29.

Rubysius l. 1. refutat vtumque quia annus Augusti à Triumviratu vigesimus nonus, & ab actiacâ pugna decimus nonus fuit annus vrbis conditæ 740. at eo rempore Augustus morabatur Lugduni; igitur Lugdunum iam erat conditum: putat ergo Rubysius Lugdunum conditum anno V. C. 711. Augusti 2. Aulo Hircio, & C. Vibio Pansa Coss. anno ante Christi ortum 41. qui ex Chronologia Cassiodori, Baronij, Scaligeri, & Gordoni natus est anno V. C. 751. consentit Philippus l'Abbe, & ante illum Sallianus.

Igitur annus natalis Lugduni est annus mundi creati 4011. Olymp. 184. vrbis conditæ 711. Consulibus Aulo Hircio, & C. Vibio Pansa, Augusti 2. ante ortum Christi 41. aut 42.

Dissentiunt ab hoc calculo versus, quos ex templo S. Iusti exscripsit Symphorianus Champerius.

Ante Deum natum sex annis atque viginti,
Munatius Plancus Lugdunum condidit vrbem.

At hic Poëta melior Christianus fuit quam Chronographus.

Rides Aristæ laudes marmoreas, at ego illas pretiosiores puto quam laudes verbosas; euanescunt verba dum ex lingua fluunt, aër sunt & sonus in aëre, in lapide sunt immortales caracteres: imprimuntur marmori, & pars marmoris fiunt; animant lapidem, & faciunt eloquentem, facit illas lapis solidas, & æternas; supersest hodieque Plancus in marmore viuus, in seipso mortuus, superstes viuit in Lugduno suo, nec supersesset Lugdunum nisi esset lapideum.

EPISTOLA SECVNDA,

LVGDVNVM SVB IVLIO CAESARE.

VÆRIS Alexi, an Iulius Cæsar Lugdunum viderit, vidit si Lugdunum tunc fuit: an fuerit quærunt multi, & nemo quæstionem soluit: Ego præter eas rationes quas alibi attuli, fuisse Lugdunum probo argentea ratione desumptâ ex nummo argenteo, quem exhibent eruditi cum hac epigraphe.

Ant. Imper. III vir. R. C. A. XL.

Ex altera parte, Lugduni, cum leonis effigie.

Ideſt Antonius Imperator, Triumvir, Reipublicæ conſtituendæ, Aſſium quadraginta: Ita legit eruditus Petrus de Marca; non benè autem Lipſius legit à populis quadraginta, neque enim numi à populis, ſed à Præſidibus cudebantur; nec meliùs alij legunt anno Coloniæ deductæ quadrageſimo, nec enim poſt quadraginta annos numi ſub imagine Antonij condi potuêre, tunc ſcilicet cum eius imagines delebantur, aut iam erant deletæ. Valor igitur numi deſignabatur iis literis Aſſium quadraginta.

Ex eo nummo ſic arguere licet hic nummus cudi ſub imagine Antonij non potuit, niſi eo tempore quo Triumvir fuit, & Gallias rexit; at is annus fuit 712. nec expectauit homo ambitioſus annum ſecundum & tertium Imperij ſui; neque armis Auguſti depulſus à Gallijs imaginem & nummum meruit: Rurſus anno vrbis conditæ 711. dicitur Plancus fundaſſe Lugdunum, atque hæc eſt communis fama, cui tu etiam Superiore Epiſtola credidiſti: At quæſo Ariſte, an vrbs populoſa & ampla condi intra annum potuit? an deſignari magnitudo vrbis? an duci aratrum? an fodi murorum fundamenta? an extrui muri, an palatium, & templum, & forum ædificari? an vrbs magnifica priuilegio Argyrocopij ornari? vix vna domus & altera intra biennium abſolui poteſt: Igitur ante Antonium & Plancum Lugdunum fuit, igitur Plancus reparator non conditor fuit: At ſi Lugdunum ante Plancum fuit, igitur Iulius Cæſar illud vidit.

Audio quid tacitus reſpondeas, fuiſſe Lugdunum ante Plancum, nec tamen à Cæſare viſum; imo vidit Lugdunum Iulius, qui Lugduno tranſiuit ſi fuit: qua enim commodiore viâ penetrare in Galliam potuit quam per eam vrbem quæ oſtium Galliæ erat, & Italiæ; cur ſuperatis Alpibus non deſcendit in eam vrbem quæ clauis erat Alpium? Cur illac non tranſiuit Cæſar quâ tranſiuit Annibal? quâ Brennus quâ Senones, quâ Aruerni in Italiam venêre? quærebat nouas victorias Cæſar non nouas vias; vinci poterat ab ipſis Alpibus ſi alia viâ tranſiiſſet.

At pergis objicere, cur igitur Lugduni non meminit, ſi Lugdunum vidit? poſſem dicere meminiſſe, dum Ambarros, dum Brannouices, dum Viennam, & Tornuſias Turres, & Matiſconem nominat; ſcilicet ille medium non omittit qui appellat extrema; at earum Gentium, & vrbium Lugdunum centrum erat, & meditullium: Addo obuiam & validam rationem; eas ferè tantum vrbes Cæſar nominat quas obſedit aut vicit; eos ferè populos recenſet quos expertus eſt hoſtes; nec Geographum agit Cæſar in commentariis, nec hiſtoricum Gallicum; ſcribit laudes ſuas non alienas; & enumerat victorias Romanas non vrbes Gallicas.

Claudo Epiſtolam elogio Cæſaris. Vir magnus Iulius Cæſar, maior futurus niſi maximus eſſe voluiſſet; vt magnum ſe faceret nullum præter

se pati potuit magnum ; vt statueret authoritatem priuatam euertit publicam, vt primus esse posset, omnes postremos esse voluit: fecit crudelem ambitio dum fecit Cæsarem? tot hominum millia cecîdit vt à cœdendis hominibus sottiri Cæsaris nomen potuerit, post cæsam Galliam, cecîdit Italiam & Patriam ipsam; neque tot homicidiis satur post exhaustum hominibus occidentem cogitabat Orientem vt totum orbem cæderet: verùm vlciscente numine, ipse ibi cæsus est vbi tot Senatores cecidetat; denique vt verbo dicam is fuit vir Iulius Cæsar de quo merito dubites, plusne attulerit orbi detrimenti, quam lucri.

EPISTOLA TERTIA,

LVGDVNVM SVB MARCO ANTONIO.

DE Marco Antonio hæc à me quæris, Alexi, an Lugduni fuerit, an Leo Lugdunensis ab eo venerit, an arcem in monte erexerit, an Lugdam legionem instituerit, an Turrim annosam quæ hodieque gerit nomen Triumviri, qualis denique vir, & Triumvir Antonius fuit.

Probas te scientem, Alexi, dum vis scire, & doctum dum vis doceri; nec parum es eruditus dum es cutiosus: scilicet non aliter acquiruntur scientiæ quam dum quæruntur, & penè illas inuênit qui benè quæsiuit. Respondeo quæstionibus tuis eo ordine quem tu ipse notasti.

Fuisse Lugduni Marcum Antonium probat nummus argenteus de quo superioti Epistola, inscriptus ex vna parte Ant. Imp. IIIvir. R. C. A. XL. ex eo enim sic arguere licet, hic nummus neque à Planco cusus est, non satis Antonij amico, neque à Lepido, neque ab Augusto qui imagines suas impressissent non alienas; igitur ab Antonio ipso; neque alio rempore nummum cudere debuit, quam dum Lugduni fuit.

Idem nummus ex aduersa parte inscriptum habebat nomen Lugduni, & effigiem Leonis; amauit Antonius Leones quos etiam currui suo iunxit, & vehi à Regibus voluit quasi Imperator Regum futurus, an propterea Leonis imaginem nummo impressit? an etiam propterea nomen Leonis Lugduno imposuit? nisi forte hoc insigne fuit Coloniæ à Planco deductæ; imo nisi hoc nomen, & insigne Lugdunum gessit diu ante Plancum.

Impositum monti Lugdunensi propugnaculum probant verba Taciti l. 1. n. 59. & 64. Italicam legionem, Alam Taurinam, & cohortem solitis sibi Hybernis relinqui placuit: & n. 74. Italicam, eosque quæ Lugduni agitabant copias, Senatui misit; non alibi Lugduni agitabant nisi in monte

monte vt vrbem protegerent: neque in monte erant sine arce, hanc autem arcem vel erexit Plancus dum vrbem fundauit, vel Antonius dum Lugduni fuit.

Illustris est appellatio legionis Lugdæ; an hoc nomen à Lugduno traxit, lugda quasi Lugdunæa? an lugda quasi refulgens, etiam lingua Celtica? an lugda quasi lucens lingua Romana? placuisse hæc nomina Romanis probat legio fulminatrix de qua Baron. an. C. 176. sub Marco Aurelio; an denique eam legionem Lugduni Marcus Antonius instituit, & lugdam à Lugduno appellauit?

Quænam fuerit turris illa Triumviri collige ex illustri Disticho Sidonij Apollinaris ad Ominatum Aruernum quem inuitat ad epulas natalirias.

Pocula non hic sunt illustria nomine pagi,
Quem posuit nostris ipse Triumvir agris.

Iacobus Sirmondus illustris Sirmondi Scholiastes sic explicat, agris nostris Lugdunensibus; scilicet Sidonius natus Lugduni dum illic Pater Præfecturam gereret, Lugdunensem se appellat, origine nimirum non genere, Aruernum alioqui satis se probat ex capite: At quis ille pagus, & quinam agri illi? pagum esse sancti Irenæi probat annosa turris quæ hodieque appellatur, PORTA TRIVM, ita loquitur vulgus, at eruditi appellant portam Triumvirij, seu portam Antonij.

Denique qualis fuerit Antonius ex breui elogio disce. Quis audeat laudator esse Antonij post accusationem Ciceronis? scripsit in eum Philippicas, & fuit Antonius Romanis quod Philippus Græcis: At quid dixisset Tullius si vidisset Antonium Dominum Orientis, & fœminam Dominam Antonij! fuit tamen vir fortis Antonius, & penè à Iulio Cæsare secundus, extincto Magistro & amico ex Triumviris vnus, nec potuit pati Lepidum tertium, nec Augustum primum; & poterat ipse esse primus, nisi victus à fœmina vir esse desiisset, postremus hominum, & fœminarum primus.

EPISTOLA QVARTA,
LVGDVNVM SVB AVGVSTO.

DE Augusto hæc quæris, Alexi suauissime, an Lugdunum viderit? an amauerit? quænam amoris signa Lugduni reliquerit, & qualis Augustus fuerit.

Venisse Lugdunum testatur Dio l. 54. Anno vrbis conditæ 732. Imperij 27. L. Domitio Ænobarbo, & Cornelio Scipione Coss. cau-

sa itineris vt putat Suetonius fuêre motus Gallici, & Germanici; scilicet secura non erat Italia si Gallia nutaret, & fidelem sperabat orbem terrarum si Gallia maneret in fide: adeò æmula erat Gallia Romæ, & Roma Galliæ.

Quàm valde Lugdunum dilexerit probat commoratio Lugdunensis, vbi toto triennio fuit, futurus diutius nisi Roma reuocasset; placebat Augusto situs vrbis excelsus & planus; placebat confluxus duorum fluminum, & per illos ad vtrumque mare facilis cursus; placebat Augusto centrum Europæ, cor Galliæ, & clauis Italiæ.

Vsus occasione Augustus Sueuos & Sicambros solo aduentus rumore in fide retinuit; timebatur Augustus præsens, amabatur absens, & timor & amor, instar illi exercitus erant.

Audaciores, Norici, & Rheti ex montibus delapsi in plana camporum prædas impune agebant hominum & pecorum; & reuersi in patriam inter Alpes & rupes tutos se ab Augusto credebant; vicit illos Augustus per Tiberium, & Drusum, & ne olim rebelles essent aliò traduxit incolas Alpium, & penè ipsas Alpes.

Pacatis vndique populis vectigalibus modum imposuit, vt facilem redderet seruitutem; Licinium quendam Gallici ærarij Præfectum quod iniustè pecunias tota Gallia corrasisset correxit quidem, sed oblatæ ingentis pecuniæ amore victus peperceit homini, & crimini, & alienam auaritiam fecit suam.

Interea Agrippa contemplatus situm vrbis, & opportunitatem loci, ex Lugduno quasi ex centro patefecit vias quasi lineas per omnem Galliam, & Europam, sicque vt ait Strabo diuisit Lugdunum orbi, & orbem Lugduno.

Ipse quoque Augustus Coloniæ Lugdunensis fines extendit; & nouam Prouinciam creaturus, decem populos Celticæ ablatos Lugdunensi Prouinciæ attribuit, & solidam appellauit; appellare poterat Augustam, adeò illam in deliciis habuit.

Nec minor erga Augustum fuit Galliarum & Lugduni amor, sexagenta Galliarum populi templum illi & aram ad confluentes Araris & Rhodani erexerunt, vbi solennes conuentus singulis annis agitabant: certasse videntur Roma & Gallia vtra Augustum maioribus honoribus afficeret; vicit denique Romam Gallia, illa Augustum fecit, hæc Deum.

Reuocatus Romam Augustus abduxit secum Tiberium, fratrem autem eius Drusum Lugduni reliquit; qui tot prælijs Germanos attriuit, vt inde Germanici cognomen meruerit.

Expectas, Alexi, Elogium Augusti, paucis dico alienis verbis & meis. Nescit imperium Romanum qui nescit Augustum; inchoauerat illud Iu-

lius Cæsar, Augustus absoluit; maior Patre vel felicior: doluit Roma cum Principem fecit, gauisa est cum habuit; timebat Dominum in Augusto, amauit Dominum & Augustum: Ille vt amaretur recusauit nomen Domini, & dum recusauit obtinuit; seruire sub eo didicit Domina Roma; & dum extra se imperat aliis, intra se seruit; maluit tamen seruire vni quam pluribus; ante Augustum tot Dominos habebat quot Consules & Tribunos, singuli anni mutabant veteres Dominos, & creabant nouos; sub Augusto idem Dominus fuit; mutatus est modus seruiendi, emendata est non mutata seruitus.

EPISTOLA QVINTA,

LVGDVNVM SVB TIBERIO.

FECIT hunc Augustum Liuia non Augustus, & mores ipse repræsentauit Matris, non Vitrici; maior natu fratre Druso, minor meritis fuit; inuidit illi nomen Germanici, & ne triumpharet Romæ, venientem veneno sustulit: quid speret Roma à fratricida nisi cædes, & exilia? amauit tamen Roma in Tiberio non Tiberium sed Augustum; & passa est imperium hominis degeneris, & apud capreas penè in caprum mutati.

Quæris tamen Aristæ, qualis erga Lugdunum Tiberius fuerit, & qualo erga Tiberium Lugdunum.

Amauit Lugdunum Tiberius, vbi cum Augusto toto triennio commoratus est, ab anno vrbis conditæ 737. ad annum 741. & quò iterum ab Augusto missus rexit Galliam Comatam, incursiones barbarorum repressit, & discordias Principum feliciter composuit, melior Prouinciarum Rector, quam orbis Imperator.

Euectus ad Imperium meritis alienis non suis, breui ostendit quantum malum esset malus Princeps; successor Augusti nihil augustum habuit nisi nomen seu speciem quandam virtutis; sub ea specie dissimulata flagitia non emendata ingens Augusti desiderium excitarunt, & Tiberij odium; nec vlla ex re Augustus fulsit illustrius quam à successore Tiberio repræsentante nomen Principis optimi, & vitam ostendente pessimi.

Stetit in fide Lugdunum sub malo Principe, nutante Germania, & gemente Roma; duo exercitus alter sub C. Silio, alter sub Aulo Cæcinna malebant Imperatorem Germanicum, Drusi filium, quam Patruum Tiberium, & erat melior Patruo, & imperio dignior; corrupêre consilia

fideles imperio Lugdunenſes, quibus etiam gratias egit Germanicus de impedito imperio, vix egit Tiberius Germanico, cui tamen delebat & ſeruatum imperium, & quod amplius erat recuſatum.

Sexennio poſt Iulius Florus, & Iulius Sacrouir, viri illuſtres, & apud ſuos Principes, pertæſi ſeruitutis ignauæ excitauerant penè omnes Galliæ Ciuitates ad ſpem libertatis, & perſuaſerant poſſe excuti Romanum iugum ſub ignauo Principe, in quo nihil erat Cæſaris nec Auguſti: actum erat hac quoque vice de Tiberio, & imperio Romano ſi Lugdunum vacillaſſet; trahebat ſecum in Italiam omnes Gallias ſi iuiſſet, fugiſſet capreis Tiberius qui Roma iam fugerat; & poterat hac quoque vice capi Roma, ſæpè olim à Gallis capta.

Stetit in fide Lugdunum erga Tiberium etiam ingratum; Aciolus Auiola Legatus excita cohorte quæ Lugduni præſidium agitabat, Andegauos compoſuit: Varro alter Legatus alias vrbes retinuit; victus eſt Florus & Sacrouir, & cauſa victoriæ Lugdunum fuit, fidele dum ſeruauit Romam, infidele dum non ſeruauit Galliam.

Claudat Epiſtolam breue Tiberij elogium alienum & meum.

Auidus imperandi ante imperium,
Imperare neſciuit dum Imperator fuit:
Quam ſolitudinem non amauit priuatus,
Captauit publicus;
Reuocatus ab exilio vt imperaret;
Imperator miſit imperium in exilium.

EPISTOLA SEXTA;

LVGDVNVM SVB CALIGVLA.

CAIVS Cæſar cognomento Caligula indignus Patre Germanico, Patruo Druſo, Auguſto Proauo, ex materno genere nihil pretioſum habuit præter margaritas, quas aſſuebat Caligis; nihil generoſum præter clypeum quo exceptus eſt dum inter arma naſcitur: vt Mauors ortus, vixit vt Bacchus, generoſior Infans quam adultus: imperarunt cum illo quatuor annis omnia ſcelera; corrupturus erat orbem terrarum ſi regnaſſet diutius; poſt conſtupratas Sorores, poſt Matronas nobiles publicæ libidini expoſitas; poſt cæſos Senatores & Senatum, Iouem ſe ab inceſtu, Bacchum ex ingluuie, Martem ſe appellabat ex ſcelere; & truculentior matre erat qui vnum caput populo Romano optabat, vt Romam vno vulnere perimeret: Princeps

omnium peſſimus, & quem natura edidiſſe videtur, vt oſtenderet quid poſſit ſumma malitia cum ſuprema fortuna.

Quæris tamen ex me Ariſte, qualis Caligula erga Lugdunum fuerit? an aliquid amauerit Caligula præter ſcelus incertum eſt, ſi quam tamen vrbem amauit ea Lugdunum fuit; ibi longiores moras quam alibi traxit: ibi tertium conſulatum accepit vix vno dignus; ibi extincto Tiberio acclamatus eſt Imperator communibus votis, breui deuouendus communibus diris: ibidem edidit miſcellos ludos, & certamen quoque græcæ, latinæque facundiæ, ait Suetonius, & penè ipſe ad certamen deſcendit: Nec temere arbitratur Rubyſius inuentum hoc certamen à Caligula; & probare id videntur pœnæ victis impoſitæ, delêre ſcriptiones lingua, mergi proximo flumine, obiurgari ferulis; nimirum eæ pœnæ humiles, & penè ridiculæ caligas ſapiunt non coronas, nec ab alio imponi potuêre quam à Caligula.

Atque vtinam eos tantum ludos Lugduni edidiſſet, verùm cum Lugduni teſſeris luderet, & vim auri, argentique magnam amiſiſſet demandans proximo colluſori vices ſuas, euocata ad ſe arcæ Galliarum Præfecto, iuſſit ſibi afferri libros indices cenſus Gallici, tum rediens Hilari vultu, vos vero inquit paucos denarios luditis, at ego iam coëgi ad ſexies millia ſeſtertiûm, ideſt vt Budæus æſtimat quindecim auri milliones.

Hic ludus Lugdunenſis, at longè plura Romæ luſerat aut decoxerat; ſcilicet vicies ſepties millia ſeſtertiûm, ſeu vt æſtimat Budæus ſexaginta ſex milliones auri, & quinquagies mille aureos nummos: collegêrat eam vim pecuniæ pluribus annis ex omnibus Prouinciis Auguſtus, & Tiberius, anno vno Caligula conſumpſit; nec tamen in publicam rem, ſed in nugas, & bullas & caligas.

Vt prætexeret aliquam cauſam, fingebat rebellaſſe Germanias & Gallias; occurrendum celeriter eſſe, colligendum exercitum, nec ſine pecuniis colligi poſſe, hac arte emungebat omnes crumenas; alteram artem adhibebat multo peiorem, fingebat perpetrata ſcelera quæ puniret, aut quæ pecuniis condonaret; nemo erat expers criminis; crimen erat eſſe diuitem, & ſolus pauper innocens erat.

Quod addo ridiculum eſt, & tamen verum; ne Imperator, nihil egiſſe videretur, ducebat exercitum ad Rhenum & Oceanum; bibere è Rheno iubebat, & conchas legere in littore maris, quas etiam Romam mittebat; & quaſi de Rheno & Oceano triumphabat.

Denique atrox hominum Dominus ſic eum penè omnes vocabant, dicere illud ſolebat, exarmandos eſſe ſubditos ne rebellarent; tolli arma ſi tollatur erumena; & fideles fore populos ſi fiant pauperes: at mala verba nec principe digna! dicere debuit tunc Regem eſſe diuitem, cum Regnum eſt diues; & fideles fore populos ſi ſeruitutem liberam ſeruiant; non inuitam.

EPISTOLA SEPTIMA.

LVGDVNVM SVB CLAVDIO.

Hic Caligulæ Patruus, nepote vix melior fuit, ante imperium sine fama vixit quia latuit; in imperio infamis quia non latuit: in latebris gladium fugiens sceptrum inuênit, quem cæsum volebat Senatus, miles Cæsarem fecit: reueritus est sanguinem Cæsarum etiam in hærede degenere; sagacis ingenij sed timidi regnare nesciuit; eloquens scriptor, malus Imperator, quadraginta libris res gestas auorum suorum laudauit, nihil ipse laudabile habuit; libertus liberti, seruus vxoris; in Imperio nihil minus habuit quam Imperium.

Quæris tamen Alexi, quid Claudius Lugduno debeat, quid Lugdunum Claudio.

Debet ortum Lugduno, ea die in lucem editus, qua die templum Augusto à sexaginta populis Galliarum consecratum est: Ita Sueton. l. 5. & ne homini tantum credas idem asserit Hercules apud Senecam in Apotheosi Claudij.

Expone propere sede qua genitus cluas.

Et paulo post.

Vidi duobus imminens fluuiis iugum,
Quod Phœbus ortu semper obuerso videt,
Vbi Rhodanus ingens amne prærapido fluit,
Ararque dubitans quò suos cursus agat,
Tacitus quietis alluit ripas vadis:
Estne illa tellus spiritus altrix tui?

Addit Petrus de Marca digress. de prim. Lugd. natum anno 33. à condita Colonia à Planco, qui fuit annus vrbis C. septingentesimus quadragesimus quartus.

Memor Patriæ suæ Claudius eam ornauit, & penè alter Coloniæ Lugdunensis conditor fuit; duplicis generis Coloniæ erant, ait Asconius, priores erant illæ quibus dabatur jus Romæ nullis eò deductis Romanis ciuibus, siue essent vrbes antiquæ, siue de nouo conditæ; secundæ erant illæ quæ fiebant deductione Ciuium Romanorum, qui Ciuitatem constituebant soli, aut veteribus incolis adiuncti: primi generis Coloniam fecerat Plancus ex Viennensibus profugis & Lugdunensibus incolis, deduxit ciues Romanos Claudius & secundi generis Coloniam fecit: sicque Lugdunum vna & duplex Colonia fuit, & duos penè conditores habuit.

Ne dubites de vtroque hoc jure probarunt vtrumque Lugdunenses ipsi, dum milites qui à partibus Vitellij steterunt ad excidium Viennæ adhortantes, aiebant se Coloniam Romanam esse, non autem Viennam, scilicet huius secundi generis; aliàqui enim Vienna primi generis Colonia erat, eamque Claudius ipse in oratione pro Gallis ornatissimam, valentissimamque Coloniam appellat; & testatur Tacitus vetustatem & dignitatem Coloniæ Viennensis valuisse ne vrbs destrueretur: At Lugdunensis Colonia vnâ sui parte Romana erat, aliâ Gallica, miscuerant se duæ Ciuitates, & Lugdunum Roma, & Roma Lugdunum erat.

Hanc autem deductionem Ciuium Romanorum factam esse à Claudio non à Munatio Planco probare videtur nouum nomen Lugduni sub Claudio.

C. C. C. Aug. Lugd. ideſt Colonia copia Claudia, Augusta Lugdunensis, male enim legunt Paradinus & Rubysius trecentos Augures Lugdunenses; nec bene alij, trecentos Augustales Lugdunenses illustratur hæc prima lectio ex aliis similibus C. C. Aug. Agripp. ideſt Colonia Claudia Augusta Agrippinensium: C. C. Vlp. Trajana, Aug. Frug. Hadrum. ideſt Colonia Concordia, Vlpia Trajana, Augusta, Frugifera, Hadrumetina.

Cur autem Colonia Lugdunensis appellaretur copia quæsit Scaliger in animadu. ad Euseb. nec difficilis est responsio, vocatam eo nomine vt significaretur Emporij Lugdunensis opulentia, & rerum omnium copiosa affluentia.

Ex eodem ambre Claudij in patriam suam profecta videntur cætera ornamenta Lugduni Amphitheatrum, thermæ publicæ, aquæductus, quorum fornices aliquot Laterithia sexto lapide ducti hodieque visuntur, Authoris monimenta sui: Aqua autem illa publica postquam vsibus Amphitheatri, & Castrorum in superiori vrbe inseruierat deriuabatur ad thermas, & fontes publicos, ac priuatos, vt fidem faciunt diuergia, castella, tubi, & canales ex latere firmo constructi; quæ omnia fossoribus sæpe occurrunt in vtroque eliuo Forueriji, & sancti Marcelli, nunc sancti Sebastiani; quæ etiam probant fuisse thermas ad ripam Araris ex calentibus aquis è monte delapsis; quæ etiam opinio est Petri de Marca in digress. de prim. Lugd.

Nec omittendæ res aliæ illustres quas Claudius Lugduni gessit, quæ illum acris iudicij fuisse testantur, nisi genio indulgere maluisset quam iudicio.

Abnuebat Mater agnoscere filium qui aliquot annis domo exularat; disceptata vtrimque re, & abeuntibus iudicibus in diuersa, iussit Imperator admitti à muliere vidua supplicem reum vel in filium vel in sponsum; tùm hic vero conuicta mulier agnouit filium, & cum deessent alij

ob

testes pudor maternus testis veritatis, & iudex fuit.

Druydarum religionem diræ immanitatis, & tantùm ciuibus sub Augusto interdictam penitùs aboleuit; optimatibus Gallis ius adipiscendorum in vrbe honorum petiit in Senatu, & impetrauit; nec ingrati erga Claudium Galli beneficium duabus tabulis æreis incidêrunt; visuntur hodieque eæ tabulæ Lugduni, testes Claudij amantis Lugdunum, & Lugduni amantis Claudium.

Claudo Epistolam querelâ ferâ sed vera; heu cæci Lugdunenses, & cæteri Galli qui non intelligerent ornati se honoribus Romanis vt ornatè seruirent; eligebantur in Consules, vt consulerent Romæ non patriæ; creabantur Prætores vt ius dicerent Gallis pro Romanis, erant quæstores vt facerent pauperem Galliam & diuitem Romam, fiebant Tribuni vt armarent Galliam in seipsam; sic emebatur libertas Gallica à Romanis; sic erant Lugdunenses Domini apud Romanos, & serui apud suos.

EPISTOLA OCTAVA,

LVGDVNVM SVB NERONE.

Hic initio imperij talis fuit, vt dicere soleret Trajanus omnes Principes longè distare à Neronis quinquennio; talem reddiderant Burrus Prætorio Præfectus, & præceptor Seneca; nemo meliores magistros habuit, nemo peior discipulus fuit: occîdit vtrumque ne sapere sub tantis exemplis cogeretur: nec pepercit Matri Agrippinæ, quæ malo omine dixerat, occidat modo imperet: explorari ferro iussit vterum intra quem iacuerat: dignus abortu non ortu, qui eorum naturæ pudorem matricidis oculis corruperat.

Hic tamen Nero neminem amans, & exosus omnibus amauit Lugdunum & charus Lugduno fuit. Nec sterilis amor Neronis sed liberalis fuit, miseratus vrbem repentino incendio inflammatam quadringenties sestertiûm, seu vt numerat Budæus millionem aureum dono dedit, & reparator alter Lugduni fuit.

Memor beneficij Lugdunum stetit pro Nerone etiam à Senatu damnato, nec timuit Viennenses æmulos, nec Galbam imperio inhiantem; retinuit nutans imperium, & penè amissum Cæsaribus restituit: ante aliquot annos turbidis in rebus ingentem pecuniæ vim Cæsari obtulerat; reddidit eandem vim pecuniæ Nero, & certamen grati amoris exhibuit: vicit tamen Lugdunum dum prius dedit; reddidit Nero beneficium, dedit Lugdunum non reddidit.

Claudo

Claudo Epistolam, & laudo aliquid etiam in Nerone; odiosus omnibus Nero vni Lugduno amabilis fuit; reparauit inflammatam vrbem; & clariorem ex incendio reddidit; non ingratum Lugdunum stetit pro Nerone etiam mortuo: hoc demùm est amare generosè; amauit Nero Lugdunum post ignes, amauit Lugdunum Neronem post cineres.

EPISTOLA NONA, INCENDIVM LVGDVNI.

ROGAS, Alexi, vt describam incendium Lugduni, descripsit illud Seneca, & penè vidit: Ego magnum authorem describo, & incendium recito.

Centesimus & septimus annus fluxerat ab ortu Lugduni cum incendio periit; crescebat in dies vrbs magna, & tota simul vna clade decreuit; quæ ætas ne homini quidem suprema est, ea Lugduno extrema fuit.

Improuisum fuit incendium, & ante oppressit Lugdunum quàm cauèri potuerit; cæteras ferè calamitates morbus antecedit aut morus, præluceat fulgetra fulmini, tempestas præuertit naufragium, & priùs nubes tonat quam ignis erumpat; Deus ipse prius irascitur quàm puniat, & timeri vult pœnas & cauèri, propterea præmittit minas ante supplicia: Incendium Lugduni fuit sine minis & metu: nemo prænuntiauit venturum, venit ante nuntios sui, & ante occupauit Lugdunum quam cauèri potuerit.

Violentum fuit incendium quod nulli parti Lugduni pepercit; multas vrbes exussit ignis sed non totas, nullibi tam vehemens exarsit incendium, vt non aliquid alteri incendio reliquerit; sæpe inreiectus paries flammam repressit, sæpe aqua extinxit; sæpe nimia materia suffocauit; Lugdunensibus flammis nihil restitit; corripuêre totam vrbem simul, omnis domus materia, omnis materia sulphur, omne saxum pabulum fuit; aqua ipsa mutasse naturam visa est, concepêre flammas Arar, & Rhodanus, periit aqua omnis quæ stetit, & nisi posteriores aquæ acceleràssent fugam, idem erat incendium Lugduni, & vtriusque fluuij.

Repentinum fuit incendium, citius arsit Lugdunum penè quam dixi; vna nox interfuit inter vrbem maximam & nullam; quærebatur mane Lugdunum quod vespere ostensum erat; mirabantur aduentantes hospites ibi solitudinem esse, vbi suffocabatur turba; quærebant Lugdunum

in Lugduno, hîc aiebant templum, hîc palatium, hîc forum fuit: quam celeres sunt rerum ruinæ! vna nox strauit centum annorum gloriam; intra momentum vrbs periit quæ seculum perire viderat.

Luctuosum fuit incendium, arsit opulenta Ciuitas, præsidium Italiæ, ornamentum Galliæ, decus Europæ; arsêre tot elegantia opera quæ singulas vrbes illustrare poterant; periêre opes quæ Europam ditassent, combussit nox vna gazas orbis terrarum; sensêre flammas Lugdunenses omnes Prouinciæ; periêre plures vibes in vnâ, & breui arsura Roma, cum Lugduno penè iam arsit.

Deploras incendium Lugduni, Aristæ, & causas incendij scire velles; fatum accusat Seneca, omnium inquit rerum, & vrbium & hominum fata voluuntur; quidquid incepit necessario desinit: neque moriendi libertas est neque nascendi, si Deum excipias qui nunquam desinet, omnia in interitum ruunt, fato impellente vt celeriùs ruant: quæris quæ causa Lugdunum incenderit, fatum est: quæris cur igne, cur nocte, cur momento periit, sic in fatis fuit: perdidit Lugdunum hæc necessitas quæ perdet orbem, omnia mortalium opera mortalitate donata sunt: ne quære causam, fatum est, & necessitas, & inde mortalitas.

Inflammauit Lugdunum, aiunt alij, fortuna non fatum; nihil huic Deæ inausum est, idem ius habet in vrbes atque in homines: omnia susdeque miscet sine discrimine; idcirco cæca pingitur quia non aspicit quod euertit; pila est illi orbis terrarum; & ludus, & ludibrium per damna ire: incendit fortuna Lugdunum, id fecit vrbi vni quod orbi factuua est: intuêre ciuitates omnes; eas olim omnes casus euertet; nulli fortuna parcit nisi sibi: insidet rotæ, & stabilis est, & dum omnia mouet immobilis est.

Nec fatum aiunt alij, nec fortuna Lugdunum euertit sed natura; cecidit Lugdunum quia caducum erat, nihil stabile fecit adhuc natura: neque ipsa stabilis est; explora illam vndequaque, & videbis nulla sui parte constare: quid Firmius esse potest montibus? & tamen depressit aliquos terræ motus, alios æquauit, alios sustulit: quid Sanctius esse debuit terræ viscеribus? detexit illa ferrum, violauit flagitium, nulla sui parte terra iam virgo est: nihil obuium ruinæ minus esse deberet quam aquæ, fugere videntur interitum dum effluunt; hoc quoque elementum sensit interitum, mutarunt sæpe alueum fluuij, mare recessit, & alicubi exaruit, exussit ignis Lugdunum, neque ipse interitum fugit; periit flamma quæ Lugdunum corruperat, & quo funere vrbem absumpsit, eodem ipsa consumpta est. Scilicet hæc est rerum creatarum conditio, quidquid natum est mori potest; cinis erat natura antequam fieret, & cinis fiet cum desinet.

Lugdunum addunt alij, non euertit natura, sed qui supra naturam est præpotens Deus: veniisse è cœlo hunc ignem probat vis celer & efficax

ferrum illi stipula fuit, & marmor palea; victum est primum quidquid restitit, & quidquid putabatur æternum momentum fuit; nec fuit naturalis hæc celeritas, citiùs quam dico omnem vrbem flamma corripuit; inflammauit simul omnes domos, nullæ arsêre primæ, nullæ vltimæ; sic eunt diuina sine cursu, sic volant sine motu; sic perueniunt sine transitu: ne dubites supra naturam fuisse hoc incendium, vicit naturam: cur autem è cœlo hæc flamma venerit, euocauit illam Lugdunum nocens, nemo è cœlo damnatur innocens.

Fallor non puniuit Deus malam vrbem sed voluit facere meliorem: consumptum est flammis Lugdunum vt excitaretur in melius, sæpè meliori fortunæ locum fecit iniuria, multa ceciderunt vt altius resurgerent; Timagenes inuidens Romæ, aiebat incendia Romæ ob id vnum dolori sibi esse, quod sciret meliora surrectura quæ arsissent.

His ferè rationibus consolatur Seneca iacturas amici sui liberalis Lugdunensis, cui etiam vt faueret fecit Neronem erga Lugdunum liberalem; contulit Imperator millionem aureum, contulêret assem suum tres Prouinciæ Galliæ; reparata est Ciuitas Lugdunensis, surrexit melior ex cinere; & paucos intrà annos reuixit tam pulchra, vt videretur illustrasse Lugdunum flamma non exussisse.

EPISTOLA DECIMA,

LVGDVNVM SVB GALBA.

Hic extraneus sanguini Cæsarum, ex cædè tamen Neronis Cæsar appellari voluit; successit iuueni feroci decrepitus senex, crudelis, auarus, impurus, peior Nerone si vixisset diu: auri Charybdis, gemmarum magnes, voluptatum gurges, septem millibus inopem fecit orbem terrarum, vt tres libertos diuites faceret.

Quæris, Alexi, vnde ira Galbæ contra Lugdunum quod perditum ibat si irasci diu licuisset, paucis explico longas iras: Amabat Lugdunum Cæsares, & à Cæsaribus amabatur, eò tamen scèleris venerat Nero Cæsar, vt neque illum orbis vlteriùs ferre posset, nec se ipse iam ferret: defecerat ab eo Iulius Vindex Præfectus Galliarum sanguinis Gallici & Regij, & poterat ipse capessere imperium, nisi illud Galbæ amico in Hispaniis tunc degenti offerre maluisset: dicebatur Gallus excitasse Leonem, & maluisse alteri coronam quàm sibi: Roma ipsa decreto Senatus declararat Neronem publicum hostem, & passim omnes libertatem cla-

mabant, aut alterum Imperatotem; Quid faceret Lugdunum in eo rerum cardine? ſtetit intrepidum nutante orbe terrarum, & retinuit pertinacem erga Neronem fidem, priùs atſura iterum quam ab amicitia receſſura.

Non ita Viennenſes ſed occaſione vſi addiderunt ſe Galbæ, non tam hoſtes Neronis quam Lugduni, nec tam addicti ambitioni Galbæ quam ſuæ; ſcilicet inuidebant ſibi inuicem duæ potentes Coloniæ & vicinæ; creſcebat in dies Lugdunum, & Viennæ moleſtum erat decreſcere: iratus Lugdunenſibus Galba quos amare debuerat mulctauit eos parte agri, vertit in fiſcum reditus, & Viennam in ordine ciuili primas tenêre voluit.

Verùm dedit primas Viennæ qui primas ſibi retinere non potuit; breui dabit pœnas Othoni, & Vitellius reſtituet quod Galba ſuſtulit: ſic volubatur orbis terrarum, mutabat Dominos Roma, mutabatur Imperator, & impetium rota fortunæ erat.

Claudo Epiſtolam Elogio Galbæ. Imperio dignus erat niſi imperaſſet; ſeptem menſium Imperator ſtatim placuit, ſtatim diſplicuit; ſatis illi eſſe debuerat imperium meruiſſe; aut quibus artibus meruerat adminiſtrare debuit; ante ſceptrum adeò erat diſciplinæ tenax vt ingreſſo in caſtra acclamaretur, diſce miles militare Galba eſt non Germanicus, poſt imperium tribus libertis regendum dedit orbem terrarum, qui etiam intra ædes Palatinas pariter habitabant, & vocabantur vulgo tres orbis pædagogi; peperit odium Imperatori hæc ſeruitus, cæſus eſt à militibus Othonis, dum ipſe lorica tectus lenire illos ſatagebat, at Galba eſſe deſierat in libertos mutatus.

EPISTOLA XI.

LVGDVNVM SVB OTHONE.

Hic amaſſet Lugdunum ſi impetaſſet diutius, Neronis intimus intimè Nero fuit, iiſdem moribus & amoribus, eadem cum Nerone amabat, eadem oderat; amaſſet igitur Lugdunum quod Neroni pretioſum erat; verum Imperator quatuor menſium deguſtauit imperium magis quam geſſit; acquiſierat illud per ſcelus, & amiſit; hac quoque in parte Neroni ſimilis, bis victor Vitellij, ſemel victu squartam fortunam experiri noluit, quamuis vrgente exercitu; amarunt illum milites etiam mortuum, pletique aſpecto eius cadaûere perire maluerunt quam militare alteri; ipſe imperij deſperatione, vel

tædio oculos sibi effôdit; ne mortem aspiceret sensit illam tamen quam non vidit, illatis sibi lethalibus manibus; vt mollius periret, interire voluit proprio scelere, ne periret alieno; at desperatio abiecti est animi non erecti; nimirum fregerant Othonem vitia quæ Neronem corruperant, & nihil est voluptate ignauius; obiit anno ætatis 37. ea penè ætate Nero perierat, vterque senectutem non vidit, vterque in adolescentia otio & voluptate senuerat.

EPISTOLA XII.

LVGDVNVM SVB VITELLIO.

IRATVS Galba stetisse Lugdunum pro Nerone pertinaci fide, ait Tacitus, Lugdunensium reditus verterat in fiscum; multus contrà in Viennenses honor, mutauit rerum vices Vitellius, amauit Lugdunum & mulctauit Viennam æmulam, sic voluebatur imperium voluente fortunâ, nouos amores afferebat nouus Imperator, & quod amabat Galba hoc Vitellius oderat: sensêre eas vices Lugdunum & Vienna, & ne vrbs vna inuideret alteri æqualem faciebat vtramque fortuna.

Quæris, Aristæ, vnde amor Vitellij erga Lugdunum, & vnde erga Viennam odium. Amabat Lugdunum Neronem & amicos Neronis, & amicus erat Vitellius; steterat pro Nerone contra Galbam; Lugdunum pro Vitellio stetit; excepit illum euntem in Germaniam, & redeuntem; adiuuit pecuniis, ait Tacitus, & penè illi imperium à militibus emit: non potuit Vitellius amare imperium & non amare Lugdunum.

Vnde autem odium Vitellij in Viennam æquè promptum est dicere; stererat Vienna pro Galba contra Neronem & Lugdunum: amare non potuit Vitellius Viennam qui oderat Galbam: auxerunt odium Lugdunenses dum memores iniuriæ Viennensis, & imminutæ Majestatis à Galba, persuaserunt Vitellio posse ditari exercitum spoliis Allobrogum, ituros se comites viæ & duces; esse se Coloniam Romanam non autem Viennam, perdendam esse vrbem rebellem quæ perdere Vitellium cogitarat.

Missus à Vitellio Valens cum exercitu pepercit vrbi non crumenis, redempta est clades triginta sestertiis seu vt æstimat Budæus septingentis quinquaginta aureis in singulos milites, & statiuis ac stipendiis exercitus Romani quandiu Romam non iret: Interea Cives exuti sunt armis ne nocêre possent, & pecuniis ne nocêre vellent: depressit animos Viennen-

sium hæc calamitas, & fecit vt in posterum amici esse Lugdunensium mallent quam æmuli.

Claudo Epistolam probro Vitellij non elogio: hic Patre ter Consule natus, & sæpè ipse Consul, semper inconsultus fuit, adolescentiam eius ne quære, Capreis illam cum Nerone & Othone perdidit; nec alius publicus fuit quam erat priuatus; quæ intra ante imperium didicerat hæc imperator exercuit; recusauit Cæsaris nomen, augurium nominis timens, fuit ipse tamen Cæsar filij sui quem occîdit, & cæsus ipse à nouo Cæsare quod fugerat augurium hoc impleuit: denique octo mensibus grassatus in Imperio à militibus Vespasiani tractus in scalas Gemonias, quibus gradibus ad Imperium ascenderat, per eosdem miser descendit: auri vorago quod ex templis extractum scortis prodigebat, projectus in voraginem infamis interiit; atque hic exitus impuri Imperatoris inter sordes, in iis vixerat.

EPISTOLA XIII.

LVGDVNVM SVB VESPASIANO.

INFELIX sub hoc Imperatore Lugdunum esse non potuit, sub quo orbis terrarum felix fuit: Quæris, Aristæ, an Vespasianus Lugdunum viderit, & an amauerit: vidit dum ex Italia in Angliam, dum ex Anglia in Italiam rediit; vidit Lugdunum & amauit; amare imperium non potuit, & non amare Lugdunum, clauem Imperij Gallici, & portam Romani.

Audi qualis Imperator fuerit. Flauius Vespasianus noua arte imperium acquisiuit Imperij fugâ; dubitauit diu an admitteret; oblatum recusauit, admissum fortiter & constanter gessit: cunctantem miles ad Imperium compulit, forte repulisset affectantem, adeò verum est nullam esse ad honores tutiorem viam quam fugam; nemo imperanti eum honorem inuidit quem sciret recusatum; prima illi cura fuit restaurare antiquam Romani nominis gloriam, & magna ipse pars gloriæ fuit: tricies in Britannia cum hoste conflixit; inde in Africam, postea in Iudæam translatus vbique vicit pro imperio, in Iudæa etiam pro Deo: Illud in Vespasiano Elogio dignum, amauit pacem homo bellicosus, cui etiam templum excitauit, quod Iano clausit: denique post trophæa belli & pacis anno absque vno septuagesimo stans obiit, & penè de morte ipsa triumphauit.

EPISTOLA XIV.

LVGDVNVM SVB TITO.

HIc quoque Lugdunum amauit, & fortè vidit cum ex Italia in Angliam cum Patre iuit, & dum cum Patre rediit: delicium fuit orbis terrarum, & terrarum orbis illi delicium: nec dubium quin Lugdunum pars deliciarum fuerit, quod pars erat delicioſa mundi: Quæris, Atiſte, qualis ante Imperium Titus, & qualis Imperator fuerit.

Titus Veſpaſianus ante Imperium dignus Imperio fuit; abſoluit victorias Patris, & Patrem vicit: vſus eſt illo Deus vt Iudæos puniret, expugnauit Hieroſolymam, & faſſus eſt eam victoriam plus habere Dei quam Titi.

Ante imperium ferox emendauit mores in imperio, & virtutem illic inuenit vbi eam plerique corrumpunt: Imago Flauij Veſpaſiani æquauit Patrem fortitudine, & liberalitate ſuperauit; adeò in omnes beneficus vt amicis aliquando diceret perdidiſſe ſe eum diem quo alicui non feciſſet benè: At vox illa auguſtior; auxi numerum ciuium non imminui; enumerauí genus humanum, nulla eſt miſeria priuata quam non ſublenarim, nulla publica quam non erexerim; impetauit duobus tantùm annis; adeo caduca ſunt quæ ſunt eximia, meruerat Titus Imperium Romanum, Titum Roma diutius non metuit.

EPISTOLA XV.

LVGDVNVM SVB DOMITIANO.

HIc Veſpaſiani filius, Titi frater, nihil Patris & fratris habuit præter fortunam: huic tamen regendæ impar fuit, homo indomitus, & ſolo nomine Domitianus: quæris tamen qualis erga Imperium, & qualis erga Lugdunum fuerit.

Ante imperium, virtutum ſpecie obuelans vitia, Patri ſimilis haberi voluit; adeptus imperium detracta perſonâ, crudelis, auarus, ſordidus ſimilem ſe Neroni probauit non Patri: nec ſago quam toga melior à Decebalo Dacorum Rege victus, empta pace de ignauia ſua triumphum egit: ne tamen arma neſcire videretur: primus indixit bellum Chriſtia-

nis, atque vt ignauiam discas, ab iis quoque superatus est etiam inermibus; denique vt haberet quos cæderet captabat muscas in palatio, & capras veru transfigebat: dignum enimuero Imperatore certamen pugnare cum muscis.

Amauit tamen Domitianus Lugdunum quod vidit, & vbi aliquandiu substitit missus à Patre in Gallias contra Ciuilem, Sabinum, & alios Imperij æmulos, at eos ante Domitiani aduentum Cerealis domuerat.

Claudo Epistolam breui elogio, Domitianus hostis muscis, musca hostibus, Lugdunensibus tamen Apis fuit.

EPISTOLA XVI.

LVGDVNVM SVB NERVA.

OCCEIVS Nerua cum apud Sequanos moraretur tyrannidem Domitiani exhorrescens, & penè fugiens arbitrio legionum, & penè imperio capessiuit imperium. Quæris Aristæ, qualis erga Imperium fuerit, & qualis erga Lugdunum.

Hic imperare coactus Patrem se Patriæ exhibere maluit quam Imperatorem: afflictas ciuitates statui meliori restituit: puellas & pueros egenis parentibus natos sumptu publico per oppida Italiæ ali iussit: quidquid tributis pœnæ nomine accesserat indulgeri voluit; grauem pœnam arbitratus esse solum ipsum tributum: publicarum iniuriarum vindex priuatarum arbiter ius omnibus reddens nisi sibi, nihil diuinius esse dicebat quam posse parcere, nihil humanius esse quam velle: Denique prudentissimus senex cum Imperij onus graue esse sentiret, adsciuit in partem curarum Vlpium Traianum, & Cæsarem dixit; neque ita multò post vertente anno excessit è viuis, securus sui in amico, & Imperij in Traiano.

Viderat Lugdunum Nerua dum ad Sequanos exercitum duceret; vidit dum post susceptum apud Sequanos Imperium Romam rediit; nec dubium est quin Lugdunenses euntem pecuniis iuuerint; nec minus certum est impositas à Galba Lugdunensibus pœnas à benigno Imperatore condonatas: beneficus erga alios dum pœnas tributorum imminuit, erga Lugdunenses iustus dum sustulit.

EPISTOLA

EPISTOLA XVII.

LVGDVNVM SVB TRAIANO.

HIc quoque Lugdunum vidit dum accepto apud Coloniam Agrippinam imperio, Romam repetiit non aliâ via quam Lugduno, audi qualem hæredem Nerua elegerit.

Extraneus Neruæ, vt hæres esse posset adoptatus est in filium, ex filio in Augustum: nec poterat Nerua consulêre ptudentius, & vtilius orbi: negauerat ei natura liberos vittus dedit; & fuit tam bonus Patri & orbi Trajanus vt meruerit appellari optimus: cum ensem Præfecto Prætorij traderet dixisse fertur, viere pro me si benè egero, contra me si male: nemo Imperator melius dixit, nemo meliùs egit.

Et fortis fuit Trajanus & magnificus; audi fortitudinem, in Septemtrione Decebalo victo primus Istrum prodigiosa lapidum mole calcabilem reddidit; in Oriente Parthos Ctesiphonte, & Seleuciâ spoliauit: Armeniæ Regem Romanis legibus parêre coëgit; de Indis spolia reportauit; & longè, latéque victor Romanum se Alexandrum iactauit.

Audi magnificentiam, excitauit Romæ Columnam illam Colosso parem inscriptam rebus suis; sed audi vanitatem humanarum rerum, non ita multo post rebellarunt subactæ Prouinciæ, Parthi impositas leges excussérunt, Iudæi in Palestina, Cypro & Asia quadringenta & sexaginta hominum millia peremerunt; ipse ab Agarenis repulsus Selinunte in Cilicia aquâ intercute, & Apoplexia correptus interiit: Cinis Romam delatus illustri pompa de morte triumphauit, & mors de Cinere.

Denique superest Columna Trajani non Trajanus, viuit in eâ fama hominis & sub illa fama: fabula est pepercisse Christum Trajano, qui non pepercit Christianis: pepercit Plinius junior, at verius Panegyricum Christi composuit quam Trajani.

EPISTOLA XVIII.

LVGDVNVM SVB ADRIANO.

HIc Lugdunum bis vidit dum Prouincias Imperij lustraret pedes, & recognosceret orbem terrarum vt ruinas resarciret: eam in rem ductabat exercitum non militum sed fabrorum, Architectorum, artificum, quos in cohortes & legiones distribuebat; nouum mili-

tiæ genus, & ante Adrianum inauditum; aperiebant se vltro huic exercitui vibes omnes; & nemo erat qui non hoc nouo militiæ genere vinci vellet.

Hoc exercitu Adrianus in Britanniâ murum ad 80. passuum millia erexit, eodem Antinoem vrbem apud Ægyptum, eodem in Iudæa vbi olim Solyma erat, Æliam Capitolinam extruxit, impio tamen vocabulo, & ausu sacrilego: hoc eodem exercitu Pontem Ælium substruxit apud Sequanos ad Dittacium oppidum, quod etiam arce muniuit, & Metropolim Prouinciæ esse voluit; hodieque vocabulo Gallico, Pontarlier nomine Ælij Adriani meminit; hoc tamen discrimen est Adriani & fluuij, fluxit Adrianus & periit, fluit hodieque exiguus fluuius, & integer viuit.

Id laudabile in Adriano, at quam multa vitiosa, ingenium varium, multiplex, multiforme, inuidum, lasciuum, auidum gloriæ & ignauum; cum Regibus pace impetrata occultis conditionibus gloriabatur tamen plus se otio adeptum esse, quam armis cæteros.

At hæc inanis gloria erat, amabat vir fictus vmbras virtutum non virtutes ipsas, adeò intolerabilis domi vt dicere solêret Sabina vxor, id vnum timuisse se ne in perniciem orbis terrarum prolem ex tali monstro susciperet. Denique vix tolerabilis sibi, ipsi seruabatur à suis ne in seipsum sæuiret, qui in multos præsertim Christianos immaniter sæuierat.

Amabat tamen Lugdunum Adrianus & amabatur à Lugdunensibus, eius amoris illustre monimentum extabat Lugduni, cuius meminit Tillius in Chron. an. C. 840. & quod cecidisse ait ann. qui mortem Ludouici Pij subsecutus est: quale autem hoc monimentum fuerit disputant eruditi; simile vero est Colossum fuisse, aut pyramidem aut molem ei similem quam Antoninus Adriano erexit. Ex eo videas quàm fidele Lugdunum fuerit Imperatoribus, & quam fidele sit Regibus.

EPISTOLA XIX.

LVGDVNVM SVB ANTONINO PIO.

Hic Adriani gener, & filius adoptiuus, siue ex pietate in Patrem & socerum, cui etiam visendam illam molem substruxit, siue ex vita multis seruata, siue ex amore in humanum genus quod liberis carens visus est adoptasse in liberorum vicem, appellatus est pius cognomine supra Africanos appetendo si pietas fuisset vera non vana.

Audi, Aristæ, qua arte rexerit orbem terrarum noua ars fuit Impera-

toribus adhuc ignota, ab Italia nunquam, vix vnquam Româ profectus, vbique tamen authoritate præsens erat: huic authoritati Pharasmenes Iberiæ Rex concessit omnia; hanc authoritatem venerati Indi, Bactriani, Hircani, hoc est ipsa barbaries controuersiarum suorum arbitrum Antoninum elegêre: tantum apud omnes valet virtus & opinio virtutis.

Præfuit imperio annis 23. & diutius præesse meruerat; vir vsque adeò mitis vt cum ob inopiæ frumentariæ suspicionem lapidibus impeteretur à Plebe Romana, maluerit rationibus allatis quam armis vlcisci iniuriam; vt mirum sit hominem natura mitissimum sæuire in Christianos potuisse: at nimirum homo plurium Deorum studiosus desperabat locum inter Deos si vnicus esset Deus.

Decreta sunt ei sacrificia, sacerdotes, & templa: sed tam hæc omnia falsa fuêre quam falsus ipse Deus: Numæ à plerisque collatus est, & fuit vterque superstitiosus magis quam pius.

Vix Lugdunum vidit, qui extra Romam nihil vidit: erudiebatur interea orbis terrarum ad veram pietatem, & Lugdunum sub Potino Præsule incipiebat esse Christianum.

EPISTOLA XX.

LVGDVNVM SVB MARCO AVRELIO, ET LVCIO VERO.

QVÆRIS, Aristæ, quales Imperatores fuerint, & quid Lugdunum ab vtroque vel altero sit passum, paucis euoluo rem satis implexam.

Marcus Aurelius Antoninus, verus Philosophus erat si sapientiam Christianam amplecti maluisset quam admirari: adoptauerat illum Antoninus in filium, nimirum similem sibi, nec facile fuisset vtrumque distinguere si annis perinde ac moribus fuissent pares.

Quam similis fuit Antonino Marcus, tam dissimilis Lucius fuit; adscitus tamen est in partem imperij, sed non virtutis: scilicet luxu & libidine diffluens vitia Adriani habuit non virtutes Antonini & Marci: simulabat tamen Philosophum vt fratrem falleret, & viuebat Epicurum: gessit tamen fortia in Oriente contra Parthos, in Septemtrione contra Marcomannos, vt mirum sit eundem hominem Martem potuisse esse & Venerem, atque in eodem Palatio habitare potuisse in duobus fratribus vitium & virtutem.

Extincto Lucio Vero post vndecim annos solus Marcus Aurelius im-

perium tenuit, verè Philosophus qui ab infantia nec vultum gaudio nec mœrore mutauit; expertus est tamen prosperam & aduersam fortunam, & oculis iisdem vtramque vidit.

Ex pluribus victoriis vnam laudo quam debet Christianis, intercluſus à Quadis Aurelius ipse & Romanus exercitus, & siti & calore erat perituros: in iis rerum angustiis passus est Legionem Christianam inuocare Deum suum: nec mora Cœlum coruscans fulminibus dissipauit Quados, & aër imbribus defluens refecit sitim, & calorem temperauit; ab eo euentu legio Ceraunobolos seu fulminatrix appellata est, & prærogatiua illustri principem locum in exercitu obtinuit, aliisque Legionibus semper præiuit, & præibat cum illa Deus.

Placet exscribere verba quædam rescripti: concedamus inquit talibus vt sint Christiani, ne quæ arma huius generis contra nos petant: Censeo autem neminem quod Christianus sit esse in crimen, & iudicium vocandum; quod si quis inuentus fuerit crimini dare cuipiam quod Christianus sit, si nihil aliud obiectum est dimitti volo, eum autem qui Christianum accusauit viuum exuri, &c. Hæc autem S. C. etiam sanciri volo; atque hoc meum edictum in foro D. Trajani proponi vt legi possit; curæ autem erit Vetrasio Pollioni Præfecto vrbis, vt ad omnes Prouincias hæc constitutio mittatur: neque quisquam qui eam exscribere voluerit prohibeatur.

Quis credat post hoc Christianæ fidei miraculum, post rescriptum honorificum, post Senatus Consultum, Imperatorem alioqui natura mitissimum, & Philosophum sæuire potuisse in Christianos? permisit tamen ipse sæuiri à Præfectis, & ipse sæuiuit edictis, non quidem publicis vt ait Tertull. in Apol. sed priuatis, quale est illud de Attalo ad Galliæ Præsidem, vt constat ex literis Lugdunensis & Viennensis Ecclesiæ ad Asianos: scilicet obsoleuerat sensim memoria accepti beneficij, & corrumpebant eius mentem mali Philosophi; & tumidus ipse humana Philosophiâ non agnoscebat diuinam: negabat miser Deum fieri potuisse hominem, & fecerat ipse Antoninum Deum.

Tunc vero illustres Cœlo Martyres Lugdunum dedit, octo & quadraginta enumerant Ado, Paradinus, Champerius in tract. de claris Lugdun. lib. 2. & post eos Theophilus Raynaudus proleg. 3. indiculi SS. Lugdunensium: inter quos Plotinus Præsul, & Blandina in Ancillæ corpore plusquam Domina, fortius dimicarunt: tunc vero Christus per senem, & puellam de profana Philosophia, & Romana fortitudine triumphauit.

At hæc & similia facinora pertinent ad Lugdunum sacrum, ego hac vltima Epistola absoluo profanum.

HACTENVS Historiam veteris Lugduni nouâ methodo scripsi, nec forrassis ingratâ: non semper incedendum est trirâ via, gratius esse solet irer quod viator facit, quam quod inuenit, & sæpè rectiores sunt semitæ, & plerunque breuiores: rogarunt sæpè viri Lugdunenses primarij vt totam Lugduni veteris, & recentis Historiam eâdem methodo scriberem: prohibuerunt duæ rationes ne id facerem, prima fuit, veterum aliquot familiarum annosa nobilitas, quæ dum creuit annis, decreuit diuitiis: altera erat, recentium aliquot familiarum glorioſa nobilitas, sed iunior æras: placêre vtrisque difficile erat, & pronum displicêre alterutris.

Laborioſos indices vtriusque Lugduni, profani & sacri, & omnium familiarum ex variis M. S. collegit P. Petrus Bullioud S. I. Lugdunensis, ex ea familia quam nemo nescit qui Lugdunum nouit: Ac vide modestiam hominis, maluit vir eruditus indicare materias quam explicare, propterea laborem suum appellare voluit Lugdunensium rerum indices. Ego ex iis indicibus se legisse me aliqua libens profiteor, & ne sim ingratus Authori restituo.

LIBER SEPTIMVS. ELOGIA POËTICA.

PERTINENT ad hunc septimum librum variæ Poëses quinque prioribus libris aspersæ, & libro octauo aspergendæ.

IN LIBRO PRIMO.

Carmen votiuum Authoris ad B. Virginem. pag. 1. & 2.
Sacra Syndon Bisontina. p. 25. & 26.
Soliloquium animi Solitarij. p. 44. & 45.
Paræneſis B. Franc. Saleſij ad ſuam Geneuam. p. 51.
Hymnus Eccleſiaſticus de Sancto Ignatio. p. 55.
Hymnus Eccleſiaſticus de Sancto Xauerio. p. 56. & 57.

IN LIBRO SECVNDO.

Vmbra Sancti Auguſtini, Poëma Theologicum de libertate & gratia. p. 71. & ſeqq. vſque ad p. 77.

IN LIBRO TERTIO.

Votum pro Ludouico XIV. adhuc Delphino, vt ſit Parenti ſimilis. p. 145.
Clauæ Herculeæ Symbolicæ, Ecphaſis Poëtica. p. 156.
Ludouici XIV. ægrotantis, Paræneſis ad fratrem. p. 159.
Votum pro Delphino futuro. p. 161. & 162.
Horoſcopus Delphini, ex Parentum aſpectu. p. 163. & 164.
Mommedij capti Proſopopeia. p. 164. & 165.
Proſopopeia Dunkerkæ. p. 167.

IN LIBRO QVARTO.

Lugduni & Maſſiliæ amabilis pugna de Alphonſo Richelio, Ecgloga ſub nomine Ariſti. p. 191.

Votum diuturnæ vitæ, pro Em. Card. Mazarino. p.207.& 208.

IN LIBRO QVINTO.

Prosopopeia Bremæ captæ, ad Marescallum Crequium. p.222.
Epistola Vrbani VIII. ad Toëtasium post seruatam Ræam. p.224.
Carmen votiuum post interitum fratris. p.269.& 270.

SYLVÆ POËTICÆ.

SYLVA PRIMA.

ARISTVS PASTOR.

PAstor Aristus erat, cui plebs dilecta bidentum
Arebat languente siti; defecerat humor
Fontibus, & tristi solus superabat Aristo
Sanguinis & lacrymarum humor; post vota, precesque,
Durus adhuc morbi causam celabat Apollo;
Optanti sit Numen amor, morboque medelam
Suggerit, vt pestem lacrymis & sanguine potet,
Et fiat fons ipse gregi; veneratus amoris
Ingenium, venam ferro scrutatur Aristus,
Ferreus ipse sibi, lacrymisque, & sanguine rorans,
Fit duplex ouibus fluuius.
Innixusque pedo, dextramque, & vulnera tendens,
Ad potum lacrymante gregem inuitabat auendo;
Currite lanigenæ pecudes, gustate fluenta,
Et latices quos fodit amor, pietasque recluse;
Ex oculis vndæ rorant, è vulnere sanguis
Profluit, hic vobis riuus decurrit vterque,
Impensis & vterque meis; ne parcite fonti.
Dum sistet supplebit amor; felicia vena
Vulnera, felices lacrymæ, si viuat ouile
Pastoris per damna sui?
Interea lacrymis pecudes, & sanguine pastæ
Explentre sitim; Pastor sæpè ipse fatiscens
Pascebat se rore suo, potuque, cibuque

Et

Et conuiua sibi; tandem quos fecerat ipse
Clausit amor latices, suffecitque omnibus vnda,
Dum nulla vnda fuit.
Senserunt gratæ pecudes Pastoris amorem,
Et memori sensu, & signis, gestuque loquaci
Pastorem coluere suum: Tu verus Aristus
Tu Pastor Christe es; Tu venas corporis omnes
Mutasti in latices, vndisque & sanguine rorans
Inuitas populos omnes ad fercula de Te,
Et potum de rore tuo. O miracula amoris!
O sortem felicem hominum! licet omnibus esse
Conuiuas Domini, & sacræ mysteria mensæ
Impensis celebrare Dei.

SYLVA SECVNDA.

CARLOMANNVS EX REGE PASTOR.

Rex olim mox Pastor oues pascebat Amyntas
Et Regem exutus sub opaci nube Cuculli
Rector adhuc, & Pastor erat.
Ecce tibi solam à tergo procul ire bidentem
Aspicit, & causam explorans plorare subaudit,
Et lacrymis sine voce loqui.
Sentit amor lacrymas, penè ipsa silentia sentit,
Et voces sine voce audit; miseratus Amyntas
Accurrit, claudaque videns insistere plantâ
Assidet, & gremio miseram amplexatus amico
Alloquitur nutu, fit amor vocalis vtrique,
Respondent, & vterque silet.
Mox plagam attrectans fractæ dedit oscula plantæ,
Palpauit blandè, lacrymis aspersit amaris,
Vnguentum fuit ille liquor; tùm fragmine vestis
Induit, & leuibus muniuit vtrimque bacillis;
Quod deérat suppleuit amor.
Crescebant vmbræ interèa, vergebat horison;
Inclinante die, grex sponte ad ouile redibat;
Adblanditus oui, ceruici imponit Amyntas
Molle onus, & placidæ surgens sub pondere molis;

Hoc cantu ſocias pecudes, ægramque bidentem,
Et proprium recreabat iter: Nunc inquit Amynta,
Nunc Regem eſſe licet, mutaui inſignia regni,
Nec Regem amiſi, totum hoc ſub pondere regnum eſt:
O onus innocuum! ô facile & tolerabile pondus!
Quam diſpar moles hominum eſt! Tua ſarcina Chriſte
Hæc fuit impoſitum ceruici attollere mundum,
Et gemuit ſub mole Deus: Tu ſarcina nobis
Chriſte leuis, legeſque tuæ tractabile pondus,
Victorem vehis ipſe tuum, Tu nobilis Agnus
Qui tollis peccata hominum: Tu me Agne tuliſti
Et pondus vis eſſe meum. O ſine pondere pondus!
O me felicem cui ſarcina Chriſtus in Agno,
Et Deus eſt Paſtoris onus: ſic ibat Amyntas
Succollans, toleranſque agnum, vidére beatæ
Aligerûm mentes Regem in Paſtore latentem,
Spectauit Deus, & riſit ſub vellere Regem,
Et Verbum ſub Rege latens: Quis ægra ſalutem
Intereà accepit, grateſque rependit Amyntæ,
Et memorem ſemper repræſentauit amorem.

SYLVA TERTIA.

ANDRODI ET LEONIS AMOR, EX AVLO GELLIO.

HÆREBAT laceri plantæ defixa Leonis
Spina nocens, ſtrictuſque rubi mucrone gemebat
Difficilis plorare Leo: ſubtile foramen
Febris erat, ſæuuſque dolor: ſic lædit acumen!
Nec morbo medicamen erat, quis enim audeat eſſe
Languentis medicus, vix tangere tentet Apollo,
Ægrotum medicina timet, vox ipſa timetur,
Et terret plorando Leo.
Fortè ingreſſus erat ſpeluncam Androdus inanem:
Ignarus quæ tecta hoſpes, quæque antra ſubiret:
Dum ſedet, ecce Leo veteris redit incola rupis,
Et Regem ſe voce probat, perterritus hoſpes,
Ex antro reſponſa petit, propiuſque Leonem

Aſpiciens triplici miratur ſiſtere plantâ;
Fit triplex ea planta tripus vnde omina ſumat;
Mox vbi ſingultus audit, rorantiaque ora
Aſpicit inuitis lacrymis, ex indice morbum
Colligit, & medicum fingens, blandumque ſalutans,
Vt valeat ſine voce rogat, loquiturque figuris;
Quot loquitur natura modis! vocalia ſenſit
Signa leo, caudâque loquens, reddenſque ſalutem,
Se primùm proſternit humi, medicumque ſedere
Inuitat, lacereque oſtentans vulnera plantæ,
Poſcit opem mutis lacrymis, geſtuque meretur;
Androdus plantam attrectans, vngueſque recuruos,
Quos cicures faciebat amor, tandem indice tactu
Hærentem ſenſit ſpinam, telumque reuellens
Expreſſit ſaniem, libauitque oſcula plantæ;
Et plagam obſignauit amor.
Quis numeret mutas grates, mutuſque leonis
Vocales ſine voce? diu fuit hoſpes & altor,
Et medici conuiua ſui; nec finis amorum
Sylua fuit, captus tandem & damnatus vterque
Ad pugnam iam promptus erat; cum vtrique recurrit
Sylua, & amor; primuſque Leo veneratus amorem,
Blanditur caudâ memori, veſtigia lambit,
Et geſtu loquitur; nec ſegnior oſcula figit
Androdus, palpat veterem, & reſalutat amicum;
Et Circo fit ludus amor, Roma ipſa triumphum
Audiit, & flores vtrique hoc carmine ſparſit.
Ecce homo Chirurgus læſi, medicuſque leonis;
Ecce leo ſeruus Chirurgi, & ſeruus amoris.

SYLVA QVARTA.

ALEXIS ET LEONIS AMOR ALLEGORICVS.

Lapsvs in obſcuram ſpeluncam Leo triſte gemebat,
Et gemitus regalis erat; forte ibat Alexis
Venatum; mixtos gemitus rugitibus audit
Apparetque etiam plorans Leo.

Attonitus, viuæque legens vestigia vocis
Substitit, & pronus videt altæ in gurgite fossæ
Captiui speciem Regis, qui supplice caudâ,
Vocali capitis nutu, mutâque palæstrâ,
Plus loquitur quam verba sonant, miseratus Alexis
Promittit quam nescit opem.
Omnia lustranti circum, dum singula desunt
Auxilium suggessit amor: decisa iacebat
Quercus humi, hanc humero & manibus versare laborat,
Supplet amor vires, tandemque aduoluit vterque,
Et tamen vnus erat.
Deuoluensque monet gestus clamore Leonem
Excipiat syluam labentem, aptèque reponat,
Et pontem struat ipse sibi: nec segnior ille
Succollat, pontique subest pons ipse futuro,
Et solidum sibi fundat iter: mox impete facto
Insiliens, plantis quercum transcendit aduncis,
Et grauis incessu patuit Leo: mox vbi terram
Attigit, aduoluenti corpus, caudaque, iubisque,
Supplicibus, Dominum promus veneratur Alexin,
Libertatem offert, promptumque ad iussa Leonem,
Et famulum sub Rege canem.
Ingenium, sensumque feræ miratus Alexis
Accumbens collo, palpansque, iterumque remulcens,
Admisit famulum, & dominum promisit amicum.
Iamque domum omissa prædandi mente redibat,
Contentus Rege in prædam, cum Ceruus anhelans
Hoste procul misso maiorem incautus in hostem
Incidit, & Regem agnoscens, subdique recusans
Securum properabat iter: sed præpete saltu
Insiliens, vrgensque Leo, plantâque recuruâ
Suffigens, captumque tenens ostendit Alexi,
Et seruum facit ex ceruo: mox vngue retorquens
Ceruicem, torsit vitam & spiracula vitæ,
Dorsoque imponens victori imbelle cadauer,
Ibat ouans Rex & famulus.
Iam villæ vicinus erat, cùm exterrita coniux,
Et pueri exclamant gemini formidine monstri:
Horrorem dominæ sensit Leo, parteque monstri
Depositâ, collo, & caudâ, gestuque loquaci
Se famulum mutus clamat, fingensque molossum,

Luſit, & horrorem blando correxit amore.
Ne tamen aut catulus tantùm, vel Simius eſſet,
Aſſiduus venatum ibat, prædaſque reportans,
Præda Leo, & prædator erat:
Denique poſt aliquot ſoles armatur Alexis
Ad ſacrum cruciger bellum, cum Gallia miles,
Totuſque eoum veſper migraret in orbem,
Et Reges ſub Rege Deo.
Senſit iter bellumque Leo, nec voce iubentis,
Nec terrentis heri potuit clamore teneri
Ne veniat comes; hac tantum non parte fidelis
Dum tentat retinére fidem; ne ingratus abiret,
Colloque & caudá grates vndante rependit,
Verbaque ſuppleuit rugitu.
Ventum erat ad Naues, & Nauita vela parabat,
Vt videt horrendum naui ſe inferre Leonem,
Quis nobis hæc audet, ait, producere monſtra,
Monſtrorum ſatis æquor habet, cur addere monſtris
Monſtra iuuat? non hæc portenta expectat Idume,
Portentis iam plena ſuis, petit arma, viroſque,
Poſcit Equos, non indociles ad bella leones:
Exeat e Naui, non eſt hæc ſylua ferarum,
Ipſe homines non monſtra vebo, ſanére querelis
Turba tremens, cauſamque metus excedere naui,
Communi clamore iubent; nulla inquit Alexis
Nulla metus cauſa eſt, hæc ſola figura leonis,
Naturam mutauit amor; ſed plura parantem
Dicere, muſſantis vetat indignatio turbæ,
Et vocem, nauimque negat.
Opprobrium Domini ſenſit leo, iamque parabat
Vlciſci, & ſenſim monſtri natura redibat,
Aſpexit, nutuque iras placauit Alexis,
Eductumque foras verbis affatur amicis;
Arrecta ſtetit aure leo.
Diuidimur tandem, Deus hæc diuortia fecit,
Nec decet vlterius Regem ſeruire leonem,
En tibi ſyluarum regnum natura redonat,
Donaui quod ſæpe tibi; nec longius hoſpes
A Patria diſtas, vbicunque eſt ſylua ſpecuſque
Hîc patria eſt, regnumque tuum; tibi cymba negatur,
Nec digna eſt te Rege ratis; nec plura locutus

Palpauit, mulsitque iubas, atque oscula fixit
Ingressusque ratem iussit retinacula rumpi,
Et mundi interrupit iter.
Quid non audet amor? quis amori imperuius orbis?
Inueniet si desit iter; fugiebat Alexis,
Vt sensit fugisse leo, testatus amorem
Rugitu, medias pronum se immittit in vndas,
Et quærit quod nescit iter; primo impete saltus,
Moleque membrorum tractus maris ima petebat,
Vt sensit discrimen amor, ceruice prehensum
Sustinuit, plantasque mouens, caudamque gubernans,
Edocuit quam siccus adhuc nesciuerat artem,
Ibat ouans, Regemque Leo per cærula fingens,
Rugitu terrebat aquas; vidére natantem,
Et timuére maris populi, spectauit Alexis
Et lacrymis animos dedit, ille vt sensit Alexim
Attollens caput, & caudâ super æquora ludens
Blanditur qua parte potest, miseratus Alexis
Hic inquit vos tangat amor; succurrite amori
Dum natat, & Dominam in famulo defendite vitam,
Non solus moriere Leo, tecum ibit Alexis;
Iamque ibat; mouit Nautam certamen amoris;
Viuat vterque inquit, digna est ea pugna salute,
Vicisti moriendo Leo, recreatus Alexis
Porgit vtramque manum, socij adiuuére trahentem,
Adiuuit sese ipse Leo, saltuque superbo
Insilit in nauem, roranteque excutit vndas,
Et mortem permixtam vndis.
Mox caudâ, colloque loquax, mutaque figurâ
Facundus, Dominam nauim sine voce salutat,
Et grates quas nescit agit.
At toto Dominum gestu proclamat Alexim,
Palpatusque manu, & nutu procumbere iussus
Procidit, exercensque canem, fingensque molossum,
Simium agens, famulus nauis, custosque, vigilque,
Et ludus sub Rege fuit.
Denique sub Domino terras lustrauit eoas,
Sub Domino rediit, plenusque fidelibus annis,
Occidit, elogio dignus Leo, dignus Alexis.

PROSOPOPEIA ANGLIÆ POST RÆANAM INSVLAM OBSIDIONE LIBERATAM.

ANGLIA *quam felix olim! cum sceptra, crucesque*
Dextra meas dispar gereret, cum sacra profanis
Differrent, nec frons eadem vittasque, apicesque
Præferret, geminoque humerus sudaret in ostro;
Ex quo permixtum est sacræ diadema Tiaræ
Cuncta tulit sublata fides; sed damna vetusta
Quid memoro, grauius præsenti clade fatigor,
Et vereor ne sint venturæ ostenta ruinæ.
Illa ego cærulei quondam regina profundi,
Victrices cuius classes & simus Iappon,
Et Sinæ imberbes, orbique incognitus orbis
Victus adorauit, timuerunt cætera vinci:
Illa ego post toto collectas æquore prædas,
Vincor Ræanæ fatali in limite terræ,
Ignotosque orbi portus, & laudis egentes
Vt clade attollam memori, nomenque decusque
Et palmas humili ridenda in littore pono;
Et nunc Ræa meis illustris, & inclyta damnis
Ostentat probrosa meæ monimenta ruinæ;
Hic limes rerum, & triplex hoc funere regnum
Mergitur, angustoque cadit magna Anglia portu.
At non Villeri non hæc promissa dedisti,
Cum tecum abducens delectæ robora pubis,
Et puppes, & signa meis spirantia Pardis,
Et gazas, & opes, & vectigalia fecli
Venturi, & seris pendenda nepotibus æra,
Lugentem, patriaque omnes de laude monentem
Iussisti certos Franca de Gente triumphos
Sperare, & nostris labyrinthum texere in hortis,
Lilia vbi plantis sterent captiua sub Anglis;
Et nunc tota tibi sterilisque, & inutilis æstas
Exiguæ periit consumpta in cespite terræ,
Quam propriæ auulsam sedis radice per auras

Aut rapere, aut vastæ potuisti imponere classi,
Vile onus, & terris sulcandam inferre britannis:
Interea dum tu lento trahis otia portu,
Obsessus turres, & mœniâ substruit hostis,
Et quas non patitur contractior insula moles,
Extendit vacuo vaga propugnacula Olympo,
Et cœlo spatium petit, ædificatque per auras:
Hæc vita obsessis, dumque ori fercula desunt,
Membra labor, virtusque animos spe lactat alumna,
At Tibi vix toto pretiosa annona profundo
Conuehitur, pigrisque cibis elementa laborant,
Nec satis in sumptus est Anglia: quæ magis vrit
Me cura, & grauiùs turpis pudor inficit ora;
Nec centum ingentes pinus, nec in æquore sylua
Arboribus densata meis, nec miles & arma
Angustos potuere hosti defendere portus,
Et clausas prohibere vias; pudet acta referre,
Bisdeni exigui lintres, quos obuia classis
Excipere, atque aluo potuit sorbére capaci
Exiguam ventris prædam, tamen agmine iuncto
Transtra per, aduersasque trabes, tensosque rudentes,
Per cœli noctisque vmbras, per tela, per enses,
Per flammas, piceamque diem, perque omnia clausa
Inuenére viam, portuque inuecta supellex
Fertur in obsessas arces; hæc quisquis ô olim
Accipies, ne ficta puta, nec dum æquora clausa
Obsessosque audis, & classe & milite portus,
Supplementa famis celeres delata per auras,
Aut cœlo delapsa puta; quo credere possis
Emeritos, primisque pares heroïbus ausus,
Iurata in proprium testor victa Anglia probrum,
Vulneribusque meis, & certo sanguine signo.
Quid referam euentus belli? iam littore victor
Infert se terræ Francus, committitur impar
Pugna, cadunt, fugiunt Angli, terrâque marique
Vincor, nec numerus prodest, nec tela, locusque,
Quod potuit fauisse nocet; premit arduus hostis,
Imminet, incumbit, ferit, & dum plurimus instat,
Instandi spatium totus rapit; vna securis
Vt perhibent, truncos quinque à radicibus imis
Subruit, emeritâ deinceps falx digna sub vmbra

Cessare,

Ceſſare, & ferias illuſtri hoc ducere verbo
Et Meſſi falx vna ſatis: quos denique viuos
Non poterat vix tam breuior capit inſula caſos,
Inque nouo natat Oceano, ſternuntur vbique,
Fitque alter caſus primo, exitiumque ſequenti;
Strata iacent breuibus denſata cadauera glebis,
Nec ſatis in tumulos tellus patet; æquora turpes
Relliquias inuita ferunt, patriæque remittunt.
Has ego relliquias vt vidi, & inania tranſtra,
Et vacuas armis puppes, quas milite plenas
Miſeram, vt æqualem numerum velorum, hominumque;
Anglia, vixiſti dixi, Rupella ſtetiſti;
Nunc mecum tua fata ruunt, ſed prima peribis,
Præludent tua fata meis.
Hæc tamen hora mea eſt, hanc ſi ſciat Indus vterque
Clade mea fatalem horam, ſubſannet vterque
Indus, & extremo vincet me Francus in orbe.
Quanquam ego quid metuo? hæc aliis ridenda ruina,
Exoptanda mihi, properant fata illa beata,
Fata, quibus regnis virtus proſcripta britannis,
Et pietas, & ſancta fides armata redibit,
Vnde armis expulſa fuit; rurſum Anglia Cælo
Florebo, rurſumque meos Edoarde per hortos
Fragrabis, veſtro hi flores de ſanguine ſurgent
Heroes fidei, tua erit, tua gloria France,
Ludouice veni, meritamque vlciſcere gentem,
Dummodo flagitij virtus vindicta, meaque
Perfidia ſit pœna fides, dumque Anglia Franco
Iungitur, vna fides Francis dominetur, & Anglis.

LVDOVICO XIII.

CARMEN PANEGYRICVM,

OB EXPVGNATAM RVPELLAM.

PARS PRIMA.

APPARATVS AD BELLVM, ET FACTIOSA REBELLIVM Consilia, hæresis Rupellæ furit, rebellionem consulit, in Angliam trajicit, bellum suadet, inde volcas dum petit, Lugdunum peste inficit, Nemausum turbat, Rupellam redit, vnde dum nuntius Anglus redibit capiendus prædicitur.

ANTONICI *Domina Oceani, Regina rebellis*
Rupellæ, Allobrogù proles, & Alumna Geneuæ,
Hæresis, vt fama vulgante, & conscia corda
Flagitij stimulante metu sibi bella parari
Sensit & vltrices pœnas. Nunc hæresis inquit
Grande aliquod molire nefas, quod crimine partum est
Seruetur scelere imperium, quid lenta verèris?
An scelus, an Regem? magnæ hæc ludibria mentis,
Cui semel in ludo Deus est; ex quo impia Regem,
Et graue prægnanti excussi de pectore Numen
Nulla animum iam culpa grauat; mihi Numinis instar
Arbitrium, & vitij ac virtutis norma libido est:
Quod si quæ virtutis adhuc per lumina mentis
Flamma micat, bello intereat; fit martia virtus
Quod pacis graue crimen erat; macte inquit Erynnis,
Quid metuis? suprema licent cui extrema parantur;
Vndique suppetias coge vndique, sydera, terras,
Atque Erebum sub signa voca, quodcunque fauebit,
Hoc Regem Numenque puta; si desit Olympus
Tartarus auxilio veniat, cui noxia virtus
Huic crimen Deus esse potest; mors, funera, cædes,
Pestis, & innocuæ dirissima nomina Pacis
Sæpè inclinatis sunt prospera nomina rebus.
Dixit, & horrendum infrendens tota vrbe rebelles
In Regem furias despumat, prima veneni

Incantamenta afflati ſenſére Miniſtri,
Gens impoſtorum eſt alienæ addicta ruinæ,
Cui fratrum pretioſa fides, virtuſque, ſaluſque,
Vitaque prætentæ luduntur imagine formæ.
Hinc viduam Matrem petit, huic duo pignora lecti
Euruſque & boreas, nec inani nomine dicti,
Hos mulier vana ad dextram lævamque locare,
In medio ipſa velit ſolio Zebedæa ſedére,
Hæreticæ tria fulcra domus: hæc regia vota
Hæreſis, & ſacros regnandi ex ſuſcitat ignes.
En ait æquales vobis fortuna coronas,
Et triplex diadema parat: qui maximus annis
Auſtrales Volcarum oras, Albamque, Nemauſumque
Imperiò regat, & Romæ monimenta vetuſtæ
Euertat, ſtatuatque nouæ myſteria Romæ:
Oceani fines Aquilo, terraſque natantes,
Littoraque, & regnis habeat vicina Britannis,
Rex minor Oceani: Rupellæ Regia Mater
Æternam Imperij ſedem & Capitolia fundet,
Ipſa Orbi Papa, & Myſtes oracula reddat,
Gallia Caluino credat, Rhenuſque Luthero.
Hæc mea mens, & ſi pendentem euoluere nubem
Bellorum liceat, vobis hæc aurea fila
Lanificæ, & triplex properant diadema Sorores:
Ecce ſed in veſtram armatur irata ruinam
Gallia, prætentas inſtigat Roma querelas,
Exequitur rubeus Cardo: Rex credere pronus,
Et facilis quocunque ſequi: gens prodiga vitæ
Nobilitas, rubri ſequitur vexilla galeri,
Et pax in trabea, totumque in Cardine bellum eſt.
Opponenda armis ſunt arma, altaribus ara,
Romanæ Rupella Petræ, Rupique tuendæ
Patroni tutela orbis: ſi calce ſuperbo
Subiectum proculco ſolum, inclamatus ad arma
Tartarus, & iuſſi ſurgent ad bella Gigantes:
Sed nihil auxiliis opus eſt, cui publicus æther
Militat, Oceanus famulas ad iuſſa procellas,
Et vectigales aduoluit ad oſtia fluctus:
Quid claudi Rupella times, cui mundus aperto
Oceano, latoque fluunt Elementa canali?
Quare age Rupellâ generoſa includere Mater,

LVDOVICO XIII.

CARMEN PANEGYRICVM,

OB EXPVGNATAM RVPELLAM.

PARS PRIMA.

APPARATVS AD BELLVM, ET FACTIOSA REBELLIVM Consilia, hæresis Rupellæ furit, rebellionem consulit, in Angliam trajicit, bellum suadet, inde volcas dum petit, Lugdunum peste inficit, Nemausum turbat, Rupellam redit, vnde dum nuntius Anglus redibit capiendus prædicitur.

ANTONICI *Domina Oceani, Regina rebellis*
Rupellæ, Allobrogis proles, & Alumna Geneuæ,
Hæresis, vt fama vulgante, & conscia corda
Flagity stimulante metu sibi bella parari
Sensit & vltrices pœnas. Nunc hæresis inquit
Grande aliquod molire nefas, quod crimine partum est
Seruetur scelere imperium, quid lenta verèris?
An scelus, an Regem? magnæ hæc ludibria mentis,
Cui semel in ludo Deus est; ex quo impia Regem,
Et graue prægnanti excussi de pectore Numen
Nulla animum iam culpa grauat; mihi Numinis instar
Arbitrium, & vitij ac virtutis norma libido est:
Quod si quæ virtutis adhuc per lumina mentis
Flamma micat, bello intereat; fit martia virtus
Quod pacis graue crimen erat; macte inquit Erynnis,
Quid metuis? suprema licent cui extrema parantur;
Vndique suppetias coge vndique, sydera, terras,
Atque Erebum sub signa voca, quodcunque fauebit,
Hoc Regem Numenque puta; si desit Olympus
Tartarus auxilio veniat, cui noxia virtus
Huic crimen Deus esse potest; mors, funera, cædes,
Pestis, & innocuæ dirissima nomina Pacis
Sæpè inclinatis sunt prospera nomina rebus.
Dixit, & horrendum infrendens tota vrbe rebelles
In Regem furias despumat, prima veneni

Incantamenta afflati ſenſére Miniſtri,
Gens impoſtorum eſt alienæ addicta ruinæ,
Cui fratrum pretioſa fides, virtuſque, ſaluſque,
Vitaque prætentæ luduntur imagine formæ.
Hinc viduam Matrem petit, huic duo pignora lecti
Euruſque & boreas, nec inani nomine dicti,
Hos mulier vana ad dextram lævamque locare,
In medio ipſa velit ſolio Zebedæa ſedére,
Hæreticæ tria fulcra domus; hæc regia vota
Hæreſis, & ſacros regnandi ex ſuſcitat ignes.
En ait æquales vobis fortuna coronas,
Et triplex diadema parat; qui maximus annis
Auſtrales Volcarum oras, Albamque, Nemauſumque
Imperiò regat, & Romæ monimenta vetuſtæ
Euertat, ſtatuatque novæ myſteria Romæ;
Oceani fines Aquilo, terraſque natantes,
Littoraque, & regnis habeat vicina Britannis,
Rex minor Oceani: Rupellæ Regia Mater
Æternam Imperij ſedem & Capitolia fundet,
Ipſa Orbi Papa, & Myſtes oracula reddat,
Gallia Caluino credat, Rhenuſque Luthero.
Hæc mea mens, & ſi pendentem euoluere nubem
Bellorum liceat, vobis hæc aurea fila
Laniſicæ, & triplex properant diadema Sorores;
Ecce ſed in veſtram armatur iurata ruinam
Gallia, prætentas inſtigat Roma querelas,
Exequitur rubeus Cardo: Rex credere pronus,
Et facilis quocunque ſequi; gens prodiga vitæ
Nobilitas, rubri ſequitur vexilla galeri,
Et pax in trabea, totumque in Cardine bellum eſt.
Opponenda armis ſunt arma, altaribus ara,
Romanæ Rupella Petræ, Rupique tuendæ
Patroni tutela orbis; ſi calce ſuperbo
Subiectum proculco ſolum, inclamatus ad arma
Tartarus, & iuſſi ſurgent ad bella Gigantes:
Sed nihil auxiliis opus eſt, cui publicus æther
Militat, Oceanus famulas ad iuſſa procellas,
Et vectigales aduoluit ad oſtia fluctus:
Quid claudi Rupella times, cui mundus aperto
Oceano, latoque fluunt Elementa canali?
Quare age Rupellâ generoſa includere Mater,

Oceano volitet Boreas, ego Regna Britanni
Perluſtro, hinc volcas adeo, Rupemque reuiſo.
Hæc ait, & blandum inſpirat per membra venenum,
Infremuit Mater, peſtemque admiſit amicam.
Infelix mulier, magni infelicia partus
Pignora! magnanimæ quæ non decora inclyta famæ
Ferretis? ſi rectus amor veſtra arma mouéret,
Nunc mendax vos zelus agit, nunc bella parantur
In quibus & vinci turpe, & victoria probrum eſt:
Eia agite, & Regi heroës vos ſubdite veſtro;
Tunc ego præteritæ delebo opprobria famæ,
Et Matrem, natoſque, & auitæ laudis honores,
Tranſcribam memori ventura ad ſecula laude.
Interea Oceano furiata excedit Erynnis,
Fatalis quacunque infert veſtigia plantæ,
Fatalis ſpargit lethalia grana veneni:
Contactu intumuit pelagus, vidére natantem
Xantonicæ ripæ, viſuque hauſére venenum;
Itius obſtupuit portus, dumque eminus alba
Lilia miratur picto efflóreſcere dorſo,
Non inquit pietas, non hæc tibi lilia virtus
Impreſſit tergo, non hic decora illa geruntur,
Periuræ memini voluiſti imponere fronti,
Hoc ſcelus, & tergo inſculptæ veſtigia culpæ;
I mala in extremos nunquam reditura Britannos.
Ipſa Anglos penetrat portus, mentita decoros
Nobilis inceſſus Franci, barbæque triſulcum
Cuſpidem, & errantes humeris colloque capillos,
Oraque, millenoque oculatas lumine veſtes,
Hoc tantùm diſpar, ficti hæc mendacia vultus,
Nil Francus mendacis habet; tùm forte recentis
Villerius nondum deterſo puluere probri
Aptabat laceras Reanæ è clade carinas,
Reliquias Schomberte tuas, tua fortia facta
Toëraſi, & præluſa meæ certamina Muſæ.
Sollicitum, & mœſtæ tergentem opprobria frontis
Sic Eques aggreditur, quid te dubij alea Martis
Sollicitat? caſu Francus, tu Marte ſecundo
Viciſti, quod nox hoſti, quod profuit æſtus
Oceani, quod non nocuit temerarius error,
Hic ludus fortuna tuus; quod nauibus æquor,

Quod per te Alitibus fuerit vix peruius aër,
Quod bello acciſæ vires, quod turpis egeſtas,
Dedendæ leges, & fœdera ſcripſerat arcis,
Hæc animi ſunt ſigna tui: ſed vicerit hoſtis
Hoc ſi viciſſe eſt Rœa exceſſiſſe Britannum,
Hæc reditu delenda fuga eſt, non altera Rœa
Eſt caſtris vallanda tuis, Rupella tenenda eſt:
Illa tuos ſupplex ad propugnacula Pardos
Explicat, illa Anglo claues, & lilia monſtrat:
Non ſerta hæc ignota tibi, dudum illa Britannis
Inſuéuere hortis, & labro prona repando
Reginam agnouêre Roſam: repete Anglica iura
Et veteres regni titulos, & Patria ſceptra,
Amiſſæ purs magna rei ſub iura redibit,
Dum ſiet Rupella obſes? quondam illa Britannis
Seruiuit non ſponte Roſis, nunc obuia claues
Mittit, & abſentem inuitat per mœnia Regem,
I celer, & plenis ingreſſus in oſtia velis,
Scande arces vbi picta Angli iam regnat imago.
Hæc ait, atque animo flores, & lilia pingit
Sub Dominis captiua Roſis: hinc alite greſſu
Ad Volcas rapitur: quacunque incedit odorem
Tabificum, & ſtygij ſpargit contagia roris:
Hæc peſtis cauſa, & graſſantis origo veneni:
Caluinum perhibent animam cum efflaret Auerno,
Hæredi populo dirum hoc mandaſſe ſupremis
Flagitium tabulis, bello cum cætera déeſſent
Auxilia, vt peſtem cognato accerſeret orco,
Ibat, & infames morbos ſub ſigna vocabat,
Lugduno tranſiſſe ferunt, ibi ſemina morbi
Sparſiſſe, & centro Regni inſeuiſſe venenum,
Vnde in finitimas late ſuccreſceret oras:
O ſcelus ô dignas flammis, plumbique liquentis
Rore manus, video vt peſtes, & clauſa ſerarum,
Anticos valuarum obices, & garrula roſtra
Fontium, & horrentes dumos, idæaque poma,
Incultas inopum vites, inarataque rura,
Perfundunt ſanie, quin & luſtralibus vndis;
Templorum ſtygij miſcent mala ſemina roris,
Cui parcat? quæ ſæua Deo non parcit Erynnis!
Iamque ad Volcarum fines delata Nemauſum

Deuolat, hic Euro rem totam ex ordine pandit,
Tentatos Anglorum animos, iurataque belli
Fœdera, & armandam communi milite classem,
Rupellæ Dominam Matrem cum fratre relictam,
Et tu, inquit, misce ciuilibus omnia turbis,
In patriam ciues, iurataque fœdera Regum
In regnum committe vnum: nec damna verêre,
Dum tibi diuisæ veniat pars vna Coronæ,
Hoc munus turbare tuum: si sacra profanis,
Fatalique orbem possis miscére querela,
Tunc perturbatis pulchros Delphinas in vndis,
Liliaque, & pleno piscaberis æquore sceptra.
Hæc ait, & leuibus pennis sublata Geneuam
Tendit iter, terras vicina lacumque salutat
Natalem: his primùm fertur concepta sub auris,
Caluini, matrisque stygis Cocytia proles!
Hic nigri visuntur adhuc cunabula partus,
Et tectum, & diris vlulatæ vocibus ædes,
Expuncta tabulæ, & præsenti numine templa
Exhausta, & vacuis cœnacula plena figuris.
Musa stile patriâ quid coniurarit in vrbe
Hærcsis, & cœtus, & fœdera conscia noctis,
Et stygios Manes ad Sacramenta vocatos.
Vitales referunt dum monstrum infame sub auras
Exiret, tota ad partum natura vlulante,
Et natum execrante scelus, coiisse Geneuam
Tænareos cœtus, vbi Franci funera Regni,
Et fidei, & sacra iurata incendia Romæ:
Consiliis Erebi offensus subscripserat aër,
Illatas numerat messis centesima cædes:
Nunc Senio, & morbo monstrum frigente laborat.
At stygiæ rursus coëunt ad fata cateruæ,
Quis numeret medicas artes, & pharmaca longe
Quæsita, & Reges ad testamenta vocatos,
Non ita post Angli cognato nomine Regis
Promissam laturus opem legatus adibit,
Sed dum imprudenti relegit vestigia gressu,
Borbonides heros casses & retia ponet,
Et meliore dolo peregrinum fallet Vlyssem,
Et quas implicuit nodosis artibus artes
Soluet, & ignotis ænigmata tecta figuris.

Dicitur hic magnas Europæ iuisse per vrbes,
Iuratamque fidem, & sociorum fœdera Regum
Scripsisse ægroto medicamina regia monstro,
Et nisi fata obstent, & Regi Numen amicum,
Inuisam monstro potuit reparare salutem,
Sed fidei LODOICE *tuæ fata vltima monstris*
Debenturque tuo vitiorum funera Regno.

PARS SECVNDA.

OBSIDIO RVPELLAE, REGIS MORBVS, DEIPARÆ AVXILIVM, TERRESTRIS OPPVGNATIO, agger in mari extructus, aduentus Spinolæ in castra, geminum cum Anglis nauale certamen.

REANIS Anglum interea pulsurus ab oris
Festinum Rex ibat iter: cum languida febris
Regalem ad villam generosi incendia Regis,
Atque animos Regni penè vno frigore mersit.
Dicitur hæc inter gelidæ tentamina febris
Præsentem sensisse Deum, sed & alma polorum
Regina affusæ morbum medicamine lucis
Tersit, & affatu Regem demulsit amico.
O Cœli LODOICE *fauor, tua vita Tonanti,*
Et mores placuére pij, talem esse decebat
Sub cuius mereat virtus stipendia signis,
Et ferrum miles pietas in crimina stringat;
Venturos metire dies, tibi tertia palma
Anglus erit, neue obsequium Rupella recuset,
Parebunt Elementa priùs, natura præibit
Obsequio, fideique viam miracula sternent.
Dixit, & in cœlum leuibus se sustulit alis,
Ascensu testata Deam, donoque parentem.
Musa stile angustis Reanæ in finibus oræ
Mactatam Anglorum laudem, transmissa natatu
Æquora, & inuentos per clausa elementa regressus,
Et pulsos pelago sine classe, atque hoste Britannos.
Hæc olim cantata meæ præludia Musæ.
Gallia si nosses proprias in prælia vires,

Quantùm vndis terraque vales, pridem orbis vterque,
Et Turca, & Solymi colerent tua lilia flores,
Quæ pugnæ, quæ palma tuo sine sanguine parta?
Quæ plaga, quæ regio Arctoæ sub frigore Zonæ
Non armis tentata tuis? te milite nuper
Verrucam Italiæ, terrarum ignobile punctum,
Non domuit gemini victrix Hispania mundi:
Per te Raano iacet Anglia littore victa
Hoc titulo, venit Leopardo audacior Anglus,
Vt Lepus occultas anfugit in Anseris oras,
Qui Gallis olim nocuit, nunc profuit Anser.
Et iam relliquiæ Anglorum, viduataque Classis
Milite, & æqualis numerus velorum, hominumque,
Fugerat explosus Gallis, nec ab Ansere tutus.
At Rex sollicitus fatis, & Virgine Matre
Promissam monstrante viam, sequor, ô sequor, inquit,
Magna Parens, sunt ista tui monimenta fauoris,
Te bellum Rupella manet, tu petra rebellis,
Tu fundamentum erroris, fideique Charybdis,
Nec turres, nec me tua propugnacula terrent,
Nec mare, nec gemini duplex tutela elementi,
Vel si communis tecum natura rebellet,
Ibo audax contra, Christo Duce, & auspice Matre.
Hæc ait, & litui sonitu conclamat ad arma:
Campus erat bibulo terræ præruptus hiatu,
Muta palus, stagnum fallax, loca lubrica saltu,
Ante vrbem superanda palus: quot bella, quot hostes
Vincendi, vt propius tandem pugnare liceret?
Sed quò dum loquimur Regem mauortius ardor,
Abripuit, iam se Maiestas Regia totis
Explicuit campis, iam lumine mœnia cinxit,
Iam vultu obsedit, iam nutu castra locauit,
Imperio respondet opus; cum milite ductor,
Cum ducibus miles, permixti vtrisque calones:
Certatim incumbunt operis gradus omnibus idem,
Obsequiis mandata sequis Rex sparsus vbique
Imperiis onera exæquat, vultuque laborem
Subleuat, atque animos præsenti laude coronat.
Garrula quid tantùm Manuelem Græcia iactas,
Quod lapides humeris veheret, qui diuite gemmâ
Sublimis ferri potuit: Quid Roma Neronem

Quod

Quod mundum, corbemque humero gestaret eodem;
Quid Constantinum quod fossæ pondera terræ,
Egereret dorso, vili sub pondere maior,
Quam dum humeris victi sustentat pondera mundi;
Non minor exemplo Lodoicus pondera tactu
Prælibat, tactuque suo leuiora relinquit.
Plus oculi fecêre manu, duo sydera dicas,
Sic onera illustrant radiis, sic robora fessis
Inspirant, siccantque expressas frontibus vndas.
Iamque nouæ Rupellam arces, noua mœnia cingunt,
Iam tres metitur communis linea leucas,
Debuit hæc zona vndantem cohibere furorem;
Sed terræ quid claustra iuuant, dum littus apertum,
Clausum aperit captiuæ orbem; secura sedebat
In portu, nutuque Anglum Rupella vocabat
Auxilio, certæ promittens lilia prædæ.
Quæ clades metuenda mihi, si sola resisto?
Quæ pugna æqualis si non mecum æmula pugno?
Quid possim vincendo scio; nisi Numina mecum
Bella gerant, victi fient mihi victima Reges:
Sydera si pugnent, pro rupe armabitur orcus;
Naturæ, dominæque artis me robora vallant,
Vt vincar, mecum pereant elementa necesse est,
Terrarum quid claustra times, cui regna profundi,
Et gemini pelago prostant commercia Cœli.
LVDOVICE *tua est vincendæ gloria rupis,*
Nobilior tanto victoria surget ab hoste,
Iam cessêre tibi terræ, mox æquora cedent.
Calliope extructum cane formidabile vallum,
Impositum Oceano vallum, quod serior ætas
Dum leget, ô homines nunc dicet, secula Patrum
Artifices habuêre Deos! Qui condidit author
Dum stupet in mediis manibus miracula nasci.
Vix credit quod fundat opus: vestigia miles
Imprimit; & medio securus in æquore ridet
Hinc ignes Rupella tuos defensus ab vndis,
Hinc vndas Neptune tuas hoc aggere tutus.
Principio trunci & procêræ fragmina quercus
Defixa Oceani fundo, directaque ligna
In quadrum, sectasque cruces, & propede talo
Erectæ in decliue trabes, vt missa saburra,

Et lapidum, & rupta vagrandia pondera rupis,
Hærerent ſyluæ implexis denincta lacertis.
Hæc facies operis: nutabat ſaxea moles
Ponderibus librata ſuis, diuiſus hiabat
Murus, & admiſſos per biulca foramina fluctus
Reddebat pelago; verùm indignata procella
Anguſtum callem, luctatur & obijce rupto
Exiliens, ſociis lata oſtia diuidit vndis.
Non nocuit iactura diu, ſe prodidit hoſtis
Vnda ſibi, nam dum malecocti vulnera muri
Incauti ſubeunt fluctus, & ſoluere crudam
Compagem obnixi tentant, calcemque, lutumque
Conuectant, vdoque inruſtant mœnia limo;
Tranſibant eadem nunquam per limina fluctus
Lapſuri, obducit ſocius quæ vulnera primus
Fecerat, & primis vndis nocuere ſecundæ.
Nec tamen his pelagi ſeruor retinetur habenis,
Quò magis à ripa moles operoſa recedit,
Hòc terrâ excluſum pelagus ſublimius exit;
Aëre compenſans iacturam, hinc lumine toruo
Subiectum deſpectat opus, mox agmine facto
Tranſilit, & ſaltu violata repagula ridet.
Iam terris terræ dèerant, & robora ſyluis
Quæ ventrem implerent auidum, pelagique vetarent
Effuſas per inane vias; ad cætera ſigna
Hoc quoque prodigium acceſſit, ſoboleſcere viſi
Fœcundi in venis lapides, & cædua ſylua
Sub manibus, naſcique noua ſub vulnere plantæ;
Ergo viſceribus pelagi penetralia terræ,
Et ſaxa & quercus grauidæ noua germina ſyluæ,
Totaque confuſo demergitur æquore tellus.
Denique ſublimis toto viſenda profundo,
In mediis latè ſtetit ardua porticus vndis;
Rupellæ exitium minitans, Angliſque timorem,
Obſequium Regi, & læſo reuerentiam Olympo.
Manſit hians medio tolerabilis æquore labes,
Ne deſperaret Neptunus: ſcilicet vndis
Nolebas faciles prohibere ad mœnia lapſus,
Ne ſcelus elabi poſſet prohibère volebas:
Permiſiſti vndis iter, vt ſpumante fragore
Vocales vrbem moneant, ne crede rebellis

Venturos quâ vix pertranſiit vnda Britannos,
Cede Deo, & Regi rupes, nec vincla recuſa,
Quæ tu ne fugeres primæ admisére procellæ.
Hæc alter latij Fabius, virtutis Iberæ
Æternum, externumque decus, dum Spinola luſtrat,
Dum circumductas ambit per mœnia foſſas,
Erectaſque arces numerat, totaque corona
Murorum per tres caſtella inter ſita leucas,
Nunc inquit captæ creſcit mihi gloria Bredæ
Dum Francis ars noſtra placet; ſed dum æquore vallum
Extructum, obſeſſos fluctus, iniectaque ponto
Vincla videt, nunc inquit habes quod Spinola diſcas,
Tu ſuperare vrbes, docet æquora vincere Francus.
Felices Francorum acies, quibus imperat idem,
Rex idem exemplo præit, & cum milite Dux eſt:
Quam multis laus iſta deeſt! At Tu optime Regum
Ne tantùm Oceano metas, & vincula pone,
Te fata ad maiora vocant; iam Turcica luna,
Et ſol iuratus Perſis, totoque Oriente
Stellarum venerata cohors, iam ſceptra requirit
Virtutemque tuam, Dominos pertæſa profanos:
Has tamen vt lauros, & palmæ inſignia carpas,
Cognatos Reges magnis adiunge triumphis:
Tunc ego vel Regi miles communis vtrique,
Vel ductor pulchri tentabo pericula belli.
Hæc Fabius, quid ſi reliquæ miracula molis
Vidiſſet? quid ſi medio quâ pontus hiatu
Diſcedit longi funalia candelabri,
Vt præluceret timidis ad bella Britannis,
Impactaſque trabes, pelago, tranſuerſaque ligna,
Præfixæque vndis armata triangula ſyluæ.
Parte aliâ obſeſſam vallum quâ reſpicit vrbem,
Demerſæ pelago naues, nexique rudentes
Oceani labem obturant, nec deficit vndis
Agger, vbi læſus medio hiſcit vulnere pontus.
O domitas pelagi vires! violataque rerum
Fœdera, & humanæ pluſquam miracula dextræ!
Quis credat, ſine fundo hæſit firmiſſima moles,
Nec vaga nutauit validis ſuccuſſa procellis.
Dicuntur quoties vndæ infremuiſſe tumentes,
Et dum prætentos obices violare laborant,

Spumantque obnixæ frustra, tum ferre repulsam
Indociles, sursum ferri indignante furore:
Mox irâ posita, & sensim languentibus vndis,
Victrici dociles sese submittere vallo,
Et dominam molem famulis adlambere lymphis.
Ibunt ad seros LODOICE *hæc fata nepotes,*
Credet posteritas fieri miracula posse,
Imperiis patrata tuis! monimenta triumphi
Fient claustra maris; ventura docebitur ætas
Vt parére cliens discat Rupella, præire
Obsequiis elementa suis! vtque hæresin vnda
Obruat, ad iussas hærere, & currere metas:
Prodigium quondam fuerat prætenta catena
Oceano, nexusque rudens commercia rumpens;
Tu pelago vallum LODOICE *& mœnia ponis.*
Credite posteritas victæ stant sponte procellæ,
Et fluctus sacro pendent horrore librati.
Rex hominum Xerxes Sesto commisit Abydon,
Europamque Asiæ, tabulatâque æquora strauit
Arbore, nec mirum hæc sedes natiua carinis;
Baiani quartus Cæsar per littora stagni
Securum tabulauit iter; verùm vtra potestas
Nobilior? saxa an syluas inferre profundo?
Pellæus iuuenis strato ponte æquora iunxit:
Sed Tyrium semel ignis opus, succendit, & vnda
Non semel abripuit; vincentemque omnia Regem
Victrices Tyrij maris irrisere procellæ.
Maior Alexandro es Lodoice, & Cæsare maior,
Terra illis inuita subest, spontanea nutus
Obseruant Elementa tuos; sed parco triumphos
Dicere dum pugnas hostis, palmasque ministrat.
Ecce etenim profugus Reanis Anglus ab oris
Turbat adhuc, nondum fœda se à strage recepit,
Acceptâ cum clade tumens, iterumque, iterumque
Vinci optat, Francæque prehensat vulnera dextræ;
Nec tamen insulto victis, Rupella sefellit
Dum victos ad fata vocat victa ipsa Britannos;
Pendent è muris victi vexilla Britanni,
Permixtos credas Pardis rugire Leones,
Mox lepores fient; quantùm picta audet imago
Tantùm Anglus metuet vinci; tamen ecce Britannæ

Aduentant pelago classes, sub mole laborat
Oceanus, pressique timent sub gurgite pisces:
O nimis audacem armatos si vincere speret,
Qui nuper nudis cecidit rea victima Francis:
Nunc etiam longè stetit vltra vulneris ictum,
Anxius & solis hostem tentauit ocellis.
Dicite quæ vestris Angli vos causa vocauit
Littoribus? nostrasne oculis incendere moles
Quæritis? at vobis oculi nec fulmina mittunt,
Nec flammas moles metuit, quæ despicit vndas:
An lautas longè obsessis ostendere mensas?
At non ostensis tantum bene viuitur escis,
Visaque ieiunas irritant fercula fauces:
Fallor, captiuos aut tantùm inuisere fratres,
Aut dare venistis mœstis solatia rebus,
Et casuram vrbem vicino aspergere fletu.
Denique solenni puduit sine clade reuerti,
Ecce iterùm pelago aduentant, classemque reducunt,
Quæ flammis, Indumque armis vicisset vtrumque:
Sed Francus non Indus erat, vincendaque molet,
Et vallo melior qui pugnat ab aggere miles.
Iamque propinquabat ventis afflata secundis,
Si pergat facili sese infusura Canali:
Forte fatigato nudatum milite vallum,
Littoraque, & naues, tormentaque puluere lassa,
Et nocte inductos carpebant omnia somnos,
Captandæque Anglis præbebant otia prædæ.
Siste tamen Saxo, tutique quiescite Franci,
Pro vobis oculo vigilant Elementa fideli,
Ecce tibi plenis currentia carbasa ventis,
Et faciles subitura sinus, subito aura relinquit:
Nec dubium cohibente Deo: dumque anchora Classem,
Et proprium cunctatur onus: consurgit ad arma
Francus, & armatum littus, vallumque coronat,
Et pro se curis intenta Elementa relaxat,
Pugnantemque Deum: Quid tu Lodoice parabas
Intereà, tu plusquam vnus, tu multus vbique,
Tu ductor, milesque idem, præscribis agenda
Et facis, idem ignes tormentaque vulnere certo
Dirigis, idem acies terra partiris, & vndis,
Idem hostem cuique assignas, & tu omnibus hostis

Hortaris quemque ad pugnam, dextrâque loquaci,
Multa doces, & plura facis.
Dic proprio Regi, laudatus nomine miles
Quos animos laus illa dedit? Dic alter, & alter
Illustris quanti emisses discrimina lethi?
Quanti vnum emisses Anglum, quem judice Rege,
Et teste, audaci mactasses fulmine dextræ!
Dicendum est vel te inuito, tu magnus vbique,
In teneris etiam cunis Lodoice timendus,
Nascenti dum terra tremit, palmasque futuras
Nuntiat, & magnos olim præsaga triumphos;
Dicendum tamen, hoc nunquam certamine maior;
Vidit pugnantem miles Martemque putauit,
Vidit te orantem miles Numenque putauit,
Si Numen mortale esset; toto orbe volarunt
Hæ voces Lodoice tuæ: Magni arbiter orbis
Hæc fidei nisi causa tuæ est, in me omnia tela,
Et vindex Cœli ira tonet; sed si tua causa,
Et fidei violatur honor, tibi victima fiat
Anglus, & æterni vindex sit Francus honoris.
Hæc ait, & segnes irritat ad arma Britannos,
Vix etiam stimulos, & læsæ opprobria famæ,
Percipiunt, qui damna prius, supremaque mundo
Iactabant fata, & faceret si incendia lingua
Sat mundi exitio flammaque, piciſque ferebant.
Mutasti Lodoice vices, Tu fulmen & ignis,
Nil Anglus nisi frigus erat: sic frigidus ipse
Fulmineas mittit naues, sic fulmina Francus
Et naues medijs vnco defigit in vndis:
Sic dum collucet solennibus Anglia flammis,
Externo victor Francus lætatur in igne.
Nec grauius tormenta nocent, dum nostra verentur,
Citra ictum sua tela vibrant; sic vulnera solus
Ventus habet, totumque Anglorum in puluere bellum est.
Quam vos dissimiles vestris cum nauibus Angli!
Proceræ vobis naues, angustaque corda,
At similes, illæ vobiscum ad prælia tardæ.
Macti animis non hæc vobis inhonora Britanni
Alea Martis erit, memorique hoc carmine viuet.
Anglus non potuit ferro rescindere vallum,
Tentauit violare oculis, promiserat escas,

Oſtendit, viſuque famem deluſit inani:
Debuit auxilijs obſeſſam ſoluere Rupem,
Dedendæ ſpectator erit, teſtiſque triumphi:
Tardè ad ſubſidium, maturè ad funera venit.

PARS TERTIA.

EXHORTATIO AD RVPELLAM VT REGI SE DEDAT, EIVSDEM OBSTINATIO, fames, deditio, Regis ingreſſus in vrbem, murorum & aggeris maritimi euerſio, ruinæ fragor auditur in Italia, Alpes & Suſam aperit, Caſalis obſidionem ſoluit, Romæ oraculum.

INTEREA quid tu victos Rupella Britannos
Auxilio imploras? ipſi ad certamina Franci
Inuitant, victique Angli pugnare recuſant:
Quid proſint alijs victi ſibi? profice damnis
Ne pereas Rupella tuis: vincique decorum
Cognatis crede exemplis. Si nomen honeſtum
Prætendis, menſes denos inuicta ſtetiſti,
Pauci Anglum domuêre dies: ſi tempora captas
Opportuna reis, victis ſuccede Britannis,
Inter lætitias, & feſtæ gaudia pompæ,
Vindictæ dum cauſa deeſt, dum leniit iras
Anglus, & vltoris molliuit vulnera ferri.
Subiectis facilis parcet, cui fulmen in hoſtem
Defuit, & fulmen feſto ſi tempore vibret,
Solemnes fient fulmen ſine vulnere flammæ,
Ne Regi ſtimulos irarum, & tela miniſtra,
Aut iuſtæ fulmen fient tua crimina dextræ,
Et telis offenſa ſuis Rupella peribit:
Nunc pacem tibi cuncta rogant, Venetuſque, Ligurque,
Et veniam Roma ipſa petit, fortuna Caſalis
Adiuuat, & Regem inuitans ſua vulnera monſtrat:
Ne Regem Rupella tene, nec fœdera pacis
Reſpue, vt Italiæ pacemque & fœdera reddas:
Quid libertatem renuis, quam ſubditus offert
Oceanus, Regique tuo ſeruire prehenſat?
Denique quid ſperas Rupella? an mutua fratrum

Auxilia, hic Anglos fallaci Aquilone fefellit,
Hunc Princeps iam iamque tenet; cœline fauorem?
Stant omnes pro Rege Dij, si qua impia reſtant
Numina, nunc aris etiam ceſſere relictis,
Sit ſatis heu miſeræ poſt fata Deoſque ſteriſſe.
Nec me, inquit, victuſque Anglus, fatumque Caſalis,
Nec Cœlum, nec fata mouent, externa ruina eſt
Extra Rupellam quidquid perit; integra reſtat
Intra orbem natura meum, cum Pontus, & aër,
Cum deérunt Elementa mihi, tunc denique vinci
Incipiam, vinci debet poſt omnia virtus;
Hæc quoque cum deérint, palmæ ne gloria deſit,
Deſperabo, mihique ipſi victoria fiam.
Deſperare breui incipies, hæc prima furoris
Argumenta tui, & vacuæ deliria mentis,
Vel rabidi ſunt ſigna animis iam libera rerum
Rupella natura deeſt, iam mœnibus vrbis
Incluſa incipiunt ſenſim languere elementa.
Obſeſſa Bacchus pridem diffugerat vrbe,
Pro Baccho Neptunus erat; nunc horrea linquit
Blanda Ceres, herbaſque fami ſupponit alendæ;
Herbæ vbi deficiunt, ad Martem & prælia nati
Cæduntur pro bobus equi; hæc quoque victima rara eſt;
Latrabant vigiles Catuli per aperta domorum,
Fidi etiam pereunt Catuli; nec latro timetur
Dum furto res nulla ſubeſt; queis nauſea perdix
Et lepus, & pingues fuerant faſtidia cerui,
Delicias in mure locant; torretur ad ignem
Infamis cibus, & pretioſo ornatur in auro,
Cunctaque ſunt meliora cibis: defecerat ignis,
Et quidquid flammæ torrent; hinc corpora ſenſim
Deficere, & membris ieiunæ areſcere vires:
In peſtem neglecta fames, & funera tranſit,
Aſpectu morbus creſcit, crimenque putatur
Occurriſſe Patri, & Matrem vidiſſe nefaſtum eſt,
Alterius timet alter opem; mors vitaque certant,
Vita grauis, votumque mori; nec habetur vtrumque;
Delicie iam virus erat; venduntur in auro
Toxica, mors emitur pretio quo vita carebat,
Iam nihil ad victum turpe eſt; placet eſca palato
Quæ viſus quondam horror erat. Ne ſecula Muſa

Et ſcelus enarra quod qui videt omnia Phœbus
Ne videat, timidas olim retraxit habenas,
Et celeres auertit equos horrore furentes,
Non caruit funeſta ſuo Rupella Thyeſte,
Nec Progne vna fuit, nec tantum matribus vnus
Poſt epulas ploratur Itys: proiecta iacebant
Interea, nudoque intecta cadauera Cœlo,
Vicinas circum afflabant fœtoribus auras:
Fiebant monumenta domus, Rupella ſepulcrum,
Nec tamen in tumulos tellus ſatis ampla patebat:
Deerant qui foſſa celarent corpora terrâ;
Et prope iam deerant diræ noua funera peſti.
Quo zelus Rupella tuus, quo faſtus abiuit?
Diſce iugum captiua pati, totieſque ſubacta
Diſce ſemel vinci; iam te natura reliquit,
Iam deſunt elementa tibi; quid ſola rebellis
Expectas, nec te Regi rerum vltima dedis?
Ecce iacent nudis intecta cadauera vicis,
Hoc quoque quod ſupereſt media vix parte ſuperſtes
Viuit, & enectis ſentit iam funera membris,
Iam vacuæ cultore domus, & mœnia vuda
Et turres cuſtode vacant; vix oſtia miles
Defendit, pendent librata è mœnibus vrbis
Tormenta, & librator abeſt qui explodat in boſtem.
Denique fluxerunt horæ, quas ipſa ſonantis
Incluſas rotulis ſphæræ, inuitare Britannum
Miſiſti ad ſociæ connubia Regia ſponſæ.
Cede Deo Rupes, victorique oſtia Regi
Pande libens, dum robur adhuc recludere poſtes,
Si renuis deerunt breui ad hæc quoque munera vires.
Denique victorem Rupella mœnia Regem
Admittunt: felix lucebat, & omnibus vna
Cœlitibus votiua dies, hac luce patentes
Ingrederis LODOICE *fores, non impare greſſu*
Quo ſuperi incedunt; & tu nouus Indiges olim,
Stellarum augebis numerum, ſic Numina viuus,
Non procul exæquas, nam te non ira, furorque,
Non atrox vindicta præit; clementia magnum
Sternit iter, pietas comes eſt, ſemotuque longe
Iuſtitia à tergo ſequitur; pompam eſſe putares
Qua patriâ pietas exul reuocatur ad aras.

Vidisses siccas reptare ex ædibus vmbras,
Vt pulchrum aspiciant Solem, Regemque salutent,
Sed dum semineces oculos attollere tentant,
Relliquiasque animæ collecta in voce fatigant,
Deficiunt, mediisque animas in vocibus efflant.
Hoc Regis primum imperium, non vincula captis
Addere, non cæcis includere carceris vmbris,
Vincla fames, & carcer erat: sed porgere egenæ
Dona famis; hic ægrè languentem ad munera dextram
Subleuat, hic lassus recidit dum assurgere tentat;
Ingemuit miles visu, & pro vindice ferro
Porrexit panem, & victo superatus ab hoste est.
Hæc pietas: almæ debent sua iura relinqui
Iustitiæ, hæc turres, & propugnacula, & arces,
Et triplicem muri zonam, sublimeque vallum
Suffoderè, & latâ iubet exæquare ruinâ,
Iussaque vicinas circum partitur in vrbes.
Imperium Regis sensit Neptunus, & vndas
Squammosamque Maris plebem, tumidasque procellas
Aduocat, heus inquit, magni molimina valli
Subruere, & regni delere opprobria nostri
Per Regem licet, & positis exire catenis.
Hæc ait, & primus caua fundamenta Tridente
Scrutatur, mox annixi Tritonque, Palæmonque,
Et Glaucus, magnique Phalanx armata profundi,
Impulsam euertunt molem, pontoque canalem
Restituunt, vetitisque prius spatiantur in vndis.
O Regis vocem? & Dominæ miracula linguæ!
Hoc vallum inuito captiua quod æquora dorso
Durarunt, quod nec violenti flamina venti,
Nec pelagi feruor, nec concussêre procellæ,
Quod coniurati duplex exercitus Angli
Vidit, & aspectu obriguit; mirabile vallum
Arbitrio Regis stetit, & nunc munere functum,
Ad Regis nutum Oceano impellente satisfit.
Denique Rupellæ durum ac immobile saxum
Corruit, & magnæ Europam fragmenta ruinæ
Impleuêre; Alpes audito murmure ruptæ
In faciles patuêre vias, Euasius ictu
Audito, hoc inquit, stabunt mea mœnia casu,
Parua nec illudes capto Verruca Casalis

Suſani tremuêre obices; Roma ipſa fragorem
Excidij, pelagoque Angli fugientia vela
Impellente metu remos, Michaëlis ab arce
Vidit, & irriſit; malle inquit France, Britannum
Frangeret in triplici ſimilis victoria portu,
Iuratumque Petro votiua Britannia naulum
Penderet: I velox LODOICE, *& pace ſtatuta*
Italiæ, deuota tibi pete regna per vndas,
Ad boream te fata vocant; huc ire vel vltor,
Vel victor, vel vterque potes: quocunque ſequêris
Iuſtitia præeunte ibis; tamen ante remota
Heroum quàm regna petas; compone rebellis
Relliquias fidei, facilis victoria trunci
Cui ceruix Rupella deeſt; iam victa Nemauſus,
Albaque, Caſtrenſeſque, Gebennique ardua montis;
Rupellæ dum fata timent, vel ſponte patebunt,
Vel claues Rupella dabit; perge optime Regum,
I celer, & ſceptris victor te oſtende futuris,
Inde alias ſectare plagas; tibi magna parantur
Imperia, vt curras nunquam velocius ibis,
Cui magnum patet orbis iter; dicenda ſuperſunt
Plura mihi; dabitur ſermonis tutior hora,
Cum reducem, & pulchri conſperſum puluere belli
Excipiam, & magni deductum ad limina Petri,
VRBANVS *cuius doctis apis attica labris*
Inſidet, & ſancto mel purum emanat ab ore,
Laudibus ornabit, quæque olim ſceptra ſecundus
Tradidit, octauus reddet, Solymæque coronæ
Et Lunam, & Solem, & ſtellas adiunget eoas.

EPISTOLÆ
TRIVM PERSONARVM DIVINARVM,
AD DEIPARAM VIRGINEM,
DE INCARNATIONE VERBI
PER GABRIELEM ARCHANGELVM.

EPISTOLA PRIMA,
PATRIS AETERNI.

HANC *Pater æternus mittit tibi Virgo ſalutem,*
Hæc Genitor verbis dat tibi verba meis.
Virgo creatarum pulcherrima linea rerum,
Artificem ſi qua eſt rite ſecuta manum.
Accipe diuinus ſanxit quæ fata Senatus,
Et quæ fata polus ſanciit, illa proba.
Hæc licet imponant aliis rata fœdera rebus,
Expectant nutus officioſa tuos.
Ex quo prima parens ſimulati fraudibus anguis
Illuſa, & vetitæ capta colore dapis.
Pendula furaci tentauit pollice mala,
Fatali tenuit quot mala prenſa manu!
At dum ſacrilegi preſſit ſub vulnere dentis,
Sub vetita ſenſit quot mala preſſa dape!
Vt ſi quis grauidæ tranſuerberet ilia Ceruæ,
Quot populis vno vulnere parca venit!
Prima parens fœta populos geſtabat in aluo,
Tectus in anguſto germine mundus erat.
Illa venenata dum figit arundine pectus,
Quam ſerus gemuit tela recepta nepos!
Poſt ſcelus hoc patrium, nubes quam denſa malorum
Impluit humanis exitioſa plagis!
Hæc aſperſa arbor vitiatæ aſpergine nubis,
Quid ſi cultori poma maligna tulit?
Quid ſi corruptis vltro ſuccreuit in agris,

Et febrium & diræ mortis amara seges.
Quis numeret lapsas posthæc ad tartara prædas?
Empyreæ melius præda futura domus.
Quinetiam diro est natura afflata veneno,
Communemque ignis sensit, & vnda luem.
Hinc reus exarsit flammis vltricibus orbis,
Et toto nocuum quæritur orbe caput.
Oceanus stagnis terras oppressit aquosis?
Quid nisi stagnantes hoc scelus auxit aquas.
Aër pestiferæ sensit contagia tabis,
Infecit vacuas quid nisi culpa plagas.
Excurrit toties vndantibus ignis habenis?
Quid nisi flammantes hoc scelus egit equos.
Frugiferens homini tellus alimenta negauit?
Frugiferos clausit quid nisi culpa sinus.
Tanti est æterni Numen violasse Tonantis,
Hæc nocuum vindex verberat ira caput.
Officiosa sui probrum natura Parentis
Sensit, & authori commodat arma suo.
Nunc satis irarum est, rerum natura quiescat,
Cessent in pœnas fessa elementa suas.
Hæc tandem vltrices absistat dextera flammas,
Ponat & attrita cuspide fulmen hebes.
Nunc sortem germana suam Clementia poscit,
Ne par obtineat iura minora soror.
Ter dena vltrices senserunt secula pœnas,
Vltima felici tempora pace fluant.
Empyreas deinceps homo transcribatur in ædes,
Empyreæ natus sceptra tenere domus.
Afflicto deinceps homini sua profit imago:
Incisa artifici profit imago manu.
Fœmina compenset, fecit quod fœmina damnum,
Causaque sit vitæ quæ necis ansa fuit.
Hæc eris ô VIRGO, *Matris tu nomina primæ*
Emenda, & factis corrige facta tuis.
Ex te dius homo humanæ velamina formæ
Induat, & primi sarciat acta patris.
Tu radix illius eris, tu sanguinis author,
Sanguinis, & virgæ flos erit ille tuæ.
Grandis honor tanta fieri te prole parentem,
Vnum hominis dici germen, idemque Dei.

Grandis honos quem vix ventura intelliget ætas,
Sola sciet doctâ clarior arte fides.
Mater eris, proleſque Dei, paritura parentem,
Virgo virum, Patrem Mater, alumna Deum,
Hæc immortalis ſanxit decreta Senatus,
Arbitrium expectant, nunc tamen illa tuum.

EPISTOLA SECVNDA.

VERBI AETERNI AD BEATAM VIRGINEM.

ILLE *tibi æternam Virgo dat habere ſalutem,*
Cuius ab arbitrio ſtat ſua cuique ſalus.
Hæc Patris æterni Verbum tibi patria verba,
Et Perſonarum nuntiat acta trium.
Sic Superis placitum, humanam reparare ruinam,
Et ſimul offenſi jus reparare Dei.
Huic inſtauranda paci res nulla creata
Par erat, & ſolus par erat ipſe Deus.
Huic ego conſilio dixi me ſponte paratum,
Et Perſonarum vox fuit vna trium.
Ergo placet ſuperas rétinere, & linquere ſedes,
Et luteas hoſpes magnus adire caſas.
Humanæ latitare placet ſub imagine formæ,
Subque viro æternum diſſimulare Deum.
Tum pretio redimam mortalia nomina digno,
Iratumque homini conciliabo Deum.
Sed dum mortali petitur mihi Mater in orbe,
In tantam placuit ſors tua Virgo vicem.
Ingenium, moreſque tui, pietaſque, pudorque,
Et magis hoc vno nomine Virgo places.
Si naſci Numen naſci de Virgine debet,
Et Virgo hoc partu debuit eſſe parens.
Sors ergo ſi tanta placet, ſi nomina Matris,
Si magni pateris Numinis eſſe Parens:
Accipe diuini veneranda arbitria pacti,
Arbitrium expectant quæ tamen ipſa tuum.
Exiguam magnus deſcendam habitator in ædem,

Vt lateam angustus debuit esse sinus.
Hic mihi mortalis distinguam membra figura,
Materiem Virgo, Spiritus addet opus.
Illic nona Deum latitantem luna videbit,
Celari simili vellet & ipsa sinu.
Hic ego turgenti fœtus gestabor in aluo,
Sarcina vectricis non onerosa meæ.
Illic exiguo Titan decurret in orbe,
Sol ego, tu solis lucidus orbis eris.
Illic rorifluo succrescet littore gemma.
Gemma ego, tu gemmæ littus, & æquor eris,
Illic irriguo surget flos pulcher in horto,
Flos ego, tu floris gemmeus hortus eris.
Angusto claudes gremio quo clauditur orbis,
Maior erit magno Virginis orbe sinus.
Ast vbi luna suos nouies iterauerit ortus,
Hospes virgineo gratus abibo lare.
Regia Solis erit quâ sol habitauit in æde,
Templum erit æterni quæ fuit aula Dei.
At cum vitales tandem deducta sub auras,
Cœperit humanum pascere vita diem.
His ego molliculis Matri assentabor ocellis,
E quibus aurifluus manat in astra nitor:
His ego maternis affigam basia labris,
Purpureæ crescet sub quibus vmbra rosæ.
Hic ego virgineas infans reptabo per vlnas,
Inque suo figam cælica signa sinu.
Tu mihi lactentes rorabis ab vbere succos,
Qui nitida ambrosiis roribus astra beo.
Tu mihi debilibus figes vestigia plantis,
A quo habet emensum stelliger orbis iter.
Tu mihi vocalis distingues verba loquelæ,
Vnde habet argutos ales vterque sonos.
Mox vbi maturis ætas adoleuerit annis,
Ætas in nutus obsequiosa tuos.
Tu mihi præstandi distingues pensa laboris:
Ipse feram dociles ad tua iussa manus.
Sed cum robustos ætas firmauerit annos,
Hæc erit Altori dextra operosa suo.
Fabriles habilis tractabit dextra dolabras,
Dextera quæ magnos est fabricata polos.

Sæpe mihi volucres ſinuabitur orbis in orbes,
Vnde ſuis currunt noxque, dieſque rotis.
In noua deciſas aptabo ſedilia ſylvas;
Vnde ſedent propriis fixa elementa locis.
Sæpe arbor iuſſas vltro ingenioſa figuras
Induet, artificem deuenerata manum.
Has operas ô quiſquis emes ſi nomina noſſes
Artificis, fieret quam tibi dines opus!
Tandem vbi ter denos ætas æquanerit annos,
Tunc me nobilius ſollicitabit onus.
Tunc curanda ſalus hominum: tunc legibus orbis,
Lex Euangelij eſt adijcienda mei.
Hæc emendabit veterum iuſſa aſpera legum,
Et facile impoſitum gratia reddet onus.
Ne legem detrectet homo, legem ipſe ſubibo,
Vt comitetur homo prauius ibo Deus.
Ne ſit egena fides addam miracula dictis,
Et fidei mundus teſtis & obſes erit.
Has ego per curas hominum inſtaurabo ſalutem;
E quibus in Matrem non leuis ibit honos.
Hæc tamen vt per me rerum miracula fiant,
Arbitrium expecto Virgo pudica tuum.

EPISTOLA TERTIA,

SPIRITVS SANCTI AD BEATAM VIRGINEM.

SCRIPTA *tibi ex illo defertur Epiſtola Virgo,*
Qui digitus dextra eſt, ipſaque dextra Dei.
Si facilis magna admittis connubia ſortis,
Si ſponſa, & magni vis Nurus eſſe Dei.
Virgo illibati ne damna verére pudoris,
Et Virgo, & ſponſo Virgine Mater eris.
Quid metuis ne purus amat quæ lilia ſponſus?
Lilia dum carpit, pollinat illa Deus.
Aſpicis vt purum ſubeat ſpecularia lumen,
Nec ſpeculare tamen dum ſubit, afflat iter.
Cernis vt aërios tractus quæ permeat aura,

Terrenos

Terrenos eadem permeat aura ſinus.
Et nos ſubtili penetramus corpora ſenſu,
Nec penetrata tamen corpora vulnus habent.
Spiritus eſt, puraque Deus ſubtilior aurâ,
Maternum ingrediens non violabit iter.
Quid metuis ne quem Deus affectauit honorem,
Et quam delegit polluat ipſe nluem.
Ipſe ſuperueniam ſupremi altiſſima virtus,
Ipſeque virgineos vmbra fouebo ſatus.
Ex te ſumentur magni vitalia partus
Semina, diuinum Spiritus addet opus.
Vt dum mollis Apes per florida ſerta vagatur,
Hoc amat, hoc linguâ lingit, id ore legit.
Hoc liquido ſtipat diſtentas nectare cellas;
Hoc cudit ſapidos ingenioſa fauos.
Hic tu eris ambroſiis gemmaſcens floribus hortus,
Hos ego per flores regia paſcar apis.
Hic ego ſertorum calyces prædabor apertos,
Et carnem ex purâ carne parabo Deo.
Formam ego, tu magni præbebis ſemina partus,
Mater eris, dicar nec tamen ipſe parens.
Atque vt ne dubites artis quæ gloria noſtræ,
Et quid in æternum dextera poſſit opus.
Aſpice diuiſas rerum toto orbe figuras,
Authori variâ ſurget ab arte decus.
Aſpice nocturnis Cœli laquearia flammis
Ardere, has flammas ſubdidit iſte calor.
Aſpice conſtanti volui fixa aſtra rotatu,
Cœleſtes animat Spiritus iſte rotas.
Aſpice perflatum ſpirantibus aëra ventis,
Hæc tumidos inflat vis animoſa notos.
Aſpice fœcundo terræ turgentia partu
Viſcera, maternos hæc alit aura ſatus.
Æquorei certo ſpumant libramine fluctus?
A me habet alternas mobilis vnda vices.
Orbis adhuc informis erat, ſuper alta ferebar,
In faciles æquans humida regna vias.
Squamoſi ludunt per cærula marmora piſces,
In ſuam, & humanam gens populoſa dapem.
Fertilis hæc à me mauauit in æquora virtus,
Incuba dum ſalſis vis erat iſta vadis.

Aſpice cœleſti turgentes ſemine conchas,
Concha omnis turget ſemine fœta meo.
Roribus empyreis fœcunda implebere Virgo,
Ros ego, tu puro germine mater eris.
Tu magni genitrix Nati, tu filia Patris,
Tu ſponſa, ipſe tui ſponſor honoris ero.
Tu domus, ipſe tuæ fiet Deus incola mentis,
Tu templum, templi ſpiritus hoſpes erit:
Nauis eris ſuperæ vectans commercia gazæ,
Ipſe tuæ fiam mobilis aura rati.
Lumen ero vt rutilum vultus ſplendeſcat in aurum,
Pectus vt in flammas ardeat, ignis ero.
Munus ero, vt ſponſam donis cœleſtibus ornem,
Vt toto repleam Numine, Numen ero.
Collige per totum quidquid diuiſimus orbem,
Vt Mater fiat, fiet id omne tuum.
Hæc ſunt empyrei Virgo decreta Senatus,
Expectant nutus, & tamen illa tuos.

NATVRÆ MVNVS CHRISTO NATO ELEGIA.

MAGNÆ *Puer neu te patrios liquiſſe penates,*
Neu pigeat noſtros hoſpes adiſſe lares.
Accipe quæ manuum munus Natura ſuarum
Dona parat, meritis non tamen æqua tuis.
Hæc ſi naſcenti Eoûm cunabula Regum
Non dedit, & phrygiæ vaſa ſuperba domus.
Fecerunt inopina tui miracula partus,
Et ſubitus tanta de nouitate ſtupor.
Illa Deum vt nudis vidit vagire ſub antris,
Plorat, ait, modo ſub Ionis axe Deus.
Mox Numen mirata Dei, ne vilia ferret,
Nil tulit, hinc tectis, & lare Chriſte cares.
Quod potuit Reges feſtina accerſit voos,
Ite ait, en magni præuia ſtella Dei.
Dicite, Natura hæc Regum præludia mittit,

Dum parat Authori munera digna ſuo.
Dum Reges, dum ſtella volant, natura magiſtras
Diuinum in munus tolligit apta manus:
Veſtis erat, tenuis decidua vellera lini
Materies, pretium maius ab arte fuit.
Textilis hæc imas ſignabat ſyrmatis oras,
Littera, Tu Regum ſanguis alumnus eris.
Quis numeret doctâ diſtinctas arte figuras,
Regia quot modicum ſceptra volumen habet!
Nunc ite, & latis famam protendite terris,
Quam tenuis Regum prædia lymbus habet.
Ne tamen hac cingi Reges ægreſtite zonâ,
Hæc eadem immenſum continet ora Deum.
Hoc tenui in lymbo ſceptris erat omnibus ordo,
O ſi hic Regnorum finibus ordo foret!
Primus honos Aquilæ, hæc quamuis Regina volucrum;
Captiua hac ſemper gaudeat eſſe togâ.
Hic Conſtantinus medias vexilla per auras
Aſpicit, & rutilis verba legenda notis.
Conſtantine ferum Martem Chriſto auſpice muta,
Quale ſit hoc Numen ſi petis aſtra probant.
Quis procul ille Crucì collum ſupponit anhelum?
Quam male fert durum purpura mollis onus!
Protinus vt Regem excuſſit vix pondera ſentit;
I Princeps, Chriſtus ſub cruce talis erat.
At quænam hæc grauium ſeries numeroſa Regentum?
Inſigne eſt ſpirans auſter, alauda volant.
Horum intra fines Titan orituque, caditque,
Parua erat, & maior fiet, & vna domus.
Parte alia Cœlo flores, & balſama ſudant;
Quale erit hoc Regnum cui decus aſtra pluunt?
Roribus his collum mitis ſuppone Sicamber,
Non aliis ſimilis Regibus vnda pluit.
Quinetiam Francis edet miracula Cœlum,
Et medicam Regum ſentiet orbis opem.
Saracene quid hæc corrumpere lilia tentas?
Martelle huic hydræ malleus eſſe potes.
Aſt hi Ieſſæis important lilia campis,
Debuit hæc tali creſcere planta ſolo.
I Peluſiacas felix Lodoice per vndas,
Quod prima hæc nequeunt vela, ſecunda dabunt.

Hæc quoque si pereunt, fieri Rex orbis eoi
Non potes, hoc fieri sanctus in orbe potes.
Quin tuus his olim plantas decerpet in hortis
Sanguis, & hæc sceptris seruiet ora tuis.
Longa quidem vota, at saltem tunc fiet Idume
Gallica, cum totus Gallicus orbis erit.
Francigenos iuxta flores flos Anglicus halat,
Si foret æternus quam pretiosus erat!
Ha spinæ, ha tribuli! forsan voluentibus annis
Restituent puras lilia mixta rosas.
Hanc Christo Infanti vestem natura parabat,
Regia dona quidem, non tamen æqua Deo.
Induet hanc exors annis puerilibus Infans,
Diuinisque humeris Regia dona feret.
Felices illis humeris incumbere Reges!
Queis humeris Cœlum nititur, æthra sedet.

HVNGARIA
AD PRINCIPES CHRISTIANOS.

AGITVR res vestra, PRINCIPES CHRISTIANI, dum agitur mea; commune periculum est, & communis causa; nec liberi esse potestis me captiuâ, nec felices me misera; ibit ad vos per me fortuna mea, & calamitas quæ me opprimet, hæc vos premet.

Videte quò me redegerit Turcarum immanitas, ego illa quondam Europæ pars non ignobilis, centum enumerans vrbes, vix numerans opes, tot populos olim recensens quot hodie ciues, tot propugnacula, & arces quot hodie ædes: Ego illa plurium Prouinciarum Regina, vix sum paucarum vrbium Domina.

Euertit ex vrbibus meis aliquas Turca, spoliauit alias mœnibus, omnes Ciuibus; imminuta sum parte optima mei; hæc quoque pars quæ superest, aut est montana, & patria auium magis quam hominum; aut plana, sed inculta; reliquas vrbes meas obsidet hostis aut fames, breui dedendas & penè iam captas.

Quod miserabilius est, ego illa fidei Christianæ semper propugnatrix, & sæpè victrix, ego quæ centum exercitus, & decies centena hominum millia deuoui pro fide: Ego quæ tot milites victores & victos, Re-

ligionis Martyres, dedi vel teſtes: Ego poſt tot victorias & iacturas ſeruire Mahometi cogor, aut mori: nec mori timeo penè iam mortua, nec cāpriua eſſe penè iam capra; vnum illud doleo licêre mihi miſeram eſſe; nec licêre eſſe Chriſtianam: Ero tamen vtraque, & miſera dum ſeruiam; & Chriſtiana dum viuam; & volo ſanguinem meum fidei meæ vel martyrem eſſe vel teſtem.

Hactenus repreſſi hoſtem communem quamdiu licuit; pugnaui diu ſola, & vici quamdiu integra fui; exhauſerunt me tandem victoriæ meæ & iacturæ; nec vincere iam poſſum, nec penè pugnare? Hactenus fui repagulum hoſtibus clauſum, dum vinci non potui, ſi vincor oſtium ero Turcis apertum, & vobis imperuium.

Moueat vos, PRINCIPES CHRISTIANI, aſpectus calamitatis meæ, & periculum veſtræ, hoſtis eſt Turca publicus nec tantùm meus; per me Germaniam cogitat, & Europam: Dominum ſe Principum appellat & Regum; nec patitur æquales ſibi Dominos nec minores; nec fratribus ſuis parcit, nec liberis niſi vni, huic quoque non parcerer ſi cum Patre regnare veller: percurrite orbem terrarum quem occupat, carent Prouinciæ Principibus, & Regna Regibus: nemo eſt Dominus niſi vnus, neque ille eſt Dominus, ſed immanis tyrannus.

At Te imprimis mouere debet calamitas mea, ALEXANDER SANCTISSIME, Paſtor es ouilis Carholici, ego pars aliqua fui, olim beata nunc miſera; Pater es orbis Chriſtiani, & filios habes Reges, & Principes; hortare illos verbo, & exemplo coge; claues geris & gladium Petri, vtraque poteſtas iuuare me poteſt; partiri orbem Chriſtianum mediratur Turca, partire Turcicum: recuperari poteſt quod noſtrum olim fuit, & Chriſtianus exercitus victor erit ſi præeat Alexander.

Vinci poteſt hoſtis communis ſi impugnetur communibus auxiliis, reſtiti ego diu ſola, & vinci vix potui; reſtitit Turcarum viribus Creta pars orbis exigua: Maior eſt Turcarum fama quam gloria; vinci poſſunt ab omnibus, ſæpè à ſingulis victi, plures cum Turca erunt, plures nobiſcum pugnabunt; rimetur ab iis Turca quibus ignotus eſt; ceſſat rimeri dum poteſt agnoſci; ſi vincatur timor, penè iam victus eſt.

Adeſte Principes Chriſtiani, & vincite: Hæc ego ad vos ante vincula ſi adiuuatis, inter funera niſi ſuccurritis.

PROTREPTICVM LYRICVM, AD FRANCOS.

AD arma Franci, iam lituus ſonat
Ad arma: Turca finibus Hungaris
Inſtant, Saracenaque turma
Sileſios populantur agros.
Occurrit ingens Auſtriadum Domus,
Iuratus hoſtis Serinius Comes
Opponit armatas phalanges,
Ipſe phalanx, acieſque magna eſt.
Armantur omnes Imperij Duces,
Armiſque pugnant auxiliaribus,
Orbiſque communi Tyranno
Publicus eſt inimicus orbis.
Danus, Polonus, Moſcus, & Incola
Poli Suecus ſuppetias ferunt,
Timentque vicinam procellam,
Et Boream Boream minantem.
Iber metallis militat Indicis,
Et dum Cohortes deſtinat aureas,
Inermis, armatuſque pugnat,
Et ſine milite bella tractat.
Roma Senatus nobilis æmulus,
Dum Roma Regum nobilis æmula
Orbem gubernabat togata,
Et toga militiam regebat.
Senatus armis imperium iuvat,
Turcaſque nobis aſſerit impares,
Quos Creta pars orbis minuta,
Et Veneta populére vires.
At France fatum Turca timet tuum,
Falſus Propheres vidit, & horruit,
Et vana ſemper verba fatus,
Fata ſemel meliora dixit.
I France palmas collige debitas,
Caſurus olim Turca tibi cadat,
Et tu futurus Rector orbis

Imperij retine ruinas.
Romanus orbis Christicolæ Pater
Ad arma gentes Christicolas vocat,
Verboque, & exemplo suadens
Claue Petri, gladioque pugnat.

PROTREPTICVM HEROICVM, AD GALLOS.

GALLIA *cognosce antiquas in prælia vires,*
Et vires agnosce nouas; fuit orbis vterque
Gallicus, & quondam vult orbis Gallicus esse,
Et saltem tunc talis erit, cum desinet orbis,
Ne dubites, fatum est quod Sol formidat eous,
Et fatum quod Luna timet.
Non memoro partos olim toto orbe triumphos,
Lilia vbique vigent, & Francus vbique superstes
Regnat adhuc in flore suo, germenque timetur
Floris, & illustres orituri ex germine Reges.
Dic alma heroum Mater, genitrixque Deorum,
Victores quoties spectasti Græcia Gallos,
Et penè es venerata Deos? illi hostibus hostes,
Et placidi placidis Reges domuére rebelles,
Et domitis mediæ partem tribuére coronæ,
Et partem tribuére sibi; commune duobus
Seruat adhuc populis Gallorum Græcia nomen Gallogræcia.
Miscuerat cunctis victrix se Gallia regnis,
Et Regum Rex Gallus erat; nemo arma mouére,
Nemo aduersantem sperabat vincere Regem
Si Gallus protector erat; vel milite Gallo
Vel Duce Mars belli leges, pacisque ferebat; Iustinus; Strabo; Liuius.
Hic erat armati timor, hæc reuerentia Galli.
Desine vana tuos attollere Græcia Reges,
Et Tu Troia tuos, Gallis suus Hector & Aiax,
Et suus Æneas fuit, & gentilis Achilles,
Alcides verus noster, nec fabula nostra est.
Non hîc finitimas Gallis interrogo Gentes
Germanos, Anglos, Danos, Sueuosque, Polonosque,
Armatos quoties Gallos ad regna vocarunt,

Et ne hoſtes ſceptri fierent, fecére Patronos:
Nunc etiam montes, poſitæque in montibus Arces
Noſtri aliquid ſermonis habent, & voce paterna
Antiquos reuerentur Auos.
Dic Tu Roma potens quoties te Gallia vicit,
Et quoties ſolâ venientis territa fama,
Clauſiſti timidos intra tua mœnia Ciues:
At quoties foſſas, & propugnacula Gallus
Tranſiliit ſaltu generoſo, & penè volatu:
Corruerant ædeſque tuæ, Turreſque ſuperba,
Et celſæ Capitoli arces, niſi territus Anſer
Clangeret, & capta Gallos reuocaret ab vrbe.
Non Alpes Pœnus, nec fuſum effregit acetum,
Perrupit Gallus ferro, & victoria triplex
Ad Trebiam, & Cannas, Traſimenumque, Padumque
Debetur Gallorum animis, non fraudibus Afri.
Hæc Galli ante fidem, maiora egére fideles,
Pugnauére Deo Franci, & miracula Francis:
E cælo venit labarum, pluit aurea flamma,
Sacra Ampulla pluit, Regeſque hoc flumine tincti
Heredis dextræ tactu miracula patrant,
Et dum immortales Strumas, & vulnera ſanant,
Naturæ ſunt penè Dij.
Audiit hæc viditque orbis, cœpitque timéri,
Francorum virtus, hodieque & ſimus Iappon,
Et Sina, & Braſilus, naſcentiſque incola Solis
Audita à Proauis reuerentur nomina Franci:
Ignotoſque timent, & adorant penè timorem.
Nec licet ignoti vana eſt reuerentia Franci,
Ille plagas olim victor penetrauit eoas,
Et Nilum, & rubras Erythræi marmoris vndas,
Et ſteriles Arabum montes, & littora Tygris,
Et quos Euphrates medios interfluit agros,
Et poterat victor naſcentem inuiſere Solem,
Regiaque eois intexere lilia palmis:
At Francus ſacrâ impulſus pietate petebat
Regna Deo non regna ſibi; nec inania vota
Victorem fecére Deum; Sydonque, Tyruſque,
Berythus, & quondam Libani Regina Damaſcus,
Azotus, Gaza, & palmarum mater Idume,
Et Solymæ turres, & templum, Arceſque Syonis

Reginam

Reginam agnouére Crucem ; Francique fideles
Suppleuére vices Christi, commissaque sceptra
Proreges gessére Dei. Sacramque coronam
Nunc etiam gererent, nisi Græcus fraude pelasgâ
Promissos aditus, & pacta alimenta negasset,
Eiurans iuransque fidem. Nec pœna scelestum
Deseruit, Francus fraudes vlturus, ademptum
Ignauæ genti imperium collegit eoum
Et centum soles victo regnauit in orbe ;
Et regnaret adhuc, nisi praua crimina gentis,
Mutassent Dominos Dominis, Turcasque tyrannos
Ad meritas gentis culpas, pœnasque vocassent.
Hos quoque mulctabit Francus voluentibus annis,
Et lunam ereptam Turcis, Orientiaque astra,
Nascentemque reget Solem Rex orbis eoi, Rabanus Maurus, & alij.
Et Prorex erit ipse Dei.
Hoc fatum Mahomet vidit, falsusque Prophetes
Vera semel dixit ; timet hæc oracula Turca,
Et credit fata esse Dei ; metuendaque quondam
Iam metuit, nondumque hostes iam præuidet hostes,
Vincendusque olim nostris iam vincitur annis.
Gallia cognosce antiquas in prælia vires,
Et vires agnosce nouas ; te oracula Diuûm
Ad bellum per bella vocant ; si Gallica signa,
Si labarum præeat, si splendeat aurea flamma,
Cuncta sequi te regna volent, tecum ibit Iberus,
Et tecum partes eoi diuidet orbis,
Partem Anglus, partemque suam Germanus habebit ;
Partem alij Reges ; satis integer orbis honorum,
Terrarum satis orbis habet.
Ergo Christiadæ hostiles componite rixas,
Vnus Turca hostis, bellumque sit omnibus vnum ;
Illum illum vestra arma petant ; si mutua bella
Illum impugnassent nulla esset perfida Mecha,
Et nullus Mahomet, Deus omnibus vnicus esset,
Vna fides, Christusque vnus.
At vos Francigenæ primos hæc gloria spectat,
Quod petitur vestrum est, nec vos nisi patria sceptra
Quæritis, & manibus quondam tractata paternis ;
Ipse Deus Proauos ad regna eoa vocauit,
Iuére, & sparsas diuino sanguine terras,

Ipſi etiam ſparsêre ſuo, ſuit orbis eous
Gallicus, & titulis vobis debetur auitis.
Ite Patrum hæredes, quò vos oracula Diuûm
Et quo fata vocant; tulit olim lilia Gaza,
Et Tyrus, & Sidon, & nunc quoque lilia monſtrat;
Ite, & victores patrios decerpite flores.
At lacrymis res digna piis, Crux ara ſalutis;
Crux hodie captiua gemit, manibuſque profanis
Tangitur, & Chriſti Domini vitale ſepulcrum
Clauditur, & ſolis Deus eſt venalis ocellis.
Ite pij Franci, libertatemque ſepulcro,
Et Dominæ donate Cruci, Turciſque ſubactis
Penè redemptores humanæ eſtote ſalutis,
Vltoreſque Dei.

LIBER OCTAVVS.

MISCELLANEA.

APPELLO Miſcellanea, Inſcriptiones, Emblemata, Symbola, Elogia, Anagrammata, Epitaphia, quæ ſeptem ſuperioribus libris inſerere non licuit: An autem earum rerum ars aliqua certa tradi poſſit, neque affirmo, nec nego: fortaſſis res tota ex ingenio magis quam ex conſilio, & magis ab experientiâ pendet quam ex certâ doctrina: Seligo tamen ex multis præceptiones aliquas partim ab aliis traditas, partim recèns inuentas: ſi cui forte eæ minùs placebunt, agat ille ſine arte, ſed videat an ille ſit qui magna poſſit ſuo marte.

INSCRIPTIONES.

INSCRIPTIO eſt explicatio alicuius rei, vel paucis verbis per modum lemmatis; vel pluribus ſed propriis non allegoricis; ea ſi conciſo & acuto ſtylo conſtet vix ab elogio differt.

PRIMI GENERIS INSCRIPTIONES.

Eæ ſunt quaſi lemmata rerum, & Epigraphæ appellari ſolent; ex innumeris exemplis pauca habe. Res facilis eſt, & ferè ſine arte.

Pro foribus Domus.

Hoſpitium hîc, alibi patria.

Pro vmbrâ horologij Solaris.

Fauet vmbra diei.

Pro ſtylo horologij.

Immotus circuit orbem.

Pro camino.

Flammarum carcer apertus.

Pro imagine Neronis.

Adhuc in imagine ſæuit.

Pro cane picto.

Adhuc latrare videtur.

Pro equo bellicoſo depicto.

Audax procul olfacit arma.

INSCRIPTIONES SECVNDI GENERIS.

FÆ ab emblemate, & ſymbolo differunt quia propriis verbis res exponunt, & carent allegoria, & carêre imagine ac picturâ poſſunt. Huius generis ſunt Inſcriptiones ſequentes.

INSCRIPTIONES SOLITVDINIS.

Sur le Portail de la Maiſon.

Ite curæ hæc vacua ſolitudo eſt,
Nemo hîc habitat niſi ſolus,
Et vos non eſtis ſolæ.

Pour vne Sale.

Hæc aula, & vacua ſemper, & plena ſemper eſt;
Implet eam Solitarius animus,
Et multitudinem facit etiam dum eſt ſolus.

Pour vne Chapelle.

Docet ſolitudinis pretium Deus,
Vbique ſolus eſt quia vbique eſt vnus.
Nec Trinitas impedit ſolitudinem,
Quia non excludit vnitatem.

Pour vne Cheminée.

Facimus igni viam vt in patriam tendat,
Et nobis hic mundus hoſpitium eſt, alibi patria,
Sequamur eam viam quam flammis facimus.

Pour vn Eſtude.

Hîc licet hoſpitem ſui eſſe,
Hîc animus apud ſe habitat domeſticus ſui,
Alibi abſens à ſe, alieni magis quam ſui iuris eſt.

Pour vne Bibliotheque.

Hîc viuunt homines ſuperſtites ſibi,
Hîc loquuntur & tacent,
Hîc audiuntur & ſilent,
Hîc interrogantur, & muti reſpondent.

Pour vn Iardin.

Imaginem vitæ cernis dum hortum aſpicis,
Flores & homines pari naſcuntur, & intereunt modo;
Hoc vnum intereſt, expectatur flos plantæ,
Sæpe homini florêre non licet.

Pour vn Pourmenoir.

Magnum hæc vita lyceum eſt,
Omnes peripatetici ſumus.

Pour des Fontaines.

Amant ſolitudinem fontes, quia illic innocentes fluunt;
Deriuantur in vrbem inuiti, quia illic nocentes fiunt.
Inquinantur ſceleribus dum ſcelera abluunt,
Extra vrbem Nymphæ, ſæpe intra vrbem ſunt Veneres.

Pour vn Bois.

Pulchrum eſt cum arboribus loqui,
Reſpondent ſylvæ quod neſciunt,
Canunt aues quod non intelligunt,
Loquitur nemo, & multorum colloquium eſt.

Pour vne Grotte.

Fecit hîc natura quod ars non faceret,
Fulcit mons ruinam quam debéret opprimere,
Rimas claudit aqua quas alibi faceret,
Euerteret ars opera ſua ſi ſic extrueret.

Pour vne Echo.

Adeò ſolitaria eſt Echo vt nonniſi in ſpeluncis degat,
Adeò pudica, vt nullum aſpiciat à nullo viſa,
Adeò modeſta vt nunquam audeat loqui prima,
Adeò erudita vt omnes linguas intelligat,
Didicit quidquid ſemel audiuit,
Toties parata reſpondére,
Quoties paratus es dicere.

Pour vn Pan.

Oſtentat honores ſuos Pauo dum alas explicat,
Penè exhibet cœlum dum ſe euoluit in gyrum,
Mox rotam contrahit dum pedes aſpicit;
Hæc illi ſolitudinis cauſa eſt, pudor ſui,
Solem fugit quem geſtat in caudâ.

Pour vne Montre au Soleil & à la Lune.

Illuſtria ſolitudinis ſymbola ſunt Sol, & Luna,
Neque hic eſſet Sol, niſi eſſet ſolus,
Neque hæc eſſet Luna, niſi eſſet vna.

Pour des heures au Soleil.

Adeò ſolitariæ ſunt horæ, vt nulla fluat niſi ſola,
Adeò amicæ vt nulla alteri inuideat,
Adeò fideles vt nulla alteram fallat,
Adeò veloces vt nulla vllibi ſiſtat,
Fluxit pars horæ dum aſpicis,
Tu quoque dum aſpexiſti, fluxiſti.

Pour vn Hermitage.

Hîc extra mundum habito ciuis mundi,
Hîc auſpicor æternitatem intra tempus,
Hîc viuo Deo iudice & me teſte:
Ille ſatis publicus eſt quem Deus videt.

Penſée de l'Eternité.

Præceſſit omne tempus æternitas, & ſequetur,
Stabit aliquando quidquid nunc fluit,
Veniet aliquando tempus extra omne tempus,
Hoc tempus erit æternitas.

Penſée de la Mort.

Ars artium eſt ſcire mori,
Pendet ab hac arte æternitas,
Reparabilis eſt error cæterarum artium;
Nemo moriendo bis errat.

Penſée de l'exiſtence de Dieu.

Nemo intelligens quid ſit Deus negat Deum;
Deus eſt id quo nihil eſt melius,
Non eſſet id quod eſt optimum, niſi eſſet.

Penſée de l'Amour de Dieu.

Vnum hoc Cœlitum negotium eſt amare Deum;
Hoc quoque negotium Dei eſt amare ſeipſum.
O homo dum amas Deum penè fis Deus!

Penſée de la Vierge.

Proximè accedit ad Deum Mater Dei;
Attingit fines diuinitatis Dei affinis,
Deus nihil intra ſe videt Deo nobilius,
Nihil extra ſe videt Matre maius.

PORTICVS CVM INSCRIPTIONIBVS ET IMAGINIBVS VIRORVM SCIENTIA ILLVSTRIVM QVI SECESSVM SOLITVDINIS AMARVNT.

Cicero in Tuſculano.

Didicit in ſolitudine Tullius quod è Roſtris dixit,
Et priùs Orator Tuſculanus fuit quam Romanus.

Varro in Caſſinano.

Varronem Romanorum doctiſſimum effecit ſolitudo,
Didicit è re ruſtica quod de politica ſcripſit.

Seneca in Nomentano, & Albano.

Dictauit Epiſtolas Seneca ſolitudo,
Beneficium ſolitudinis eſt, quod de beneficiis ſcripſit.

Demoſthenes in Hypogæo.

Ad murmur Torrentis Demoſthenes pronuntiare didicit,
Quod torrens Eloquentiæ fuerit, hoc debet torrenti.

Plinius ſenior in Miſinano.

Huic ſe in ſolitudine oſtenderat penè omnis natura,
Periit dum flammas explorat, quas natura celabat.

Plinius ſecundus in Laurentino.

Hic Orator, hic Conſul, hic Proconſul,
Malebat in ſolitudine ſecundus eſſe, quam in urbe primus.

Lepidus ad aquas lepidas.

Multatus tertia orbis parte Triumvir Lepidus,
Aiebat regnaſſe ſe alibi tertium, in ſolitudine primum.

Caſſiodorus in Rauennano.

Hic poſt Miniſterium Regis, & ſecreta Regni,
Laudabat ſilentium Regni, & arcana ſolitudinis.

Silius in Tumulo Virgilij.

Silius intra ſepulcrum hauſit ſpiritum Virgilij,
Solitudo penè tumulus eſt, & Poëtas facit.

Petrarcha in fonte Vaucluſio.

Claudit intra ſe theſauros fontium vallis clauſa,
Dum apud ſe Petrarcham habuit, oceanum clauſit.

Alciatus in Ticinano.

Alciatus in ſolitudine emblemata ſcribit,
Ipſe ſolitudinis doctum emblema fuit.

Cuiacius in Villa Bituricenſi.

Cuiacius in ſolitudine leges ſic explicat, vt penè condat,

Hodie doctrina fori, disciplina est solitudinis.

Boëtius in Rauennano.

Consolatur Boëtium in solitudine Philosophia,
Ipse Philosophiam consolari potuit.

Polus Cardinalis in Magusano.

Polus cadentis Angliæ Cardo & polus,
Stetit in solitudine dum Anglia cecidit.

Saluagnius Boëllius in Voræo.

Quod Orator, quod Poëta, quod eruditus, hoc debet solitudini,
In vrbe Rationum Regiarum, Ruri Præses Musarum est.

INSCRIPTIONES TERTII GENERIS
PER MODVM ELOGII.

INSCRIPTIO CAPITIS
D. IOANNIS BAPTISTAE.

INTER *humana capita nullum caput hoc maius fuit:*
Minor est Ioanne quisquis non est homine maior;
Ille solus maior est, qui est Deus homo.
Nullum caput vocalius, nullum taciturnius fuit;
Antequam Patrem haberet indixit Patri silentium;
Reddidit linguam Patri, dum vix habuit.
Intra vterum Matris vocale & mutum,
Expressit motu quod ore non potuit,
Exultauit, & lucem quam non videt ostendit,
Nondum exire potest, & Præcursorem agit.
Nemo citiùs locutus est, nemo tardiùs
Ex vtero Matris Verbum salutauit in vtero Virginis,
Ne salutaret homines in Eremum secessit,
Illic triginta annis tacendo, loqui didicit.
Nemo diutius tacuit, nemo post silentium plura dixit;
Echo omnium Prophetarum quidquid dixere repetiit;
Verbum VERBI *quale esset Verbum explicuit.*
Eheu donatum est hoc caput puellæ saltatrici,
Mauult mater adultera caput inimicum quam regnum.
Et saltationis pretium est Caput regno dignum.

Nec

Nec mora præfertur in disco inter pocula caput sobrium,
Natale conuiuium funesta cæde corrumpitur,
Ostenditur sanguis conuiuis, & penè bibitur.
Aspice hoc caput Rex impie quod te aspicit,
Cerne oculos exanimes, & adhuc flagitij tui testes,
Audi silentium linguæ, & flagellum luxuriæ:
Os illud est cuius sententiam ferre non poteras, neque adhuc potes;
Hæc lingua est quam arguentem timebas, & adhuc times:
Obtruncasti caput innocens, & vocale fecisti,
Sequetur te hoc caput exulem, vt vbique te damnet,
Hodieque Lugduni sepulcrum duorum amantium,
Accusat incestum Herodis, & Herodiadis;
Et homicidium Ioannis.

CAPVT DIVI PETRI, INVERSVM IN CRVCE.

INVERSVM *est hoc Petri caput, & rectum,*
Iacère sic debuit, vt rectà cœlum aspiceret,
Nunquam rectiùs aspexit quam dum sic vidit.
Puto sic aspexerat dum Christo ita respondit,
Tu es Christus Filius Dei viui.
Non reuelauerat hæc verba Caro, & Sanguis;
Audierat Patrem reuelantem, & repetiit:
Petra erat, & Petrus esse meruit;
Penè naufragium in mari fecit, dum aliter aspicit;
Inuertit caput ad Christum, & euasit;
Nec fugisset ex horto, nec negasset in palatio,
Si sic aspexisset,
Nemo peccaret in cœlum si sic aspiceret.
Prædixerat hunc situm Christus dum his verbis admonuit;
Cingebas te, & ambulabas vbi volebas,
Extendes manus tuas, cinget te alius, & ducet quo non vis;
Nolebat duci, cum Româ exiuit, & crucem timuit;
Voluit cum admonitus fuga, ad Crucem rediit.
Inuersus affigi Cruci voluit, ne posset aufugere;
Inuersus, vt à terrâ iter ad Cœlum faceret,
Inuersus, ne præter Deum & Cœlum aliud cerneret;
Inuersus, vt pendentem è Cruce Magistrum aspiceret;

Inuersus, indignum se ratus qui rectus penderet.
I Petre nunquam rectius ambulasti quam capite;
Scilicet itur ad Cœlum affectibus magis quam pedibus:
Euolare rectus in Cœlum Simon Magus tentauit, & corruit;
Tentauit inuersus Simon Petrus, & rectà iuit.

CAPVT DIVI PAVLI PRAECISVM.

DICAT *elogium huius Capitis os Chrisostomi:*
Nulla lingua laudare Paulum potest, nisi sit aurea.
Hoc caput humanæ Sapientiæ domicilium est, & diuinæ;
Insudit se vtraque huic capiti, vt illud impleret.
Hoc caput altius terris, raptum est ad tertium Cœlum,
Hic vultus Angelis permixtus, penè Angelus fuit:
Hi oculi viderunt Christum vt hominem, & penè vt Deum.
Hæ aures audierunt arcana verba quæ non licet homini loqui;
Dixit illa tamen hoc caput dum nescire se dixit.
Hoc caput redux ad terras, & terris maius
Proclamat vbique quod in Cœlo didicerat:
Exiuit in omnem terram huius capitis sonus;
Et verba vltra mundum perlata ibant ad Deum;
Nimirùm eò redibant vnde descenderant.
Quid agis impie Nero dum hoc caput abscindis?
Occidisti in Seneca Magistrum vrbis, in Paulo orbis:
Pati tales Magistros discipulus malus non potuit.
At loquitur præcisum caput Epistolis, dum non licet verbis,
Et calamo vocali iterum dicit, quæ scripsit.
Probat Romanis latére in rebus creatis Deum, & patéres
Probat Corinthiis fidem grandibus factis constare, non verbis;
Docet Galatas, minùs sapere illos, qui nimis sapiunt,
Laudat Ephesios, vt laudabiles reddat,
Appellat Philippenses coronam suam, & penè animam,
Probat Colossensibus fidem debére esse Colossum immobilem,
Thessalonicensibus ostendit palmam, & hortatur vt vincant,
Facit Timotheum similem sibi, vt faciat filium,
Vult Paulum esse Titum, vt Titus sit Paulus,
Vt Philemoni commendet Onesimum, commendat Paulum,
Ostendit Hebræis ex vmbris veteris Testamenti, diem noui.

Interea rorat hoc caput lacte non sanguine,
Perfudit hic liquor carnifices, & fecit Martyres,
Manant lacte Epistolæ Pauli,
Et orbis totus viuit hoc lacte.

DE EMBLEMATE.

ARTEM Emblematis & præceptiones tradidêre multi: hæc pauca accipe. Emblema picturis, & verbis constat plerunque, & totum corpus allegoricum est, aliud ostentans, & aliud adumbrans; admittit plures figuras humanas & diuinas, easque integras; & plura carmina & verba allegoriam explicantia: Et pati potest lemma aliquod aut Epigramma quod adumbratam personam appellet, eique emblema applicet; atque hæc apodosis quamuis extranea emblemati, iuuat tamen lectorem ne emblema quod videt, ænigma putet.

Ex iis vides Emblema differre ab Inscriptione quæ picturam necessariò non requirit, atque à symbolo quod nec figuras humanas integras nec plura carmina, nec integrum admittit, sed imminutum.

Exemplis emblematum pleni sunt libri: ante aliquot annos vita Eminentissimi Cardinalis Richelij adumbrata est quatuordecim Emblematis ex illustrioribus fabulis desumptis; pendet ex limbo ab vna parte explicatio Emblematis vno Hemistichio, ab altera parte applicatio, altero Hemistichio: atque iis quatuordecim imaginibus grandis voluminis ornatur elegans Porticus Richeliana, ab iis Emblematis dicta. Extat hodieque Parisiis in æde magnifica.

PRIMVM EMBLEMA.

La France malade & suppliante deuant les Dieux.

Cœlestem posco ægra manum,
Dignum peto Rege Ministrum.

SECVNDVM EMBLEMA.

La conduite du Chariot de la lumiere confiée à Apollon. Le Ministre d'Estat.

Deus est auriga Dei,
Alter terris debetur Apollo.

TERTIVM EMBLEMA.

Le Mariage de Tethys auec Pelée. L'Admiral.

Nubit mortali inuita marito,
Tethys maiori Gallica nubit.

QVARTVM EMBLEMA.

La Guerre des Princes.

Les Titans reuoltez contre les Dieux.

Et belli cauſa eſt Deitas,
Placauit Titanum iras.

QVINTVM EMBLEMA.

L'Iſle de Ré ſecouruë.

Niobe, & ſes enfans percez de fleſches par Apollon.

Vt Matrem vlciſcatur Apollo,
Niobe Anglia, Gallia Rea eſt.

SEXTVM EMBLEMA.

La Rochelle priſe.

Le Serpent Python tué par Apollon.

Perit in Pythone venenum,
Plus habuit Rupella veneni.

SEPTIMVM EMBLEMA.

L'Hereſie dompтée.

L'Hydre à ſept teſtes tuée par Hercule.

Plures moriuntur in vna,
Fœcundior hæreſis hydra.

OCTAVVM EMBLEMA.

Les Alliez ſecourus.

Le Roy Phinée deliuré des Harpies par Zethes & Calaïs.

Miſer inter fercula Phinéus,
Volucres Europa timebat.

NONVM EMBLEMA.

Vn Prince deſpoüillé.

Marſias eſcorché par Apollon prouoqué, &c.

Pellem detraxit Apollo,
Hac multi ſub pelle latent.

DECIMVM EMBLEMA.

Les Princes d'Allemagne contre &c.

Les Heros de Grece ſous Agamemnon contre Priam & Troye.

Heroes Agamemnone Rege,
Ne Troia antiqua reſurgat.

VNDECIMVM EMBLEMA.

Trois victoires.

Geryon à trois corps vaincu trois fois par Hercule.

Ter letho ſternendus erat,
Nunc fabula vera eſt.

DVODECIMVM EMBLEMA.

La paix deſſeignée.

L'Amour tirant le monde du Chaos.

Vnit amor dum diuidit orbem,
Pax præſtat quod præſtat amor.

DECIMVM-TERTIVM EMBLEMA.

Mercure dictant les destinées aux Parques. Le Reglement de l'Estat.

Mercurius parcis oracula dictat,
Habet per Te sua Gallia fata.

DECIMVM-QVARTVM EMBLEMA.

La Force & la Iustice. Les actions & les recompenses.

Hæc facit heroes,
Heroum hæc facta coronat.

DE SYMBOLIS, GALLICE DEVISES.

EX VARIIS ARTIS SYMBOLICÆ PRÆCEPTIS HÆC VIDENTVR ESSE PRÆCIPVA.

I.

SYmbolum picturâ & lemmate constat, seu vt loquitur vulgus corpore & anima.

II.

Pictura vt plurimùm simplex esse debet non composita, ne emblema esse videatur, aut ænigma.

III.

Erudita esse debet, non cuique obuia, neque tamen adeò tecta vt interprete egeat.

IV.

Corpus humanum integrum pictura esse non potest, pars corporis, oculus, cor, manus tolerari potest.

V.

Lemma Hemistichium esse debet non versus integer, desumi potest à Poëta aliquo, vel de nouo cudi.

VI.

Et pictura & lemma ita allegorica esse debent, vt neque personam nominent cuius sunt signa, neque se appellent inuicem.

VII.

Totum opus adeò natiuum esse debet vt ipso ferè aspectu rem designet, & sine interprete.

VIII.

Additur aliquando Symbolo Epigramma vt illud explicet, atque hæc explicatio aliquando plus ingenij quam Symbolum habet, & sæpè plus laudis, extraneum est tamen hoc Epigramma, & Symbolum supponit

magis quam facit: Ex eo tamen diuidunt aliqui Symbola in nuda, & explicata, nuda vocant quæ picturam habent, & lemma; explicata ea sunt quibus additur Epigrammæ

Exempla Symboli superioribus libris sparsa, quia breuia sunt reuoco in hunc locum, & aliqua addo.

Ex libro primo Elogia solennitatum Beatæ Virginis, nuda, & non explicata.

I.

SVR LA CONCEPTION.

Vne perle conceuë dans sa Nacre.

Intra vterum iam pura fui.

II.

SVR LA NATIVITE'.

L'Halcyon faisant son Nid parmy les tempestes.

Pacem afferet undis.

III.

LA VIERGE DANS LE TEMPLE AVEC SES COMPAGNES.

Des Abeilles dans leurs Ruches.

Mella parant, ceramque arùi.

IV.

SAINT IOSEPH MARIE' AVEC LA VIERGE.

Le Roy des Abeilles marié, & Vierge.

Fide non corpore coniux.

V.

L'ANNONCIATION A LA VIERGE.

Vne Echo dans vn Rocher.

Soli sum peruia Verbo.

VI.

SVR LA VISITATION.

Deux Palmes s'entre-baisans de leurs cymes.

Blando sese ore salutant.

VII.

SVR LA NATIVITE' DV SAVVEVR.

Vne Aigle ayant enfanté vn Aiglon.

Lætatur genuisse parem.

VIII.

VIERGE APRES L'ENFANTEMENT.

Vn Soleil penetrant vn Cristal.

Peruadit nec ledit iter.

IX.

SVR LA PVRIFICATION.

Les macules du Soleil ſont des Eſtoiles.

Ex maculis facit aſtra ſuis.

X.

IESVS TRENTE ANS AVEC LA VIERGE.

La Lune pleine ſous le Soleil.

Totum ſi poſſet haberet.

XI.

LA VIERGE AV PIED DE LA CROIX.

Vne Lune en Eclypſe.

Morientis ſyderis vmbra.

XII.

LA VIERGE DANS LE SEPVLCRE PRESERVEE, &c.

Le Roy des Abeilles ſur ſa Ruche.

Sua regna tuetur.

XIII.

L'ASSOMPTION DE LA VIERGE.

Vne Nacre deſpoüillée de ſes perles.

Exuuiis debetur honos.

XIV.

LA VIERGE DANS LE CIEL.

Le ſigne de la Vierge entre le Lyon & la Balance.

Cœleſtes temperat iras.

XV.

LA DEVOTION A LA SAINTE VIERGE.

L'Eſtoile Polaire.

Qui me non aſpicit errat.

DE IANSENII DOCTRINA,

TRIA SYMBOLA EXPLICATA.

I.

IANSENIVS CORRVPTOR AVGVSTINI.

Echo.

Reddens non integra verba.

EPIGRAMMA.

FAllitur, & fallit REDDENS NON INTEGRA VERBA,
Echo reflexi saucia imago soni.
Pastor Ypræ sensum fallens, & verba Magistri,
Echo est, hæc læsos reddit, & iste sonos.

II.

IANSENIVS TEGIT SE NOMINE AVGVSTINI.
Annulus Gygis.
Nemo satis sub luce latet.

EPIGRAMMA.

NEMO SATIS SVB LVCE LATET, *gemmam obijce soli,*
Qui vult esse gigas, cernitur esse Gyges.
Pastor Ypræ magno frustra se nomine celat,
Tolle Augustinum vocitua non Aquila est.

III.

IANSENIVS PSEVDO AVGVSTINVS.
Aquila adulterinam prolem præcipitem agens,
Hæredem negat esse suum.

EPIGRAMMA.

HÆREDEM NEGAT ESSE SVVM *qui lumina Solis;*
Fixo oculo, & firmo non bibit ore diem.
Magni Augustini non est Iansenius hæres,
Romanum pauido non tulit ore diem.

SYMBOLA
AVLAEIS ET VESTIBVS APPINGI SOLITA IN INAVGVRATIONE REGIA.

I.

Claua Herculis.
Et belli, & tessera pacis.

EPIGRAMMA.

EX *oleâ hæc claua est,* BELLIQVE, ET TESSERA PACIS;
Palladis est arbor, Pallas utrique favet.

Sol

II.

Sol pingens Parelia, & delens.

Quos pinxit delére poteſt.

EPIGRAMMA.

QVOS PINXIT DELERE POTEST, *hæc regia laus eſt;*
Poſſe ſibi ſimiles pingere, nolle pares.

III.

Sol Alo coronatus.

Me nubila victa coronant.

EPIGRAMMA.

INſidiata mihi ME NVBILA VICTA CORONANT,
Hoſtis erat qui nunc eſt diadema vapor.

TROIS DEVISES SVR LA MALADIE DV ROY LOVIS XIV.

I.

Vn Lys mourant ſur ſon oignon.

Impediunt nec regna mori.

EPIGRAMMA.

SVppoſitum calcat moriens flos Regius orbem.
NEC *florem* IMPEDIVNT, *ſubdita* REGNA MORI,
Nec te orbis, nec Te ſceptrum Lodoice iuuabat,
Ipſe etiam morti ſubditus orbis erit.

II.

L'œil'et de Virgile languiſſant.

Nec iam mater alit tellus.

VIRGILIVS.

QValem virgineo demeſſum pollice florem,
Seu molis viola, ſeu languentis hyacinthi,
Cui neque fulgor adhuc, nec dum ſua forma receſſit;
NEC IAM MATER ALIT TELLVS, *viresque miniſtrat;*
Talis eras Lodoice, tua hæc languentis imago eſt.

III.

Vne Eſtoile qui ſemble tomber.

Fruſtrà caſura timetur.

EPIGRAMMA.

Fixa eſt, & FRVSTRA *cœlo* CASVRA TIMETVR,
Stat globus, & firmo eſt inſita ſtella globo.
Tu quoque caſurus fruſtra Lodoice timêris,
Fixus es, & fato eſt Gallia fixa tuo.

DEVISES SVR LA REINE DE SVEDE.

I.

La Gerbe de Suede.

Terra retinacula ſoluit.

EPIGRAMMA.

Hærebat, TERRÆque *ſeges* RETINACVLA SOLVIT,
Nec Te terra triplex, nec diadema tenet.

II.

Vne Nacre deſpoüillée de ſes Perles.

Exuuiis ſuus hæret honos.

EPIGRAMMA.

EXVVIIS SVVS HÆRET HONOS, *& diues & orba eſt,*
Et gerit amiſſum nunc quoque teſta decus.

III.

Vn Lys deſpoüillé de ſes feüilles.

Adhuc in ſtipite regnat.

EPIGRAMMA.

Excuſſit flores, & ADHVC IN STIPITE REGNAT,
Quod ſupereſt, ſceptrum floribus eſſe poteſt.

IV.

Vn Lys ſur ſon oignon

Subiectum poſſidet orbem.

EPIGRAMMA.

SVBIECTVM *non impoſitum flos* POSSIDET ORBEM,
Calcas regali ſubdita ſceptra pede.

V.

L'Eſtoile Polaire attirant l'Aimant.

Vis arcana trahit.

EPIGRAMMA.

VIS ARCANA TRAHIT, *tacitumque inſpirat amorem,*
Et tu ſponte trahis proxima regna polo.

TROIS DEVISES SVR VN MINISTRE D'ESTAT SECRET EN SES CONSEILS.

I.

Le Nil, duquel on ne ſçait pas la ſource.

Parte ſui meliore latet.

EPIGRAMMA.

PARTE SVI MELIORE LATENT *miracula Nili;*
Naſcitur, & nondum Patria prima patet.
Et tu parte tui non vis meliore videri,
Facta patent vrbi publica, cauſa latet.

II.

Vne Grenade à demy ouuerte.

Nobiliora latent.

EPIGRAMMA.

QVot grana oſtentat, tot ſydera punica Malus
Sydera ſub granis NOBILIORA LATENT.
Magna licet de Te pateant, maiora teguntur,
Dum te aperis, intus nobiliora tegis.

III.

Vn ver à ſoye.

Ars pretioſa latet.

EPIGRAMMA.

ARS PRETIOSA LATET *quâ bombix viſcera voluat,*
Deque ſuo textor ſerica fila neat.
Ars pretioſa latet quâ tu hoſti retia texis,
Et pacem, & nobis ſerica fila facis.

TROIS DEVISES SVR VN GRAND MINISTRE D'ESTAT VICTORIEVX DE L'ENVIE.

I.

Vn Soleil faiſant des grandes ombres en ſon leuer.

Spargit longas dum naſcitur vmbras.

EPIGRAMMA.

SOl oriens *longas* SPARGIT DVM NASCITVR VMBRAS,
Inuidiam quiuis nobilis ortus habet.

II.

Le Soleil ne faisant quasi plus d'ombre en son Auge.

Vmbras vix spargit in Auge.

EPIGRAMMA.

PRouectus sublime VMBRAS VIX SPARGIT IN AVGE,
Nec Te audet, nec te liuor adire potest.

III.

Vne Estoile qui semble tomber.

Dum radiat cecidisse putant.

EPIGRAMMA.

DVM RADIAT CECIDISSE PVTANT, *scintillat imago*
Syderis, & sydus creditur vmbra cadens.
Tu quoque fulgebas dum te cecidisse putabant,
Interea si quid decidit, vmbra fuit.

TROIS DEVISES SVR L'ESCVSSON D'VN MINISTRE D'ESTAT.

I.

Vne hache Romaine droite.

Nullæ inflexère procellæ.

EPIGRAMMA.

ROmanos fasces NVLLÆ INFLEXERE PROCELLÆ,
Non Aquilo, & quidquid flaminis auster habet.
Hoc animi est emblema tui, stetit integra virtus,
Et dum nutaret Gallia, Roma stetit.

II.

Vne hache Romaine éleuée sous vne bande.

Ne noceat sublime micat.

EPIGRAMMA.

NE NOCEAT SVBLIME MICAT Romana securis;
Et timet vlcisci, dum violare potest.
Frustra illam retinet sublimis fascia rectam,
Sponte sua vt posset parcere recta foret.

III.

Trois Estoiles.

Prudentia triplex.

EPIGRAMMA.

VNa aliis, innata tibi est PRVDENTIA TRIPLEX,
Et tota hæc virtus est Masarine tua.
Præluces Regno, & Regi, fideique, Minister,
Unica stella aliis, est tibi stella triplex.

DEVX DEVISES SVR L'AMOVR MESLE' DE CRAINTE,

Amari & timeri.

I.

Le confluent du Rhosne auec la Saone.

Miscentur in vnum.

EPIGRAMMA.

LEntus Arar, Rhodanusque celer MISCENTVR IN VNVM,
Ille amor, hic timor est, lentus hic, ille celer.

IV.

Vn sep de vigne en Prouence perçant le corps d'vn Oliuier.

Mixtus vtrique sapor.

EPIGRAMMA.

NAscitur ex Baccho Pallas, de Pallade Bacchus;
Hæc amor, hic timor est, MIXTVS VTRIQVE SAPOR.

DEVISES SVR LA VIE PRIVEE ET PVBLIQVE D'VN MINISTRE D'ESTAT.

I.

Les fontaines de Paris.

Quod bibimus de rure venit.

EPIGRAMMA.

QVOD BIBIMVS DE RVRE VENIT, *postquam alluit vrbem;*
Mobilis ad patrios vnda recurrit agros.
Tu quoque post Aulam, & fiscum, & mysteria regni,
Vnde nouus redeas, ad noua rura redis.

II.

Le Nauire de la ville de Paris.

Reditura perambulat orbem.

EPIGRAMMA.

VT gazas referat, REDITVRA PERAMBVLAT ORBEM,
Et quas collegit, diuidit orbis opes.
Regius est Nauis fiscus, Tu Nauita fisci;
Diuidit allatas te duce Nauis opes.

III.

La Seine.

Exit nec deserit vrbem.

EPIGRAMMA.

QVam properare vides EXIT NEC DESERIT VRBEM,
Et fluit, & semper mobilis vnda manet.
Tu quoque Meudonum repetis, nec deseris vrbem,
Et procul & præsens nobile flumen ades.

IV.

Vn Compas.

Centro pes alter adhæret.

EPIGRAMMA.

PEs alter graditur CENTRO PES ALTER ADHÆRET,
Ni foret immotus non numeraret iter.
Tu quoque terrarum fines Legatus obisti;
Et centrum, & semper circulus Aula tibi est.

DEVISE SVR LE DECEZ D'VN IEVNE ENFANT DE MAISON.

Hemerocallis.

Una dies.

EPIGRAMMA.

VNA DIES nasci videt, & eadem vna perire,
Fallor vix obiit, cui neque vita fuit.

AVTRES DIVERSES DEVISES.

Vne Aigle couurant iustement son nid de ses ailes.

Par adibus hospes.

EPIGRAMMA.

Contens en sa fortune.

Æ Quales nido pennæ, PAR ÆDIBVS HOSPES,
Fortuna maior, nec minor esto tuâ.

Des Perles dans leur Nacre.
Amant pretiosa latére.

EPIGRAMMA.

Amour de la solitude.

M Aterni nollent vteri prodire latebris,
Ni tonitru impresso rumperet igne sinum.
Vilia quaque patent, sed AMANT PRETIOSA LATERE,
Quæ gemma est, floccus ni latuisset erat.

Vne plante de Muguet.
Inest quid suaue cucullis.

EPIGRAMMA.

Pour vn Religieux.

I Ntus inest quid suaue, & INEST QVID SVAVE CVCVLLIS,
Suaue est quod nubes religiosa tegit.

Vn Sep de vigne lié.
Crescit per vincula virtus.

EPIGRAMMA.

Q Væ reptaret humi CRESCIT PER VINCVLA VIRTVS,
Dum petitur probris per probra crescit honos.

Vne pierre pretieuse nommée Triophtalmos.
Tria lumina & vnum.

EPIGRAMMA.

La Trinité.

V Nica ter gemma est, & sunt TRIA LVMINA ET VNVM;
Ter Deus est, nequeunt tres tamen esse Dij.

Les Planetes à l'entour du Soleil.
Non licet esse pares.

EPIGRAMMA.

Les Grands.

C Ognatis quamuis radiis, & luce coruscent,
Esse licet similes, NON LICET ESSE PARES.

DE ELOGIO.

ELOGIVM est succus & quasi Spiritus, anima & quasi essentia panegyrici: spiritum appellant Chimici essentiam à singulis rebus beneficio ignis & artis eductam, animam floris, succum liquoris, spiritum auri, mentem Metalli: addunt quintam essentiam esse, essentiam essentiæ, florem floris, liquorem liquoris, aurum auri, metallum metalli. Quod Chimicis est aurum auri, hoc Elogistis Elogium est, Panegyricus panegyrici.

Quò nobilius est hoc scribendi genus eò est difficilius, nec faciles præceptiones habet; & fortè ad Elogium plus confert natura quam doctrina, & plus indolis habet hoc scribendi genus quam artis.

Tria in Elogio distingui possunt, dictum seu acumen, dictio, & dicendi modus seu flexus.

Dictum subtile esse debet non obtusum; illustre non vulgare, singulare non commune, natum ex reipsa non aliunde quæsitum; sæpè hoc acumen natura suggerit, doctrina acuit, experientia perficit; Interdum est cogitatio prima, aliquando decima; sæpè sponte nascitur, aliquando quæritur; interdum difficile inuenitur; sæpè est naturæ partus, interdum industriæ, aliquando fortunæ.

Dictio elogij pura esse debet non fucata, natiua non violenta, clara non ambigua; verba nec Africam sapere debent ne sint aspera, nec Asiam ne sint mollia, nec Athenas ne sint fœminea; romana esse debent vt sint mascula & robusta.

Modus dicendi seu flexus est mysterium Elogij, secretum artis, ars artificis: dicit hic flexus ordinem verborum, aptitudinem dictionis, situm acuminis, quem situm si mutaueris, elogium euertisti.

Elogiorum duo sunt quasi genera, vnum singularibus lineis constat, alterum periodis.

In primo illo genere, singulæ lineæ debent proponere, & concludere, debent esse res ipsa & ratio rei, debent inferre & inferri, antecedere & sequi; debent esse Epigramma vnius carminis, discursus vnius propositionis, debent esse propositio rem probans, & res ipsa probata.

In altero elogij genere periodus sententiis constare debet non vacuis verbis, singula membra acumina sunt inter se connexa, & se inuicem augentia, crescit secundum ex primo, augetur secundum à tertio; ex omnibus sententiis quasi ex totidem gemmis exsurgit periodus quasi pantarba, multiplex gemma & vnica.

Elogiorum

Elogiorum exemplis pleni sunt superiores libri; adde aliqua primi generis & secundi.

TRIA ELOGIA PRIMI GENERIS.

CAPVT ALEXANDRI MAGNI.

GERAT hoc caput intra se mundum, nec tamen est plenum,
Quarit plures mundos extra vnum,
Et post victa omnia quarit adhuc quod vincat.
Timuerat infans ne haberet quod vinceret,
Vidit Patrem victorem, & inuidit,
Fleuit, & lacryma infantis orbem terruere;
Post victum orbem penè iterum fleuit,
Doluit post omnia nihil supereſſe vincendum.
O hominem auarum! qui post Darij diuitias adhuc est pauper;
O ambitiosum! cui nec natura satis est, nec fortuna:
Adeptus nomen Magni maius aliquid ambit,
Solus sine æmulo clarus, vult esse clarior;
Maior fortuna sua, vult esse se maior,
Et ne æmulo careat fit æmulus sui.
Infelix Alexander extra se victor, intra se victus,
Extra se Dominus, intra se seruus;
Imperat aliis & seruit sibi,
Seruit amori & iræ impotens sui.
Scilicet id egerat victoriis suis,
Vt cætera haberet in potestate non seipsum,
Et foris victor, domi esset captiuus.

CAPVT IVLII CÆSARIS.

HOC caput aut æquale est alteri, aut est maius;
Vtrique capiti mundus vnus non sufficit.
Iulius Cæsar Alexandro posterior fuit non minor,
Aut æquales inuicem erant si simul vixissent,
Aut dubia esset vtriusque victoria:
Alexander generosior, Cæsar astutior fuit;
Fefellit Gallos, vincendus nisi fefellisset;
Armauit Galliam in seipsam, & Galliam vicit per Galliam.

Et Romam quoque vicit per Romam,
Et Cneium magnum per Cneium.
Magni omnino viri Alexander & Cæsar,
Maiores futuri nisi voluissent esse maximi;
Ne æmulos haberent neuter potuit pati magnum:
Vt statuerent authoritatem priuatam, euerterunt publicam
Vt primi essent, omnes voluerunt esse postremos.
At senior Alexandro Iulius Cæsar,
Tot hominum millia cecidit, vt inde Cæsar appellari posset;
Post cæsam Galliam cecidit Italiam, & Patriam ipsam,
Neque tot homicidiis satur,
Post cæsum Occidentem cogitabat Orientem,
Cæsurus orbem terrarum, vt vbique Cæsar esset.
Denique ibi cæsus est, vbi Senatum ceciderat,
An cum detrimento orbis, an cum lucro, non liquet.

CAPVT CICERONIS.

ADHVC eloquentiam spirat hoc caput,
Linguâ caret, & adhuc loquitur,
Præcidit linguam Fuluia non eloquentiam;
Adhuc vox est superstes post animam.
Erras Fuluia dum solam linguam vocalem putas,
Totum Ciceronis caput eloquens est,
Et frons, & oculi linguam habent, qua te accusent;
Vidit hoc caput è rostris Antonius, & timuit;
Timeret Catilina si adhuc viueret,
Vidit populus Romanus, & loqui credidit:
Pungit te hæc lingua Fuluia, dum illam pungis,
Sentis eius vulnera, nec illa te sentit.
Olim contra Antonium Philippicam,
Nunc contra te Olympicam dicit.
Adhuc loquitur hoc caput etiam mutum,
Adhuc rostra eius eloquentia personant;
Adhuc eius verbis Roma loquitur,
Adhuc eius iudiciis forum sapit,
Hoc caput Ciceronis est, & lingua mundi.

ELOGIA SECVNDI GENERIS.

ELOGIVM SANCTÆ CATHARINÆ.

Ex illis verbis Psalm. 44. Proximæ eius afferentur tibi, Euthymius Catharinam proximam dicit.

CATHARINA proxima Deiparæ ostensa est Verbo dum Matrem eligerer, penè eligenda nisi Maria electa esset, quæ tamen Mater esse non potuit, sponsa fuit; subharrauit eam Christus annulo, & sponsam fecit.

Proxima quoque est Deiparæ ritulo puriraris, audi quot titulis pura est, ne dubires proximam esse.

Primum argumentum puritatis est titulus nominis, appellarur pura dum appellarur Catharina; sæpè magnarum rerum argumenta sunt nomina.

Alterum argumentum est neglectus imperij; puritatem sic amauit vt eam sceptris prætulerit, vt Virgo esset, imperatrix esse noluit.

Tertium puritatis argumenrum est Columba, hæc Carharinam diu in vinculis aluit, Columba vna Columbam alteram; ne quære quo cibo, ex succo aëris; nec alio alimento ali debuit Virgo cœlestis.

Quarrum argumentum est sepulcrum; rumulata est manibus Angelicis, & ipsa penè Angelus fuit; ne quære vbi Carharina sepulta sit, ignoratur hodieque locus sepulcri; scilicet penè versa in spiritum, quod terræ mandaretur vix habuit.

Non satis dixi, & Virgo & Marer Catharina fuit; vt Matrem scias dum occideretur lac dedit; eo lacte Imperarricem, & Porphyrium, & Philosophos aluit; scilicet quos fecerat Christianos, alumnos habere debuit.

Marer quoque scienriarum tot filios haber quot eruditos: Pallas Christiana emendauit profanam; ex Philosophia Theologiam fecit; ex arcanis naturæ collegit mysteria gratiæ; ex rebus creatis præmissas fecit, & Deum collegit ex opere.

Denique ad rotam damnata armatam suppliciis, ex rota currum fecit in quo pugnauit & vicit; hoc curru euecta victrix ad superos iuit: Illic proxima est Deiparæ, Princeps Reginæ.

ILLVSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI

DOMINI PETRI SCARRON,

ECCLESIÆ GRATIANOPOLITANÆ, PRÆSVLIS ET PRINCIPIS PLVSQVAM OCTOGENARII.

ELOGIVM AETATIS.

QVALIS est ætas tua, PRÆSVL, ET PRINCEPS? neque hyems est quia habet plurimum veris, neque autumnus quia habet aliquid hyemis, ætas est multarum ætatum, & tamen vnica.

Antiquissimus Senatorum Parisiensium, annosissimus omnium Præsulum, vidisti hunc mundum iuuenem & vides senem, nec iuuenis ipse nec senex; vidisti annos antiquos & vides nouos; vidisti duas ætates, & illæ viderunt te, vidisti interire per partes & integer es; vidisti eodem vultu quali nunc vides; mutasti octoginta annos, nec illi mutarunt te.

Pinxit te olim pictor qualem nunc pingeret; idem est tabellæ vultus & tuus; vnum est discrimen imaginis & prototypi; senex est imago tua nec tu senex; decolorauit illam tempus, nec decolorauit te, contraxit aliquas rugas quibus tu cares.

Dicitur Nestor vidisse tres ætates, & ter vixisse; heros heroum, & senex senum, semel homo & ter sapiens fuit; fluebat ex eius ore mel quasi ex ape, apis attica erat, & Philomela Pylia.

Fabula erat Nestor, & tu historia es; Senator Senatorum, & Præsul Præsulum, superas Nestoris vitam & sapientiam; vna in illo Sapientia erat, in te est plurima; vnilinguis erat, & tu trilinguis es; crederet te atticum Agamemnon, si te audiret; credidit te Ciceronem Roma dum te audiuit; audiuit te sæpè Aula, & te legit; & nunc dum ad Reges & Principes scribis, mellea est oratio tua, & tu apis es Gallica.

Denique nihil in te senile est nisi sapientia, hæc tamen ita antiqua est vt sit etiam noua.

Gratulamur tibi antiquos annos, & optamus nouos; vidisti duo secula, optamus tertium; vnum est quod timemus ne te optet æternitas, hanc optamus tibi sed post plurima secula.

NOBILISSIMIS, ET ILLVSTRISSIMIS DOMINIS

DD. PRAESIDIBVS, ET CONSILIARIIS SENATVS DELPHINATENSIS.

SVPPLEX LIBELLVS.

CArere templo non debet Collegium quod est Christianum; habuêre quondam delubra Musæ dum erant profanæ; habere altaria debent dum sunt sacræ; & habêre Gratianopoli debent in vrbe gratiarum; ingrata vrbs esset nisi gratiæ Musas adiuuarent, & sunt sorores.

Extabat anre paucos annos in Collegio templum, sed ligneum; assutæ abietibus abietes extruebant Deo ædem sed syluestrem; amabat ramen ligneam domum faber Christus, & cui vltra stellas est empyreum palatium, habitare dignabatur intra abietes, & coli se patiebatur inter arbores.

Exêdit tandem ligneas ædes vetustas, corrupit pluuia, succussit tempestas, euertit ruina, scilicet patebat omnibus iniuriis fragilis structura; penetrabat illam frigus, inflammabat æstus, laxabat humiditas, dissuebat siccitas, nemo intra illam tutus erat nisi solus Deus; corruit tandem debile ædificium, impune tamen, & citra vitæ iacturam; nimirum nocêre non potest domus, intrà quam habitat Deus.

Orbatæ sacris ædibus Musæ adorare coguntur in sacello non suo; habitat Musarum Deus in conductitia domo, inquilinus est alieni hospitij, & caret loco, per quem factus est omnis locus: quodque opprobrio simile est, adeò exigua est ædes, & angusta, vt excludat cultrores quos inuitat, nec sufficit precibus publicis quæ vix est satis priuatis.

Exhauserunt se Musæ vt nouum templum Deo extruerent, expenderunt omnem assem suum, & penè obolum; nec puduit nobiles puellas, emendicare æs alienum post exhaustum suum: sed illud quoque nunc exhaustum est; nec licet amplius Musis esse mendicis; erubescunt ne erubescant, timent ne timeantur; nec tamen carêre templo possunt nec Deo.

Intereà absistere cœptis coguntur egenæ virgines, sed inuitæ: pendent opera interrupta, minæque murorum ingentes, eductaque machina cœlo; obuia est iniuriis aëris pars seminuda templi, pluit, fulgurat, tonat intra ædem Dei; tutus intra ædes suas homo habitat, patet opprobriis temporum templum Dei, & penè ipse Deus.

Ar hoc dedecus quoddam est vrbis vestræ; cur inquiunt aduenæ om-

nes abrumpitur opus publicum & diuinum? esset hoc decus Gratianopolis nouæ: habet sua templa vrbs antiqua, carére templo non debet Gratianopolis noua: tres nobiles vici in hac nouæ vrbis parte triangulum efficiunt, esset hæc ædes trium linearum nobile centrum: hæc dicunt aduenæ omnes, idem dicunt ciues: at eæ sunt voces & verba, mallem saxa esse & marmora.

Quid faciant inopes Musæ quò eant nisi ad vos, ILLVSTRISSIMI PRÆSIDES ET SENATORES? vos extruendi templi consilium approbastis, & penè iussistis: vos auxilij nobilis spem fecistis: decreti vim habent verba vestra, nec lædi ab aliis debent nec à vobis: implorant supplices Musæ fidem quam dedistis: pars est Iustitiæ stare promissis: Deus ipse liberalis dum promittit, iustus est dum promissa reddit, & vos liberales & iusti suppletis Deum, & penè dij estis.

Humillimæ & addictissimæ Musæ Collegij Gratianopolitani, Anno Domini 1664.

DE ELOGIIS GALLICIS.

QVÆSIERVNT ex me aliqui an etiam linguâ Gallicâ scribi Elogia possint; difficultatem facit genius linguæ natiuus, & purus, & qui similis indoli gentis, nec patitur nexus qui adstringant libertatem linguæ, nec acumina quæ lædant puritatem; fortassis tamen etiam in hac linguâ scribi acutum aliquid potest; propono elogia aliqua Gallica, quæ si displicebunt lectori, omittat illa, si placeant legat: pati illa potest hic octauus liber qui miscellanea continet.

ELOGE DES LARMES.

QV'est-ce qu'vne larme? si c'est vne goutte d'eau, comment est-elle si pretieuse? Si elle est si pretieuse, n'est-ce pas vne perle? Si c'est vne perle, d'où vient qu'elle est fonduë? Si c'est vn cryſtal, qui la congele, qui la dissout? Si c'est vne vapeur, qui l'éleue, & qui la fait descendre? Si c'est du sang, comment n'est-il pas rouge? Si c'est vne liqueur differente de l'eau, quelle est sa fontaine & sa source?

Les larmes ont leur premiere naissance dans le cœur, il est leur pere, & elles sont ses filles, il s'ouure pour les conceuoir, il se ferme pour les enfanter, l'amour les conçoit, la douleur les enfante; de sang elles passent en esprit, d'esprit en vapeur, de vapeur en eau; l'amour & la douleur font tous ces changemens; c'est pour cela qu'elles sont chaudes, par-

ce qu'elles ſont affectueuſes, & elles ſont ſalées parce qu'elles ſont ameres.

Le cœur eſt le pere des larmes, & le cerueau leur mere : Il faut le concours de ces deux parties pour leur production : l'imagination dans le cerueau connoiſt le mal, l'appetit dans le cœur le reſſent & ſe ſerre ; en ſe fermant il enuoye des eſprits au cerueau meſſagers de ſa douleur, & teſmoins de ſa paſſion ; ces eſprits ſe refroidiſſent dans le cerueau comme dans vn alambic, & deuiennent des larmes ; le cerueau leur ayant donné la vie les enuoye dans les yeux pour y receuoir la lumiere.

Le cœur & le cerueau ſont les parens des larmes, les yeux ſont leurs nourriſſes ; ils les reçoiuent dans leurs veines ; ils les eſleuent dans leur ſein ; ils ſont les mammelles de ce lait, les nacres de ces perles, les minieres de ce cryſtal, les ſources de ces eaux, le treſor de cet argent liquide.

Les larmes ſont pretieuſes en terme de nature ; elles reçoiuent l'eſtre du cœur, la vie du cerueau, la lumiere des yeux ; elles naiſſent de la joye & de la douleur ; elles ſont chaudes & froides, ameres & douces ; elles ſont les filles de deux paſſions, & elles en ſont les meres ; elles naiſſent de l'amour, & elles le font naiſtre ; elles viennent de la douleur, & elles la produiſent ; elles pleurent, & elles font pleurer ; elles ſont muettes & eloquentes ; elles meuuent, & elles ſont eſmeuës.

Les larmes ſont nobles en terme de nature, elles le ſont bien plus en terme de mœurs : toutes les vertus aiment les larmes, & elles ſçauent toutes pleurer : la Foy pleure de ne voir pas encore ce qu'elle croit : l'Eſperance ſoûpire apres ce qu'elle ſouhaire : la Charité pleure de joye, la Penitence de douleur, l'Humilité pleure ſon neant : la Religion offre vn ſacrifice de larmes : la Force donne des larmes de ſang : la Iuſtice pleure & fait pleurer : la Prudence regle les larmes, toutes les vertus pleurent ſur les vices qui leur ſont oppoſez.

Ie n'ay pas aſſez dit, Dieu meſme aime les larmes, & ne pouuant pleurer en qualité de Dieu, il s'eſt fait homme pour apprendre à pleurer : La Vierge a ſouuent pleuré, on compte ſept de ſes douleurs, on ne peut pas compter ſes larmes. Tous les Saints ont donné des larmes : les Martyrs des larmes de ſang, les Vierges des larmes de lait, les Confeſſeurs des larmes de zele & de penitence : les Anges de paix pleurent dans l'Eſcriture : ſi les Demons euſſent pleuré ils ſeroient encore Anges : & ſi les pecheurs euſſent voulu donner des larmes, il n'y auroit point d'Enfer ny de damnez.

ELOGE DV GRAIN.

IL n'eſt rien dans la nature plus petit qu'vn grain, il n'eſt rien de plus grand; il n'eſt rien de plus vil, & rien de plus pretieux; il n'eſt rien qui ait moins d'apparence & plus d'effet; le grain eſt vn treſor caché, vn miracle ruſtique, vn prodige familier, vn ſecret connu & caché, vn myſtere de la nature.

Laboureurs quand vous ſemez vos grains, vous ſemez des miracles, & vous n'y penſez pas: quand vous cultiuez la terre, vous cultiuez des prodiges: quand vous moiſſonnez vous cueillez des merueilles: voſtre condition eſt miraculeuſe, & vous l'eſtimiez baſſe & raualée, vous vous trompiez.

Voulez-vous voir la grandeur & l'excellence du grain: le Sauueur dans l'Euangile dit, que le Royaume du Ciel eſt ſemblable à vn grain: il faut que le grain ſoit bien grand pour égaler le Ciel: C'eſt trop peu dire, le Sauueur luy meſme ſe compare à vn grain; il eſt tombé dans le ſein d'vne terre Vierge, comme vn germe de vie; il en eſt ſorti comme vn eſpy fecond, il a eſté mortifié & moulu en ſa Paſſion pour ſe changer en pain de vie: Ce n'eſt pas encore aſſez, le Sauueur dit que ſon Pere eſt vn Laboureur, il a ſemé au dedans de ſoy ſon Verbe comme vn beau grain, & au dehors toutes les creatures: Laboureurs voſtre fortune eſt plus noble que vous ne penſiez pas. Dieu eſt vn Laboureur.

C'eſt la grandeur du grain par comparaiſon, voulez-vous voir ſa grandeur en luy meſme: Ce petit grain paroiſt ſec, & il eſt bien fertile; il paroiſt mort & il cache la vie: mais s'il cache la vie, comment eſt-il mort? & s'il eſt mort, comment a-il la vie? Il eſt mort en ſoy, il vit par vn germe de vie qu'il a chez ſoy: Il paroiſt pauure, il cache chez ſoy vn treſor, cent grains ſont cachez en ſon ſein: Il eſt vn, & il eſt pluſieurs, il eſt grain, il ſera eſpy, il a chez ſoy le principe de ſes grandeurs, il eſt grand en ſes productions eſtant petit en ſoy.

Mais ce qui eſt merueilleux, il faut que ce grain meure en ſoy pour donner la vie, & s'il ne mouroit pas il ne ſeroit pas vn principe de vie: Merueille il faut que la vie naiſſe de la mort, il faut que ce grain tombe pour ſe releuer, il faut qu'il ſe cache pour paroiſtre, il faut qu'il meure pour reſſuſciter: Heureuſe mort, puis qu'elle donne la vie! heureux grain de perdre vn eſtre pour en recouurer pluſieurs, de ceſſer d'eſtre grain pour deuenir eſpy, de mourir vne fois pour viure autant de fois qu'il produira de grains.

Le grain eſt merueilleux: il n'eſt pas moins vtile, puis qu'il nous nourrit,

rit, & nous donne la vie; le grain deuient farine, cette farine eſt changée en pain, ce pain ſe change en chair, & il deuient vne partie de moy-meſme: Ie dois ma vie à ce grain, ma chair eſt formée de ces grains, & ie ſuis tout compoſé de grains.

O homme apprens les obligations que tu as à ce grain, tu ne peux pas le meſpriſer ſans meſpriſer ta vie; tu ne ſçaurois t'aimer, ſans aimer ce qui te donne la vie; ce grain meurt pour te faire viure, tu dois ta vie à ſa mort; tu ne ſçaurois luy vouloir mal, ſans te haïr toy meſme.

Mais ie ne ſçay ce que ie dois plus admirer en ce grain, ou ſon malheur en ces changemens, ou le bonheur de ſa fortune parmy ſes infortunes: pour eſtre changé en farine il faut qu'il ſoit moulu, pour eſtre changé en pain il faut qu'il ſoit paiſtri, pour eſtre changé en chair il faut qu'il ſoit maſché & digeré: Mais ces ſouffrances ſont bien recompenſées, il deuient chair, il deuient homme, & ayant eſté ſans ame quand il eſtoit grain, ayant veſcu en plante quand il eſtoit eſpy, il vit d'vne ame raiſonnable eſtant changé en homme.

Pour comble de ſon bonheur il entre dans les greniers de l'Eternité; *triticum autem congregate in horreum meum*, apres tant de morts il deuient immortel, apres tant de corruptions il eſt incorruptible, du grenier de la terre il entre dans le grenier du Ciel, il eſt compté parmy les richeſſes du Paradis, & apres auoir ſeruy à la table des hommes, il ſert à la table de Dieu.

ELOGE DE L'EAV ET DV VIN.

IL ſemble que l'eau eſt bien plus excellente que le vin, elle eſt vn noble Element, & le vin n'eſt qu'vn mixte, elle eſt vne maiſtreſſe piece de la nature, & le vin n'en eſt qu'vn adjoint; ſans l'eau il n'y auroit point de monde, & il ſeroit plus ſage ſans le vin.

Bien dauantage, Dieu produiſant les eſpeces des creatures dans les ſix premiers jours de la naiſſance du monde, s'oublia de produire le vin: cela veut dire que le vin n'eſt pas vne eſpece beaucoup parfaite, ou beaucoup neceſſaire; Dieu regarda au ſixieſme jour ſon ouurage, & il vid que tout ce qu'il auoit fait eſtoit bon, il ne vid point de vin, le monde en ſon premier âge s'eſt bien paſſé de vin, & il ne s'eſt pas pû paſſer d'eau.

C'eſt la nobleſſe de l'eau dans la comparaiſon du vin: voulez-vous voir ſa nobleſſe en elle-meſme; l'eau eſt trop noble pour eſtre toute ſous la Lune, l'Eſcriture dit qu'il y a des eaux ſur les Cieux: les eaux au commencement occupoient tout le monde, les Cieux en ont eſté formez, & ils en retiennent encore l'azur & la couleur; elles ſont demeurées ſur les

Eſtoiles, comme en vn lieu digne de leur nobleſſe: Dieu fit vn Firmament au milieu des eaux pour les ſeparer, non pas pour les exclurre: Les autres Elemens n'ont qu'vne place dans la nature, l'eau eſt ſi noble qu'elle eſt ſous le Ciel, & deſſus; elle occupe deux places, elle fait quaſi deux Elemens, & elle a fait quaſi toute la Nature en ſon commencement.

Ce que l'Eſcriture adjouſte eſt encore plus illuſtre, *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas*, il faut que l'eau ſoit bien forte pour ſouſtenir vn Dieu. Cet Eſprit diuin eſtoit porté ſur les eaux, il y eſtoit comme dans vn Siege pour y loger, comme dans vn Thrône pour y regner, comme dans vn Char de gloire pour y triompher: Il y eſtoit comme vn vent pour les remuer, comme vn zephire pour les creſper, comme vn eſprit pour les rendre fecondes, il y eſtoit comme vn Architecte y deſſeignant les parties du monde: C'eſt trop peu, comme les diſpoſant à l'eſtat de la Grace, comme les preparant pour ſeruir de matiere au plus noble des Sacremens.

Et c'eſt icy la grande loüange des eaux, elles ſont la matiere du Bapteſme: Elles ſont ſi pures qu'elles lauent les impuretez du peché, elles ſont ſi ſaintes qu'elles produiſent la ſainteté, elles ſont les meres de la grace, & des vertus: C'eſt vn grand honneur aux eaux de loger ſur les Cieux, & parmy les Eſtoiles; mais c'eſt bien plus, eſtre ſur toute la Nature en produiſant la Grace.

Voila les eloges de l'eau: Apres tout, le vin eſt bien plus noble; il eſt vn mixte, & l'eau vn Element, & c'eſt en cela meſme qu'il eſt plus noble; il aſſemble en ſoy toutes les qualitez de tous les Elemens pour eſtre vn abbregé de ce qu'ils ont de plus parfait; le vin eſt coulant comme l'eau, il eſt ſubtil comme l'air, il eſt ardent comme le feu, il eſt fort comme la terre.

Dieu ne produiſit pas le vin au commencement du monde, ce premier âge n'en auoit pas beſoin, ou il n'en eſtoit pas capable: Il falloit vn Noé pour l'inuenter, & il ſurmonta ſon Autheur; il faut que le vin ſoit bien fort, il ſurmonte le Reparateur du monde: Noé auoit reſiſté à vn deluge d'eau, il eſt vaincu par vn peu de vin.

Ie ne m'eſtonne pas ſi les trois courtiſans du Roy Aſſuere mirent le vin au rang des choſes les plus fortes: Il y en eut vn qui prefera la verité, mais le vin eſt plus fort que la verité meſme; il la cache, il la noye, il l'éueille, il la fait reuiure: Bien plus, le vin eſt l'inuenteur des ſciences, qui ſont les filles ou les meres de la verité.

Mais la plus grande loüange du vin ſe doit prendre du Sauueur: Le vin a l'honneur d'eſtre changé en Sang au ſacrifice de la Meſſe, & de faire vne partie de la vie d'vn Homme-Dieu: Le Sang du Sauueur prend les liurées du vin, la couleur, le gouſt, & la ſaueur; l'eau a bien quelque part

au Sacrifice, mais on en meſle peu; & ce peu n'eſt qu'vne matiere moins principale du Sacrifice; auſſi elle repreſente les foibleſſes de l'homme, & le vin la diuinité du Sauueur.

Enfin à la Nopce de Cana l'eau eſt changée en vin, & non pas le vin en eau: Or le changement ne ſe fait pas en vne choſe moindre, autrement ce ne ſeroit pas vn miracle, mais vne corruption: Le vin eſt le premier des miracles du Sauueur, & il ſera le dernier; il abbreuuera les bienheureux, il ſera les delices du Paradis, & il ſera ſerui à la table de Dieu.

ELOGE DV RIEN.

IL n'eſt preſque rien en la Nature plus difficile que le Rien: Il eſt difficile à expliquer, il eſt difficile à connoiſtre, il eſt difficile à faire, il eſt difficile à loüer, & cependant il eſt bien loüable, puis qu'il ſert à preuuer l'exiſtence de Dieu.

Le Rien eſt difficile à expliquer; pour l'expliquer il faut dire que c'eſt vne negation de ce qui eſt; dire cela c'eſt dire quelque choſe: Il faut donc dire quelque choſe pour dire rien: Il faut expliquer ce qui eſt, pour dire ce qui n'eſt pas; il faut des paroles qui ſignifient pour ne ſignifier rien: Il ſemble qu'il vaudroit mieux ſe taire pour expliquer le rien, mais ſi on ſe taiſoit on ne l'expliqueroit pas; il faut donc parler pour dire le rien, & c'eſt ce qui eſt difficile.

Le Rien eſt difficile à expliquer, parce qu'il eſt difficile à connoiſtre: Voulez-vous voir la difficulté; on demande en Theologie ſi Dieu connoiſt le rien; s'il le connoiſt, il eſt donc intelligible; s'il eſt intelligible, il a donc les proprietez de l'eſtre; s'il a les proprietez de l'eſtre, il eſt donc quelque choſe, il n'eſt donc pas vn rien: Et certes s'il eſt connu de Dieu, il eſt donc repreſenté dans l'Eſſence de Dieu comme dans vn miroir, elle eſt donc le miroir du rien; & cependant elle eſt le miroir des eſtres.

Le Rien eſt difficile à connoiſtre, il eſt bien plus difficile à faire: Ceux-là meſmes qui dient que Dieu peut connoiſtre le rien, dient que Dieu ne le ſçauroit faire: s'il le faiſoit il ſeroit vn ouurage de Dieu: ſi c'eſtoit vn ouurage il ſeroit quelque choſe; & ſi c'eſtoit quelque choſe, ce ne ſeroit donc pas vn rien, *Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil*, il a fait toutes choſes: il n'a pas fait le rien, auſſi le rien n'eſt pas vn effet, c'eſt vn défaut, il ne faut pas agir pour le faire, il faut faillir.

De là il ſuit que le Rien eſt difficile à loüer, l'objet de la loüange eſt la bonté, ou la beauté, le Rien n'a ny l'vne ny l'autre: s'il eſtoit bon ou beau, il ſeroit donc vn eſtre, il ne ſeroit donc pas vn non-eſtre, il ne ſeroit donc pas vn rien: Et s'il eſt la negation de l'eſtre, il n'eſt donc pas

loüable: l'eſtre eſt loüable, donc le non-eſtre ne l'eſt pas.

Nonobſtant tout cela le Rien eſt loüable, puis qu'il ſert de matiere à Dieu pour operer; s'il n'y auoit point de rien, Dieu ne ſeroit pas Createur; creer c'eſt extraire quelque choſe du rien; le rien eſt le terme de départ d'où le monde eſt ſorti, & il eſt le terme d'abord où la nature retomberoit, ſi elle n'eſtoit ſouſtenuë des doigts de Dieu. Enfin la Theologie ſe ſert du rien pour preuuer l'Exiſtence de Dieu; il y a des creatures, elles ne ſe ſont pas produites elles-meſmes, elles viennent du rien; il y a donc vn Dieu qui les a tirées du rien.

ELOGE DE LA VOLONTE'.

LA Volonté eſt vne puiſſance aueugle & clairuoyante; elle ne voit rien, & elle voit tout; elle ne voit rien auec ſes lumieres, elle voit tout auec les lumieres d'autruy: L'entendement eſt ſon flambeau, il va deuant & elle ſuit, ou pluſtoſt elle ſuit, & elle va la premiere: elle conduit & eſt conduite; elle reçoit les ordres, elle les donne; elle reçoit la lumiere, elle gouuerne le flambeau.

La Volonté eſt vne puiſſance libre, elle veut & elle ne veut pas: elle veut, parce qu'elle veut; elle ne veut pas, parce qu'elle ne veut pas; elle eſt la raiſon de ſon vouloir & de ſon non-vouloir; elle en eſt la ſource & le principe; elle ſuſpend ſon action, elle la pouſſe; elle donne ſon conſentement, elle le refuſe: elle choiſit entre deux contraires ſans contrarieté, dans la contradiction ſans contredit: Et c'eſt en cecy que conſiſte ſa liberté, choiſir le bien ou le mal, le meilleur ou le pire, la vie ou la mort, l'action ou le repos; choiſir ſans contrainte, agir ſans violence: eſtre maiſtreſſe de ſon action & de ſa ceſſation, agir n'agiſſant pas; exercer ſa liberté ſans rien faire: eſtre auſſi libre dans le repos que dans le trauail, dans l'action que dans la ceſſation.

La Volonté eſt vne puiſſance ſi forte qu'elle ne peut pas eſtre forcée: elle eſt libre dans la captiuité, deſliée parmy les fers, hors de priſon, dans la priſon: Dieu meſme ne la peut pas contraindre; il peut bien luy deſnier ſon concours, ſans lequel elle n'agira pas: il ne peut pas faire auec ſon concours qu'elle veüille ce qu'elle ne veut pas, ou qu'elle ne veüille pas ce qu'elle veut: il faut qu'elle veüille ce qu'elle veut, autrement il y auroit de la contradiction, ſon vouloir ſeroit ſon non-vouloir, elle voudroit ce qu'elle ne veut pas, & elle ne voudroit pas ce qu'elle veut.

La Volonté eſt vne puiſſance imperieuſe: elle commande aux ſens ex-

terieurs d'vn empire domeſtique; elle commande aux autres puiſſances d'vn empire politique; elle applique les autres puiſſances & elle les retire; elle commande leurs actions & elle les ſuſpend, & non contente de commander aux autres, elle commande à elle-meſme; elle eſt ſa maiſtreſſe & ſa ſeruante, ſa ſuperieure & ſa ſujette; elle donne la loy & elle la reçoit; elle eſt emperiere au dehors, & Reine au dedans.

La Volonté eſt le ſujet des paſſions, mais non pas la ſujette: ſi les paſſions ſont des vents, elle les peut appaiſer; ſi elles ſont des orages, elle les peut calmer: ſi elles ſont des feux, elle les peut eſteindre; l'amour eſt violent, elle le peut regler; la haine eſt farouche, elle la peut appriuoiſer: le deſir va viſte, elle le peut arreſter; la fuite arreſte, elle la peut pouſſer: la joye ouure, elle la peut reſſerrer; la douleur abbat, elle la peut releuer: l'eſperance flatte, elle la peut détromper; le deſeſpoir tuë, elle le peut animer; la cholere emporte, elle la peut addoucir; l'audace enleue, elle la peut retenir.

Cette Volonté eſt ſi noble que Dieu la traite auec quelque ſorte d'honneur: Il en eſt amoureux, parce qu'il la fait belle; il la reſpecte, parce qu'il la fait puiſſante; il ne la veut pas forcer, parce qu'il la fait libre: Il la pourſuit auec ſes graces, il la careſſe par ſes preſens; il la flatte par ſes careſſes; il l'aime comme vn preſent de ſa bonté, il la regarde comme vne image de ſa liberté, il l'eſtime comme vn chef-d'œuure de ſa puiſſance, il eſpie ſes inclinations, il obſerue ſes affections; il la preuient de ſes graces pour la faire venir; il coopere auec elle pour la faire operer, il continuë pour la faire perſeuerer, il la laiſſe agir librement pour la faire meriter, il la laiſſe meriter pour la recompenſer.

ELOGE DE DIEV.

LE ſçauant Cuſanus en vn beau Dialogue de la Diuinité, appelle Dieu d'vn beau nom, *Deus eſt ipſum poſſeſt*: ce mot ſemble barbare & il eſt bien myſterieux, il veut dire que Dieu eſt tout ce qu'il peut eſtre, il a tout ce qu'il peut auoir, il eſt auſſi riche qu'il le peut eſtre, il ne peut pas eſtre rendu plus grand, il ne peut pas ſe faire plus grand luy meſme; il peut tout ce qui eſt poſſible; il ne peut pas pouuoir dauantage; il eſt tout acte & tout pouuoir, il eſt la puiſſance meſme, *eſt ipſum poſſeſt*.

Dieu eſt vn acte pur, *Deus eſt actus purus*, il eſt ce qu'on peut conceuoir de meilleur, il eſt le ſur-Eſtre, la ſur-Bonté, la ſur-Sageſſe, la ſur-Puiſſance: Il eſt la pureté meſme de l'eſtre, la pureté du bien, & la pureté des perfections: il exclud par ſa pureté toute ſorte de puiſſance obiectiue, il n'a

iamais eſté poſſible, il a touſiours eſté, il n'a iamais eu la priuation de ce qu'il a : Il exclud toute ſorte de puiſſance receptiue, il n'a iamais rien receu de perſonne, & il n'a rien receu de ſoy : Il eſt neceſſairement ce qu'il eſt, il a eſſentiellement ce qu'il a. Il eſt vn acte pur en terme de nature ; il eſt la pureté meſme en terme de mœurs.

Deus eſt ens per eſſentiam. Ce ne ſont pas deux mots ny deux penſées : l'Eſſence de Dieu eſt ſon exiſtence, & ſon exiſtence eſt ſon eſſence ; cette eſſence ne precede pas l'eſtre, autrement en ce premier ſigne d'anteceſſion elle ſeroit poſſible, elle ne ſeroit donc pas vn acte pur ; & puis en ce premier ſigne elle ne pourroit pas agir, parce que l'agir ſuppoſe l'eſtre : Il eſt donc toute eſſence & tout eſtre, & il appelle cela ſon nom : *Ego ſum qui ſum.* Ie ſuis celuy qui ſuis, ie ſuis l'eſtre meſme, mon eſſence eſt mon eſtre, & mon exiſtence mon eſſence.

Deus eſt puriſſimum ſimplex, dit ſaint Bernard : Dieu eſt la pureté de la ſimplicité ; cette ſimplicité de Dieu exclud toute ſorte de compoſitions, Dieu n'eſt pas compoſé de matiere & de forme, ces deux parties ſont imparfaites, elles feroient vn Dieu imparfait ; il n'eſt pas compoſé de nature & de ſuppos, & encore qu'il y ait trois ſubſiſtances en Dieu, elles ſont identifiées auec l'eſſence, autrement comme il y a trois Perſonnes il y auroit trois Dieux : Il n'eſt pas compoſé de ſubſtance & d'accidens, les accidens ſuppoſent la ſubſtance : Or ce qui ſuppoſe Dieu n'eſt pas Dieu : Il n'eſt pas compoſé d'acte & de puiſſance, il eſt vn acte pur : Il n'eſt pas compoſé d'eſſence & de proprietez ; ſes attributs appartiennent à ſon eſſence, & ſon eſſence eſt formellement ſes proprietez : Il n'y a point de diſtinction actuelle dans tout ce qui eſt abſolu en Dieu : Il y a bien vne diſtinction virtuelle, mais en cela meſme qu'elle eſt virtuelle, elle eſt vne meſme realité auec Dieu. Il y a vne diſtinction actuelle entre les Perſonnes, mais les perſonalitez ſont identifiées auec la nature, il y a trois ſuppos en Dieu, & il n'y a pas trois Dieux.

Deus eſt centrum & corona entium : Il eſt le fondement & la baſe des eſtres ; au deſſous de Dieu il n'y a rien qui ne ſoit ſouſtenu de Dieu : Il eſt le ſommet des eſtres, il n'y a rien pardeſſus Dieu : Il eſt la longueur & la latitude des eſtres, il n'y a rien au delà de Dieu : Il eſt au deſſous des eſtres pour les ſupporter, au deſſus pour les gouuerner, à l'entour pour les enuironner, au dedans pour les animer, au dehors pour les couronner.

Deus eſt ens à ſe, Dieu eſt vn eſtre de ſoy-meſme, vn eſtre premier, primitif, independant : Dieu n'a point receu ſon eſtre d'ailleurs, il ne l'a pas receu de ſoy-meſme, il ne le doit à perſonne, il ne le doit pas à ſoy, il eſt independant de tout autre, il ne dépend pas de luy-meſme : il a fait toutes choſes, il ne s'eſt pas fait luy meſme ; il eſt la fontaine de ſa fontaine, le fleuue de ſon fleuue, l'ocean de ſon ocean,

la ſource de ſa ſource: Il eſt indépendant, il eſt l'independance meſme, & cette independance eſt la difference de Dieu: Qu'eſt-ce que Dieu? vn eſtre independant, vn eſtre de ſoy-meſme.

DE ANAGRAMMATE.

NEGANT plerique dari ſcientiam Anagrammatis, & totum hoc negotium laborem non artem, & fortunam appellant non doctrinam: ſcilicet nihil aliud eſſe volunt Anagramma, niſi ruinam nominis vnius, atque ex hac ruina ortum alterius; at dari non ſolent præcepta ruinæ ſed ſtructuræ, & nos ædificamus ex arte non deſtruimus.

Malunt alij dari artem Anagrammatis, cuius etiam præceptiones aliquas tradunt: Ego rem facilem attingo magis quam explico.

I.

In Anagrammate ita debet inuerti nomen mutatum vt nulla ſyllaba maneat integra in nomine mutante; alioqui imminutum Anagramma erit non integrum.

II.

Tot debent eſſe literæ mutantis nominis quot mutati, neque hac in re licentia quærenda eſt. Ne ars alioqui facilis cuilibet ingenio ſit obuia.

III.

Nomen mutans explicare debet naturam nominis mutati, aut ſingularem aliquam eius affectionem, alioqui nomen alienum erit non proprium.

IV.

Nomen mutatum vnicum eſſe debet aut alterum, mutant tamen aliqui plura ſimul vocabula, atque ex ea nominum ruina eliciunt ſenſum aliquem vnum; at hoc ſæpè hyperbatum eſt, ſæpè fortunæ magis negotium quam doctrinæ.

V.

In Anagrammate diphtongus per diæreſin ſeparari poteſt, & per ſynæreſim duæ vocales in diphtongum poſſunt coaleſcere.

VI.

Addi poteſt Epigramma Anagrammati, vt illud explicet vel illuſtret; Et ſæpè plus ingenij habebit Epigramma, plus Anagramma negotij.

ANAGRAMMA.

Euchariſtiæ Sacramentum.

Chara Ceres mutata in Ieſum.

EPIGRAMMA.

NE dubites vinum pani succedere corpus,
Mutari cererem nominat ipsa Ceres.

ANAGRAMMA.

Masarini.

Ars animi.

EPIGRAMMA.

SPonte sua mentes hominum, non arte regumtur,
Hæc tamen ars paucis cognita, nota tibi est.

DE EPITAPHIO.

EPITAPHIA ab Elogiis materia distant, & sæpe formâ; nomen ipsum materiam adstringit ad luctum, & formam ipsam lugubrem facit:

Quadruplicis ferè generis distingui possunt.

Primum genus purè historicum, nomen defuncti, patriam, Parentes, officia, & annos ætatis declarat magis quam laudat; talia ferè erant antiqua Epitaphia, quibus pleni sunt sepulcrales tractatus: Et nos libro sexto huius operis aliqua inseruimus pag. 330.

P. M.
M. OPPI. Placidi.
Har. Prim. de LX.
Cui locum sepultu.
Ordo Sanctissim. Lugd. dedit.

Tale est illud Reginæ Amalasunthæ apud Cassiodor.

Casta vixit.
Lanam fecit.
Domum seruauit.
Quam multis laus ista deest.

Secundum genus admiscet sententiam aliquam Ethicam, & acutam.

STA VIATOR, ET LEGE.

Fui non sum
Es, non eris
Syluius Palladius.

Qui
Vt moriens viueret,
Vixit vt moriturus.

Abi
Disce mori, & viuere.

Tertium

Tertium genus ænigmaticum est; tale est quod sequitur.

Hoc est sepulcrum
Intus Cadauer non habens,
Hoc est Cadauer
Sepulcrum extra non habens,
Sed
Cadauer idem est ac sepulcrum sibi.

Quartum genus vix ab Elogio differt nisi forte materia quæ in luctum desinit, & vocari solet Elogium lugubre: talibus Epitaphiis plenus est liber quintus huius operis, attexo tria Gratianopoli edita an. 1664.

STA VIATOR ET LVGE.

Hic jacet Vir magnus publicis lacrymis dignus,
Nemo illum nouit, qui illum non luxerit:
Tota hominis indoles erat, bonum esse
Nemo hominem rogauit cui benè non fecerit,
Sæpè ipse quæsiuit cui faceret bene.
Homo opulentus, & Præses,
Ita hominem diuisit & Præsidem,
Tota hominis vita beneficentia,
Tota Præsidis, Iustitia fuit.
Quæris hominis nomen, iam audisti,
Præses erat dignitate & oris specie,
Dixisses ex solo aspectu Præsidem esse.
Penè morbum & mortem terruit, dum aspexit,
Mortem ipse dum sensit, non timuit,
Ruri morbo tentatus valedixit deliciis suis,
Atque vt erat lepidus penè versibus lusit.
Reportatus domum, rogauit filium, vt id præstaret Patri,
Quod ipse præstiterat moribundo Parenti,
Nec ille deseruit morientem, & penè sequi voluit.
Clausit paternos oculos, & penè suos,
Relictus est superstes, ne totus Pater interiret.

ABI VIATOR.

Supereſt paruus cinis ex magno Præside,
Et tu olim cinis eris, & minor cinere.

STA VIATOR ET LEGE.

ARs artium est scire mori,
Pauci scimus quod omnes facimus.

Sciebat hanc artem D. GVILLELMVS DE SAVTEREAV,
In Senatu Delphinatus nobilis Conſiliarius:
Semel moriturus, ſæpè per partes obierat,
Obiit media parte ſui cum vxorem amiſit.
Alteram vitæ partem varij abſceſſus corruperant.
Naſcebatur vnus ex altero, & ſinguli mortes erant.
Per eas mortes vir ſapiens ediſcebat mori s
Nemo pluries mortuus eſt, nemo melius ſemel.
Quæris qualis fuerit vita ante tot mortes,
Cogita virum æqualem purpuræ, & maiorem, talis fuit.
Qui neque iuſtitiam vendidit, neque emit, talis fuit s
Qui fauorem non timuit, & quem fauor timebat, talis fuit;
Qui Cæſarem Cæſari, & Deo reddidit Deum, talis fuit.
Talem æſtimauit Aula, & iudicem non ſemel elegit s
Talis Aulico Regio Lugduni jus dixit,
Talis ius dixiſſet Regi ipſi.
Tali tamen mors ſeuera ius dixit,
Et dicet tibi.
ABI VIATOR ET DISCE MORI,
Timendum eſt errare ſemel, vbi nemo bis errat.

STA VIATOR.

Tangit te hæc jactura quæ eſt publica.

IC *jacet* D. I. DE VICELIEV,
Regiarum cauſarum generalis Patronus.
Arbitratus ſe eſſe Regis Aduocatum, & Regni,
Temperabat Regia iura publicis, & publica Regiis
Nec publica tantum iura defendit, ſed priuata,
Neminem accuſauit niſi nocentem,
Sæpè etiam excuſauit nocentes,
Vt poſſet excuſare reddebat innocentes:
Eloquentiam hominis probant multa quæ ſcripſit,
Nulla eſt materia quæ eruditum non fecerit,
Nulla eſt quam ipſe non erudierit:
Faciebant omnes ſcientiæ eloquentem,
Ipſe omnes ſcientias faciebat eloquentes.
Nec humana tantum ſciuit ſed diuina,
Idem Orator humanus & penè Theologus,

Ratus iniurias diuinas esse Regias,
Vtrasque accusauit Aduocatus Regis & Dei.
Vt posset accusare scelera, ipse purus sceleris fuit,
Nemo appellauit iniustum etiam dum seuerus fuit.
Sola mors accusauit lenitatis, quod sepè morti pepercerit,
At hæc ingrata crudelitas est,
Parcere homini debuit, qui sepè morti pepercerat.
Decepta tamen mors est, inuénit immortalem dum perémit,
Scilicet exhausta carne, sola mente viuebat,
Atque hæc immortalis, non interiuit, sed exiit,
Et cœlo assueta, quò ire consueuerat, eò iuit.
ABI VIATOR, *& futurus æternus,*
Inchoa æternitatem intra tempus.

MISCELLANEA SVNT QVÆ SEQVVNTVR,

EPITAPHIA, VEL ELOGIA.

ADAMVS.

HIc sine Patre, & Pater omnium:
Hic natus non genitus,
Hic vir antequam Infans,
Hic coæuus mundo, & senior,
Anno mundi primo, annos terdenos habuit.
Coniugem nactus ex se natam,
Ab illa deceptâ ipse deceptus,
Vterque malum ex malo didicit.
Fecerat eruditos Deus & scientes bonum,
Fecit ignaros dæmon dum docuit malum.
O si Eua non audiisset serpentem!
O si Adamus non audiisset vxorem!
Vterque felix feciisset nos felices,
At vxor virum, vir vxorem,
Vterque nos perdidit.
Feciisset immortales arbor vitæ,
Fecit mortales arbor scientiæ,
Miseram fecit posteritatem miser pater.
Jacet intra hunc tumulum,
Qui tumulo carére poterat,
Ante hominem puluis & cinis,
Post hominem puluis, & cinis est.

ABEL.

AVDI Viator, hoc ſepulcrum clamoſum eſt,
Vocem habet ſanguis effuſus,
Abel mortuus adhuc vocalis eſt.
Paſtor erat ouium, & ouis paſtorum,
Lacte pecudum veſcens non carne,
Nutricius Gregis ſui, & alumnus,
Collactaneus erat virtute & indole;
Sed audi pietatem Paſtoris,
Pulcherrimas quaſque oues eligebat in victimam,
Et ouantes oues ſponte victimæ erant,
Pius Paſtor oues reddebat penè pias.
Placebant Cœlo victimæ Abelis non Caini,
Nimirum iſte victimarum vitia offerebat non victimas.
Tabeſcens inuidia fratrem virtutis victimam fecit,
Et ſe victimam ſceleris ſui.
Nec mora vindex conſcientia, & carnifex culpa,
Terrent ſceleratum, & ipſe ſe terret,
Neque vltra ſe ferens reus, & iudex;
Ibi & alibi, vbique & nullibi,
Apud ſe, & extra ſe erat.
Denique exoſus omnibus & ſibi,
Primus inferos fundauit, & incoluit;
Abel ingreſſurus Cœlum cum patebit,
Limbum incolit ſuburbium Cœli.

NOEMVS.

ADES VIATOR.

ET ruente mundo, ſub Noëmo ne metue.
Hic primæ ætatis vltimus, & ſecundæ primus,
Suppoſuit ſe cadenti mundo,
Et dum retinere totum non potuit, partem ſeruauit.
Hoc tempore eò impuritatis mundus venerat,
Vt niſi diluuio purgari non poſſet.
Centum annis Noë præco irati Dei,
Ex arca quaſi ex tripode prophetabat minas;

Deriſa eſt ab impiis arca, & faber arca.
Deſperata ſalute omnium prouidit ſaluti paucorum,
Spes mundi ad octo animas redacta erant,
Incluſit Noëmus eas reliquias nec mundus arcam impleuit.
Interea ruere imbribus Cœlum vt terras obruat,
Breui cœleſtes aquæ additæ noſtris geminum mare fecêre;
Breui omnia Elementa pontus,
Et tota natura chaos antiquum fuit.
Breui interiit quidquid erat extra arcam.
Sola arca ſine velis & remis
Ibat ſecura ſupra oceanum, & penè ſupra mundum.
Denique ſuffocatis ſceleribus placatus Deus,
Iniuit fœdus cum Noëmo de Aquis non de flammis,
Noëmus vir duarum ætatum,
Vidit mori mundum vnum, & naſci alterum,
Ipſe reparator mundi, & penè ſui
Ex arca quaſi ex altera matre,
Subſtituit nouum mundum, & penè genuit:
ABI VIATOR.
Et ne timeas flammas, time vndas.

ABRAHAMVS.

SCRIBAT *Elogium Abrahami Magnus Orator Ambroſius,*
Et laudari meretur vir magnus verbis meliis.
Vir plane magnus Abrahamus, & nemo ante illum maior;
Eum Philoſophia votis ſuis æquare non potuit,
Minus eſt quod illa finxit quam quod iſte geſſit;
Præuenit factis dicta ſapientum,
Et quod illi dixerunt, iſte geſſit;
Exire iuſſus ex Chaldæa cui ſydera Deus erant,
Exiuit & ſecutus eſt Authorem ſyderum Deum,
Nec ſine mercede, cui Deus ipſe merces fuit.
Tres aliquando vidit & vnum adorauit,
Tres erant atque; ex tribus vnus,
Olim erit Abrahami Nepos, & auus.
Extendit nomen Abrahami Deus,
Et vnde creſceret, adiecit de ſuo.
Auctus filio, & iuſſus immolare ſpes ſuas,
Credens ſupra fidem, & ſperans vltra ſpem,

Cæca obedientia, & oculata,
Id parabat facere quod facturus erat Deus.
Inuidit homini hoc priuilegium Deus,
Prohibuit ne id faceret, quod erat ipse facturus;
Reseruauerat sibi hunc honorem, Pater æternus,
Patrem esse, & vnigenitum immolare.
Nec minus fortis Abrahamus quam pius fuit,
Ex trecentis vernaculis collegit exercitum, & Reges vicit,
Quod fecêre trecenti Spartani minus fuit;
Agnouit in Abrahamo Deum Rex Salem, & decimas obtulit.
Habuit & sinum Abrahamus, & Pater & Mater fuit,
Excipiebat hoc sinu iustos & amicos Dei,
Excepit seipsum Pater & proles sui,
Aperuit eum sinum Christus, & mutauit in Cælum.

ISAACVS.

PONE GENV VIATOR, ET NE PONE.

IMperatvr *victima in Monte Moria, & prohibetur,*
Prohibetur sacrificium, & peragitur:
Latet sub vno Sacerdote, Sacerdos alter;
Latet sub vna victima, victima altera.
Sacrificium facit qui prohibet,
Immolat filium, qui filium immolari vetat.

AVDI MYSTERIVM.

Iam montem Abrahamus conscendit, & Isaacus,
Ille gladium ferens, iste lignum;
Iam ara posita est, & supra aram stat victima,
Iam stringitur gladius, iam ceruix nudatur,
Iam sacrificio flamma prælucet,
Iam inter labra victimæ est anima,
Iam nihil deest morti nisi mors ipsa.
Ecce tibi reuocat imperium Deus,
Et gladium Abrahamus,
Compensatur tamen voluntas Abrahami;
Et votum sacrificij sacrificium est:
Iterum fit Pater Abrahamus,
Iterum Isaacus nascitur.
Fallerís Viator, audi iterum.
Fit sacrificium in Monte Moria,

Moritur Agnus, & sub Agno Deus,
Facit Deus quod prohibet fieri ab homine,
Immolat non Isaacum sed filium,
Deus Sacerdos, & homo Deus victima est.
Abi Viator, & adora.

IACOB.

INTRA vterum matris luctantur gemelli,
Et duobus liberis mater vna non sufficit,
Nondum nati de natu iam disputant,
Exit secundus Iacob, breui primus futurus,
Emit priuilegium vili escâ, & frater vendidit.
Benedictionem quoque mysterio acquisiuit, non mendacio,
Exciderat Maioratu frater, cum illum vendidit.
Victor fratris, ausus est luctari cum Deo,
Et penè aqualis æmulus, nec victor nec victus,
Missionem ab æmulo accepit, & dedit.
Ipse etiam hominis somnus mysterium fuit,
Scalam vidit vtrâque parte attingentem Deum,
Impositus erat fastigio Deus, & basi suppositus,
Medij Angeli, à Deo ascendebant ad Deum,
Ibat cum Angelis Iacob, & penè Angelus erat.
Pastor inter oues, & ouis inter Pastores,
Fecit locupletem Labanum, & se diuitem,
Deceptus in Lia amauit tamen vxorem & fraudem,
In Rachele coniugium amauit, & mysterium.
Duodecim liberorum, & totidem populorum Pater fuit:
Bis mortuus in duobus dum illis caruit,
Bis reuixit dum illos inuénit:
Denique moriturus diuisit filiis terram adhuc non suam,
Scripsit testamentum futurarum rerum mysterium,
Vidit fines temporis, & limites æternitatis,
Vidit Nepotes futuros, & inter illos Nepotem Deum.

MOSES.

HIC vt homo natus penè vixit vt Deus,
Naturæ filius, alumnus Prouidentiæ fuit,
Hæc exposito inter aquas pauis fuit, & nauita,

Hæc adoptauit in Regium infantem, & penè in Regem,
Hæc abduxit ex Aula, & in Aulam reduxit.
Hæc pastorem ouium fecit, vt faceret pastorem hominum,
Audi Pastoris fortunam plusquam humanam.
Vidit ardentem rubum inter ignes integrum,
Audiuit ex rubo loquentem Deum, & penè vidit:
Ex Pastore Legatus Dei, & Deus Pharaonis,
Vt Regem vinceret, muscas & ranas milites fecit,
Afflictum duodecim plagis, neque adhuc victum,
Oppressit toto mari non vltra vincendum.
Ne quis de naufragio dubitet, adhuc auditur murmur rotarum,
Ex ea morientium cæde appellari potuit mare rubrum.
Nec minus miraculum est mare in duodecim vias diuisum,
Fecit hoc virga thaumaturga, quod sceptra non facerent:
At quis eam columnam ducebat, quæ ducebat exercitum?
Quis decolarabat faciem vnam, quis illustrabat alteram?
Quis imperabat vt iret, quis iubebat vt sisteret?
Quadraginta annis millionis hominum, quasi ouium pastor fuit;
Ministrabat Cœlum manna quo famem aleret,
Fundebat aquas petra quibus sitim extingueret,
Suggerebat natura delicias quibus recrearet,
Nemo tot annis vestem mutauit, nemo corrupit.
Ad tonantem Deum vocatus inter tonitrua,
Legem accepit scriptam digito Dei, & scribi vidit;
Post hæc colloquia rediit ex Deo quasi Deus,
Creditus est latére intra hominem Deus, & videri.
Denique post tot miracula, miraculo obiit,
Nemo testis obitus, nemo sepulcri conscius fuit,
Solus ille morientem vidit, qui mori iussit.

SAMSON.

HERCVLI *coætaneus verus Hercules fuit;*
Quæ in illo fabula, in hoc fuére miracula.
Primus Samsonis labor fuit leo;
Os cadaueris aluearium, putredo mel fuit;
Ænigma erat si fœmina tacére sciuisset.
Ex trecentis vulpeculis collegit fugacem exercitum,
Fugiebant timidæ illigatas faces,
Inflammabant quidquid fugere non poterat,

Post

Post exustas segetes exusserunt seipsas.
Mandibula asselli Samsoni clava fuit;
Hac clavâ mactabat exercitum hostium,
Et timidi animalis particula leones terrebat:
Funes quibus ligabatur sæpè dissoluit, aut rupit,
Inclusus intra vrbem capi non potuit,
Reuulsas vrbis portas exportauit in montem,
Et poterat montem ipsum importare in vrbem.
Maior Samsonis labor fuêre fœminæ;
Dalila illi Deianira, & Omphale fuit;
Plus aliquid Dalila potuit,
Totondit crines & vires, & virum fœminam fecit.
Excæcatus ab hostibus egit ludionem in circo,
Asinum in pistrino, Cyclopem in Veneris templo,
Restitutis crinibus, & viribus,
Succussis columnis euertit Veneris ædem, & Venerem;
Et fortior cæcus quam oculatus,
Vicit dum vincitur, & triumphauit dum moritur,
Et ne sepulcro carêret,
Inter sua trophæa est conditus.

DAVID.

Hic ex minimo maximus,
A lana ad purpuram, à caula ad Aulam;
Maior purpurâ, & Aulâ fuit:
Infans cum vrsis quasi cum agnis,
Cum leonibus lusit quasi cum ouibus.
Goliathum gigantem iactu lapidis sudit,
Et fundâ rempublicam & regnum fundauit.
Creauit hæc victoria gloriam Dauidi, & inuidiam,
Sæpè illum Saul occidere voluit,
Sæpè imperauit occidi;
Sæpè illi pepercit Dauid, etiam dum vlcisci potuit;
Reueritus in Saule Regem, etiam hostem.
Hæc lenitas Dauidi sceptrum peperit, Sauli abstulit,
Amauit hanc lenitatem Ionathas etiam nocentem sibi;
Optauit Dauidem in regno primum, & se secundum.
Fortissimus Regum finitimos Reges vectigales fecit;
Nemo sæpius pugnauit, nemo sæpius vicit;

Vicisset Alexandrum si cum Dauide pugnasset.
Felix Dauid si post victa omnia amorem vicisset,
Vicit eum semel fœmina, & semel vanitas,
Bis peccauit, bis eum Deus puniuit:
Prima parentis pœna puer Absalon fuit,
Absalon dignus regno nisi regnare voluisset;
Amauit eum Pater, etiam hostem,
Parcere illi voluit, etiam rebelli,
Fleuit, quod mortuo condonare non posset:
Alterum crimen Dauidis triplex flagellum correxit,
Ex tribus pestem elegit qua posset perire:
Vir magnus Dauid semel reus, bis pœnitens,
Bis peccauit, bis reum Deus correxit,
Nemo nobilius fleuit,
Nemo nobilius Dei laudes cecinit,
Adhuc canuntur laudes quas Dauid cecinit:
Vir amabilis Dauid, & secundum cor Dei:
Nemo altius iuit, nemo Deo propior fuit,
Vir secundùm cor Dei, & penè, à Deo secundus.

SALOMON.

Hic senex in Infante, Infans in sene fuit;
Sapientissimus hominum, & dementissimus.
Optauit sapientiam infans, & statim à voto obtinuit;
Accepit illam, non acquisiuit,
Nondum discipulus, & iam eruditus,
Omnia sciuit, & nihil didicit.
Oraculum Regum, Echo Reginarum,
Id omne sciuit, quod quæri potuit,
Plura docuit, quam Regina quæsiuit.
Felix Salomon, si vitia nescisset,
Dementauit sapientissimum amor insanus;
Vir omnium vxorum, omnes amauit quas vidit;
Nec Dominus vxorum sed seruus,
Vt seruiret desideriis seruiuit idolis:
Dum sapuit templum erexit Deo compendium cœli,
Et palatium sibi, compendium mundi,
Cum desipuit templa erexit idolis:
Denique vlciscente Deo, & miserante,

Egére cœpit inter opes,
Pacem amisit in pace,
Inuitatus ad pœnitentiam, non tamen coactus:
An resipuerit adhuc incertum est,
Illud certum diu sapuisse,
Diu deliraſſe.
Ex tot gregibus mulierum,
Vnicum filium reliquit gregarium:
Quis neget amorem mulierum cœcum esse,
Excœcauit sapientissimum hominum.

PALLIVM ELIAE.

HOc Pallium Prophetieum est non Philosophieum,
Latet sub illo sapientia sacra non profana,
Apparent res futuræ quasi iam factæ.
Hoc pallio Elias cœlum obnubebat, ne plueret,
Hoc pallio Solem obumbrabat, ne lucéret,
Hoc pallio aperiebat diem, & claudebat.
Hoc pallium sagum Eliæ fuit quo militaret,
Paludamentum quo Regibus imperaret.
Hoc pallium nauis Eliæ fuit quâ Iordanem transiret,
Currus fuit quo Cœlum conscenderet.
Adhærebat huic pallio geminus Eliæ spiritus,
Donauit vtrumque Elizæo cum pallium dedit.
Et nunc ibi est Elias vbi pallio non eget,
Candidatus æternitatis, nondum tamen æternus,
Neque intra tempus est, neque extra tempus,
Neque intra mundum, neque vltra,
Medius inter Cœlum & mundum,
Reseruatur ruinæ mundi,
Pugnaturus pro Christo contra Antichristum.
Denique morietur hominum vltimus,
Resurget æternus cum cessabit tempus,
Palliatus gloriâ, quam conseruabit æternitas.

IONAS IN VENTRE CETI.

QVALIS *audacia huius hominis?*
Vt naufragium fugiat naufragium facit,
Ne tempestati succumbat, tempestati succumbit,
Proijcitur è naui in alteram nauim,
Aperit os Cetus & naufragum excipit,
Fit nauis homini vterus Ceti.
O rem miraculo maiorem!
Ionas extra portum, in portu,
Extra mare, & in mari est:
Ionas inter naufragia saluus,
Inter pericula tutus,
Liber in carcere,
Reduiuus in funere.
Ionas intra vterum bellua,
Penè iterum concipitur,
Penè iterum nascitur,
Bis homo, bis Ionas,
Concipitur sine Patre,
Nascitur sine Matre,
Fallor Cetus fit Ionæ Pater, & Mater,
At quid agit Ionas intra belluam?
Illic hospitium habet vbi habitet,
Illic templum vbi oret,
Illic nec famem patitur intra famem,
Nec sitim intra salsedinem,
Puto delatus ad portum,
Inuitus reliquit Ceti hospitium.

FINIS.

ARGVMENTA LIBRORVM.

IN PRIMO LIBRO.

ELOGIA SACRA.

CArmen votiuum Authoris. pag. 1
Vita & Elogia B. Virginis. 2. ad 15
Selecta Parrum, Elogia de excellentia Beatæ Virginis. 20
Decem Elogia eiusdem B. Virginis. 21
In illud, beatam me dicent, &c. Inductiones D. Bernardi. 23
Deuises sur les solemnitez de la Vierge. pag. 24.
Elogium Poëticum sacræ Syndonis. 25. & 26.
Elogia Dei, & perfectionum diuinarum. pag. 28. ad 40.
Decem Elogia breuiora. 41
Diui Brunonis, Elogium. 43
Soliloquium Poëticum. 45
B. Petri Luxemburgij, Elogium. 45
B. Saluatoris de Horta, Elogium. 47
B. Francisci Salesij, Elogium. 49
Paræneſis Poëtica eiusdem ad Genouam. 51
S. Ignatij, Elogium. 52
S. Xauerij, Elogium. 53
Hymnus de S. Ignatio. 54
Hymnus de S. Xauerio. 56
Caput S. Ioannis Baptistæ. 58
Caput Diui Pauli. 59
Caput Diui Petri. 59

IN LIBRO SECVNDO.

ELOGIA THEOLOGICA, ET PHILOSOPHICA.

DEdicatio libri. 61
D. Augustini, Elogium. 62
Alberti Magni, Elogium. 63
S. Thomæ, Elogium. 65
S. Bonauenturæ, Elogium. 66
Ioannis Scoti, Elogium. 67
Roberti Bellarmini, Elogium. 69
Ludouici Molinæ, Elogium. 70
Vmbra Augustini Poëma. 71. ad 77
Funus nouæ doctrinæ. 78
Deuises sur le liure de Ianſenius. 79
Theſes & Antitheſes Ianſenij, & D. Augustini. 79. ad 94
Caput Senecæ. 95
Philoſophia Senecæ in Epitomem redacta. 96. ad 100
Ludus Philoſophicus, de Vniuerſali. 101
Ludus ſecundus, Relatio. 103
Ludus tertius, de Punctis. 104
Ludus quartus, Continuum. 105
Ludus quintus, Infinitum. 107
Ludus ſextus, Muſica. 108
Ludus ſeptimus, Anima. 110
Ludus octauus, Libertas. 112
Ludus nonus, Cordis miracula. 113
Ludus decimus, Oculus. 115
Ludus vndecimus, Species. 116
Ludus duodecimus, de duobus Dominis. 117. & ſeqq.
Præfatio de Conſcientia. 123. & ſeqq.

IN LIBRO TERTIO.

ELOGIA REGIA.

VIta & Elogia Ludouici XIII. 129 ad 143
Ludouici XIV. Elogium Genethliacum. 143
Vorum pro Delphino. 145
Educatio Regia. 147. ad 156
Deuiſes Royales au Sacre du Roy. 157
Eephraſis Poëtica de clauâ Hercules. 156 & 157
Trois deuiſes ſur la maladie du Roy. 158
Ludouici XIV. Ægrotantis Paræneſis ad Fratrem. 159
Ludouico XIV. Soteria. 160. & 161
Votum pro Delphino futuro. 161. & 162

Horoſcopus Delphini, ex parentum aſpectu. 163
Mommedij capti Proſopopeia. 165
Deuiſe ſur le meſme ſujet. 166
Arauſio capta, Elogium. 166
Proſopopeia Dunkerkæ. 167
Reginæ Sueciæ, Elogium. 168
Deuiſes ſur la meſme. 168. & 169
Henrici Borbonij Principis Condæi, Epitaphium. 170
Iter Germanicum Anguyeni Ducis. 171
Atrebatum captum. 173
Atrebatum ſeruatum. 174
Caſale ter ſeruatum. 175

IN LIBRO QVARTO.

ELOGIA EMINENTIA.

ARmando Richelio Cardinali, Epiſtola ſapientiæ. 177
Eidem Academiæ. 178
Eidem Fidelitas. 179
Myſterium Politicum. 181
Iudicium Europæ de morbo Cardinalis. 183
Teſtamentum Chriſtianum. 184. & 185
Teſtamentum Politicum. 186. & 187
Epitaphium Sorbonicum Card. 189
Alphonſi Richelij, Elogium. 190. & 191
Eidem Ecgloga. 191. & 192
Ars animi, Cardinali Mazarino. 192. & 193
Eidem noua Politica. 194
Au meſme, trois deuiſes ſur le meſme ſujet. 195
Eidem victori inuidiæ. 196. & 197
Deuiſes ſur l'enuie. 197
Imago virtæ eidem. 198
Eſtoile tombante, deuiſe. 199
Eidem Myſterium pacis. 199. 200. & 201
Eidem futura poſt pacem. 201. ad 204
Eidem Mazarino ægroranti. 205. & 206
Eidem votum diuturnæ vitæ. 207
Trois deuiſes ſur les Armes du meſme. 208. & 209
Pauli Mancinij Epitaph. 209. & 210
Cardinali de la Rochefoucault, nuncupatio Philoſophiæ. 210
Eidem Epiſtola liberalitatis. 211. & 212
Innocentij decimi, Elogium.

IN LIBRO QVINTO.

ELOGIA ILLVSTRIA.

ILluſtriſſimo Petro Seguier, Elogium Gentilitium. 217
Illuſtriſſimo D. Carolo de Crequi, Epitaphium. 220. & 221
Eidem Proſopopeia Bremæ. 222
Marcſcalli Toërafij, Epitaph. 223
Ad eundem Epiſtola Vrbani VIII. 224
Caroli de Neufuille D. d'Halincourt, Elogium funebræ. 225
Caroli de Neufuille Archiepiſcopi, Elogium Politicum. 227
Eidem Symbola. 229
Eidem annus nouus. 229. & 230
D. Abeli de Seruient, Imago virtæ. 231
Eidem vita priuata & publica. 233. & 234
Eidem Symbola. 234. & 235
Eidem quæſtio Politica. 237
D. Arthi de Lyonne, Epitaph. 239
D. Nicolai le Bailleul, Epitaphium. 239. & 240
D. Nicolai de Meſgrigny, Epitaph. 241
D. P. le Goux de la Berchere, Epitaphium. 241. & 242
D. Renati de Voyer d'Argenſon, Epitaphium. 243
D. Ioſephi du Bernet, Epitaphium. 244. & 245
D. Lud. Girard, Epitaph. 245. & 246
D. Talon, Aduoc. Gener. Epitaphium. 246. & 247
D. Henrici de la Vieuuille, Epitaphium. 247. & 248
D. Franc. Vautier, Epitaph. 249
Duorum amantium tumulus. 250. & 251
D. Iacob. Moyron ſolitudo. 252
D. de Caheuſac, Epitaph. 254. & 255
D. Philipp. de Torſi de la Tour, Epitaphium. 255. & 256
DD. de Bourlon tumulus. 257
D. Gaſtonis de Ranty. 257. & 258
D. Nicolai de Boëſſat. 258. & 259
D. Iuliani de Brodeau. 259. & 260
D. Franc. Fouquet, Epitaph. 260
D. d'Ancier. 261
D. Baronis de Courſan. 262. & 263

D. Carolæ Damaſcenæ de Courſan. 263. & 264.
D. Anr. de Gilbertes, Epitaphium 264. & 265.
D. Gab. de Gadagne Comitiſſæ de Chevrieres. 265. & 266
Antonij l'Abbé, Epitaphium. 268
De eodem Carmen funebre. 269. & 270

IN LIBRO SEXTO.

ELOGIA HISTORICA.

Dedicatio Conſulibus Lugdunenſibus. 270
Nouum Hiſtoriæ genus Lectori. 271
D. de Neufuille, Mareſcallo de Villeroy. 272
Diſſertatio I. de ortu Lugd. 272. ad 279
Diſſertatio II. de ſitu antiquo Lugd. 279 ad 288.
Diſſertatio III. de itinere Annibalis. 288.
Dedicat. ad D. Dionyſ. de la Berchere. 289.
Elogium Annibalis. 298
Diſſertatio IV. Lugdunum ſuperius. 299
Diſſertatio V. Lugdunum inferius. 302
Diſſertatio VI. Emporium Lugdunenſe. 306
Diſſertatio VII. Argyrocopium Lugdun. 307. & 308
Diſſertatio VIII. Athenæum. 309. ad 314
Diſſertatio IX. Athenæum Græcum. 314. & 315
Diſſertatio X. Athenæum Romanum. 316. ad 317
Diſſertatio XI. An Lugdunum Colonia Romana. 317. & 318
Diſſertatio XII. An Lugdun. Colonia Viennenſium. 321
Diſſertatio XIII. An Lugdun. Colonia Græcorum. 323. & 324
Diſſertatio XIV. Religio Gallorum ante Plancum. 325. ad 328
Diſſertatio XV. Dignitates veterum Lugdunenſium. 328
Diſſertatio XVI. An Præfectus Galliarum ſederit Lugduni. 333
Diſſertatio XVII. De rebus fortiter geſtis à Lugdun. 337
Diſſertatio XVIII. Veterum Lugdun. lingua. 339
Diſſertatio XIX. Nomina Lugduni. 341
Diſſertatio XX. Arar qualis fluuius. 343
Diſſertatio XXI. De Rhodano. 346
Epiſtola I. Lugdunum ſub Planco. 349
Epiſtola II. Lugdunum ſub Iulio Cæſare. 351
Epiſtola III. Lugdun. ſub Marco Antonio. 352
Epiſtola IV. Lugdun. ſub Auguſto. 353. & 354
Epiſtola V. Lugdun. ſub Tiberio. 355
Epiſtola VI. Lugd. ſub Caligula. 356
Epiſtola VII. Lugd. ſub Claudio. 358
Epiſtola VIII. Lugd. ſub Nerone. 360
Epiſtola IX. Incendium Lugduni. 361
Epiſtola X. Lugd. ſub Galba. 363
Epiſtola XI. Lugd. ſub Othone. 364
Epiſtola XII. Lugd. ſub Vitellio. 365
Epiſtola XIII. Lugd. ſub Veſpaſiano. 366
Epiſtola XIV. Lugd. ſub Tito. 367
Epiſtola XV. Lugd. ſub Domitiano. 367. & 368
Epiſtola XVI. Lugd. ſub Nerua. 368
Epiſtola XVII. Lugd. ſub Traiano. 369
Epiſtola XVIII. Lugdun. ſub Adriano. 369. & 370
Epiſtola XIX. Lugd. ſub Antonino pio. 371
Epiſtola XX. Lugd. ſub Aurelio & L. Vero. 371. & 372

IN LIBRO SEPTIMO.

ELOGIA POETICA.

Variæ Poëſes ſparſæ ſuperioribus libris. 375
Sylua I. Ariſtus. 376
Sylua II. Amyntas. 377
Sylua III. Androdus. 379
Sylua IV. Alexis. 379. ad 383
Proſopopœia Angliæ, poſt Rœam ſeruatam. 383
Panegyricus de Rupella capta. 388
Pars I. 388. ad 391
Pars II. 391. ad 399
Pars III. 399. ad 404
Epiſtola Patris æterni ad B. Virg. 303. & 304

Epistola Verbi æterni ad B. Virg. 306. ad 308
Epistola Spiritus Sancti. 408. ad 411
Elegia naturæ ad Christum Infantem. 411. & 412.
Hungaria ad Principes Christianos. 412. & 413
Protrepticum Lyricum. 414
Protrepticum Heroicum. 415. ad 418

IN LIBRO OCTAVO.

MISCELLANEA.

Inscriptiones primi generis. 419
Inscriptiones secundi generis. 420. ad 424
Inscriptiones tertij generis. 424. ad 427
De Emblemate. 427. ad 429
Artis Symbolicæ præcepta. 429
Symbola varia cum exemplis, & Epigrammatibus. 430. ad 440
Elogiorum præcepta. 440
Caput Alexandri magni. 441
Caput Iulij Cæsaris. 441. & 442
Caput Ciceronis. 442
Elogium D. Catharinæ. 443
Elogium ætatis Petri Scarron. 444
Supplex libellus. 445
Eloge des larmes. 446
Eloge du grain. 448
Eloge de l'eau & du vin. 449
Eloge du Rien. 451
Eloge de la volonté. 452
Eloge de Dieu. 453
De Anagrammate. 455
Epitaphij præcepta 456
Epitaphium D. de Pourroy. 457
Epitaphium D. de Sautereau. 458
Epitaphium D. de Vicelieu. 458
Adami Elogium. 459
Abelis Elogium. 460
Noëmi Elogium. 460
Abrahami Elogium. 461
Isaaci Elogium. 462
Iacobi Elogium. 463
Mosis, Elogium. 463
Samsonis Elogium. 464
Dauidis Elogium. 465
Salomonis Elogium. 466
Pallium Eliæ. 467
Ionæ Elogium. 468

SOLITVDO.

D. Brunonis Elogium. 42
Soliloquium animi Solitarij. 43
Vita priuata. 234
Deuises sur ce sujet. 235
An solitarius animus sit solus. 237
Tumulus duorum amantium. 251
Moyronij secessus. 252
Inscriptiones solitudinis. 420
Viri amantes solitudinem. 423
Porticus Richeliana. 423
Caput D. Ioannis Baptistæ. 424
Caput D. Petri. 425
Caput D. Pauli. 426
Caput Alexandri. 441
Caput Cæsaris. 441
Caput Ciceronis. 442
Caput Senecæ. 85

FINIS.

00563613